Paradisvs sponsi et sponsae: in qvo messis myrrhae et aromatvm, ex instrumentis ac mysterijs passionis Christi colligenda, vt ei commoriamur / Et pancarpivm Marianvm, septemplici titulorum serie distinctum: vt in B. Virginis odorem curramus. Et Christvs formetur in nobis.

Contributors

David, Jan, 1545?-1613.
Galle, Théodore, 1571-1633.

Publication/Creation

Antverpiae : Ex Officina Plantiniana, apud B. et I. Moretos fratres, 1618.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/yurrtsgs

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

OLIM. FVI.
EX. LIBRIS.
GVLIELMI. BATES. A.B.
VNIV. LOND.
COLL. REG. CHIRVRG. SOC.
MEDICI.
APVD. BIRMING. IN. AGRO.
VARVICENSI.
HODIE.
MÆSTISSIMI ET. INDIGNISSIMI.
FRATRIS.
ALEXANDRI.
EDGBASTONIÆ.
1885.

(27) 1719

316

Cmy

The Plates have every appearance of being by Collaert, though they do not bear any name

73508

PARADISVS SPONSI ET SPONSÆ: IN QVO

MESSIS MYRRHÆ ET AROMATVM,

ex instrumentis ac mysterijs Passionis CHRISTI colligenda, *vt ei commoriamur.*

ET

PANCARPIVM MARIANVM,

Septemplici Titulorum serie distinctum:

vt in B. VIRGINIS odorem curramus, et CHRISTVS formetur in nobis.

Auctore P. IOANNE DAVID,
Societatis IESV
Sacerdote.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem et Ioannem
Moretos fratres.
M. DC. XVIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

73508

Sereniſſimis
ALBERTO
ET
ISABELLAE
CLARÆ EVGENIÆ
Belgicæ Principibus.

VT olim adequitanti improuisò Artaxerxi, ruſticanus neſcio quis è prętерfluente Cyro hauſtâ manibus lympham, alius item ingens in vanno malum punicum, obtulerunt; ita ego nunc vobis, SERENISSIMI PRINCIPES, exiguum hunc SPONSI AC SPONSAE PARADISVM, chartaceo velut in campo, offero, conſecroque. In eius quidem prioris partis arcolis, tu MAGNE ALBERTE, MESSEM MYRRHAE ET ARO-

MATVM, ex Dominicæ Passionis instrumentis collectam, inuenies; cuius odore ac virtute, cùm in propriæ salutis curâ, tum in incumbentis tibi gubernationis solicitudine, magis magisque animeris, & porrò etiam armeris. Altera verò PARADISI pars, te propriè, ISABELLA CLARA EVGENIA, spectabit, MARIANVM PANCARPIVM; in cuius amœnissimis plantariis, quinquagenos Deiparæ Virginis titulos, è sacræ Scripturæ viridariis collectos, magna varietate velut in quincuncem digestos, reperies.

Vt autem in vobis, quod Deus coniunxit, ego non separem; non pœnitendos etiam vtrâque ex parte fructus coniunctis animis reportabitis. Ex illâ quidem, laborum pœnarumque suaui-amaros Saluatoris nostri manipulos, in mentis horreum colligetis; ex hac verò, omnigenis decerptis floribus, pancarpias pangetis corollas. Denique, vt eximiam vtriusque vestrûm in Deum eiúsque Matrem pietatem augebitis;

gebitis ; ita oneris vestri molem leuari (vires & animos inspirante ipso PARADISI Domino & cultore) sentietis.

Hoc itaque, SERENISSIMI PRINCIPES, candidum sinceri erga vos animi monimentum boni consulite. Quos vt Dominus exercituum & Princeps pacis, bello ac pace prosperet, æternumque coronet, opto voueoque. Ipris Flandriæ, prid. Kal. Iulij, M. DC. VII.

VV^arum CC^num

Seruus in Christo

Joannes Dauid.

Ad eosdem Hendecasyllabon.

HVnc orbem Deus ille qui potenti
Nutu temperat, vsquequaque præsens,
Immotus mouet omnia, vnus omnes
Curas expedit omnium absque curis.
At, quibus populos dedit regendos,
Ne sub mole gemant negotiorum;
Alternare vices laboris, & mox
Frontis horridula explicare iussit.
Ergo & sabbata conquieuit ipse
Atque ardoribus à meridianis,
Ad auram PARADISI *inambulauit.*
Hanc legem sequere, vt Deum sequare,
Magne ALBERTE *aquilis, potensque Belgis,*
Cum CLARA EVGENIA *tuâ* ISABELLA,
Ad portum Oceani negotiosi,
Quondam cùm vacuas habebis horas,
Hunc intra PARADISVM, *amœniorem*
Hortis Alcinoïque, Adonidisque;
Hortisque Hesperidum feraciorem.
Non hîc igniuomi excubant dracones,
Non serpens vetus intimat venenum:
Sed, si qua est Panacea ad intimatum,
Hortis inuenies in his virentem.

LE-

LECTORI BENEVOLO;
super vtriusque Libelli consensu.

EN tibi, candide Lector, PARADISVM SPONSI ET SPONSÆ, binis constantem Libellis, immò geminis, vnoque partu in lucem effusis: Nomen vni MESSIS MYRRHÆ ET AROMATVM, alteri PANCARPIVM MARIANVM.

Hi tametsi constant per se singuli, alter tamen alterius poscit opem, germaneque conspirat. Prior nos docet cum Christo mori; posterior rediuiuos in Christo viuere, immò Christum in nobis: & eatenus quidem Matris eius fungi officio, virtutemque adumbrare, donec formetur in nobis Christus: quo deinde fiat, vt huius per Matrem imitatores effecti, spiritales Mariæ filij Christique fratres agnoscamur: qua de re fusiùs in vtriusque Libelli Præfatione atque Præambulis.

Hæc modò te monitum volui; ne, quæ aptè coniuncta, ignarus diuellas: quamquam & altero sine altero frui, in tui emptorisque erit arbitrio.

In vtroque modus spiritalis soliloquij seruatus, inflammandæ in Deum pietati. Tu, si voles pro concione in exhortationem vertere, ex characteribus in iconibus & margine mutuò respondentibus rem colliges, & quibus voles verbis conuestties. Boni consule, Lector, & fruere.

PRÆFATIO.

NSTRVMENTA PASSIONIS DOMINICÆ, amice Lector, hunc in finem, eo quo vides modo, tractanda ſuſcepi; vt nobis per condignam mortificationem fiant inſtrumenta ſalutis & vitæ. Id enim nos ſuo docet exemplo SPONSA, talibus verbis vſum atque vtilitatem huiuſmodi
Cant. 1 applicationis inſinuans: *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Et, quia iſtud in ſe velut in ſpeculo nobis D. Bernardus expreſſit; eius hac de re verba
Ser. 43. *ſuper Cant.* praximque ſubiiciam. Hæc mea, inquit, ſublimior Philoſophia; Scire Ieſum, & hunc crucifixum. Ego, fratres, ab ineunte mea conuerſione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei.

Ita & aliis locis, tum in ſe, tum in D. Paulo (quem vas electionis à Domino vocatum, ipſe reuerà vas aromaticum appellat, refertum omni puluere pigmentario) declarat quantæ ſit energiæ, viua Paſſionis Chriſti meditatio; quâ velut in hortum dolorum ipſius introëatur, & de myrrha amaritudinum eius faſciculus compingatur, qui tandem in ſuaueolentia aromata commutetur. Quòd ſi nos quoque ad

eius

eius imitationem fecerimus ; veniet tunc & ipſe Sponſus animarum noſtrarum ad nos, velut ad hortum ſuum aromatum, gratum & peramœnum ; iuxta illud ; *Dilectus meus de-* Cant. 6
ſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum. Non vt patiatur iam, quia paſſus eſt ſemel ; verùm vt paſcatur in hortis, & lilia colligat : virtutes ſcilicet candidæ caſtitatis, puræ intentionis, mundi cordis, niueæ innocentiæ, columbinæ ſimplicitatis, immaculatæ conſcientiæ, cæleſtiſque conuerſationis ; ipſaſque adeò animas ſanctas ſibi aſſociet ; hîc per gratiam, & in vita futura per gloriam. Iam, ad PRÆAMBVLVM horum, veſtigia conuertamus; quod tribus facibus illuſtratum, rem omnem ingreſſuris aperiet.

PRÆAMBVLVM,

Tripartitam præsenti Libello præferens facem.

Fax prima Præambuli.

Rom. 6. QVANDOQVIDEM, *teste Apostolo, ad hoc Christus mortuus est, vt & nos eidem commoriamur; & quomodo surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: meritò illa omnia, quæ pro nobis perpessus est, ita toto animi nostri complexu recolamus, vt per singula tormenta eorumq; instrumenta hoc sentiamus in nobis, quod & in Christo Iesu non tam legimus quàm quasi ante oculos conspicimus exerceri. Vt non solùm in ipso, per pretij & Mediatoris modum, sed & in nobis verè ac realiter actum illud commemoremus, quod idem subdit Apostolus: Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo.*

Vt igitur præcipuum hunc fructum ex INSTRVMENTIS *passionis Dominicæ ipsi Christo reportemus, magna nobis est opus charitate, quæ ex Dominicæ charitatis consideratione, velut attritu quodam, accendatur. Quo fiat, vt non solùm ipsum redamemus, verùm etiam pro ipso quoque libenter aliquid patiamur; vtq; peccatis*

catis mortui ab iisdem nobis caueamus, quæ illum ad tam horrenda támque amara supplicia pertraxerunt. Quis enim non obstupescat præ rei nouitate? Fusus est sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici.

Vt igitur, quantum nostræ fragilitati licebit, Christo pro nobis passo in vera passionum nostrarum mortificatione conformemur; pulchro schemate ob oculos nobis statuamus, qualiter nos eum, ad expendenda delendaq; peccata nostra modo quodam attraxerimus: Et quo pacto nos ipse vicissim, peracta expiatione, ad contemplandam delibandamq; suæ passionis amaritudinem inuitet. Audire verò videreq; istud licebit, sub Sponsi Sponsæq; nomine, in Cantico canticorum aptissimè figuratum: quod hîc, animâ nostrâ Sponsæ vices obeunte, ob oculos statuemus.

Fax secunda Præambuli.

AVdiamus itaq; animã nostram, per Sponsam in Cantico significatam, Christo sponso suo loquentem, eumdemq; ad mysterium Redemtionis humanæ, per acerbæ Passionis agonẽ, inuitantem:

A Veniat Dilectus meus in hortum suum: & comedat fructum pomorum suorum. Cant. 5

Hortus dilecti mei, paradisus; hortus eius, animus humanus; hortus eius, totus mundus, quantumuis immundus. Sed hortus iste, qualiscumque, ab initio non fuit sic: nec est modò, sicut B eum plantauerat à principio. Factus est hortus eius, astu serpentis fraudulenter irrepentis, & incuriâ nostrâ qui eum malè custodiuimus peiusq; operati sumus, factus est (inquam) modò cubile dra-

draconum, ſpelunca latronum, & ſilua ſpirituum malignorum, mortis & peccati atriũ execrandum.

Veniat itaque Dilectus meus; qui me, etiam inimicam factam dilexit, miſerens mei; méque elegit, priuſquam ego eum eligerem, vel diligerem. Veniat in hortum ſuum. Confuſus quidem, immutatus & inuerſus eſt, verumtamen eius eſt. Domini ſiquidem eſt terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Hereditas
Matth. 21. *eius eſt: itaque veniat heres, non ampliùs mittat ſeruos, Prophetas. Filium fortè reuerebuntur, & fructum dabunt agricolæ.*

Veniat, qui venturus eſt, in hortum ſuum, deſolatum, vaſtatum, & ab alienis iniquè vſurpa-
Ioan. 1. *tum. Veniat Dei Filius in mundum; & Verbum caro fiat, habitétque in nobis, & videamus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre; & fiat primogenitus ex virgine Matre.*

Eſth. 7. *Surgat Aſſuerus, non tamen ſeuerus, ſed aſſertor verus ſalutis populi noſtri, animarúmque noſtrarum. Surgat, inquam, à loco conuiuij, ab opipara dapſilique illa menſa cæleſtis gloriæ, regaliq; illo diuinæ maieſtatis epulo; & veniat in hortum, arboribus conſitum: qui cultu quidem regis & manu conſitus olim fuerat; ſed quem inuidia diaboli peſſum dedit.*

Veniat igitur, & comedat fructum pomorum
Gen. 2. *ſuorum. Plantauit ſiquidem in medio paradiſi* C
lignum pulchrum oculis, adſpectuq; delectabile, & bonum ad veſcendum; lignum, inquam, ſcientiæ boni & mali; ſed vetitum. Eheu! guſtarunt D
ex eo parentes noſtri, & dentes omnium noſtrûm
Apoc. 10. *adhuc inde obſtupeſcunt. Dulce fuit in ore ipſo-*

rum,

rum, sed adeò fecit amaricari ventrem, vt in vniuersam ipsorum sobolem mors tramite vitiato per originale peccatum transierit. Hinc omnia quæcumque vbique terrarum homini mala proueniunt, traxerunt originem; cui alioqui neque mors, neque diabolus, neque infernus ipse, nocere poterant: ô miserandam generis humani sortem!

Veniat, veniat Dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum: bonorum quidem, vt plantauerat, sed nostra præuaricatione deprauatorum; fructum peccatorum acerbum, ex pomo degustato prouenientium. Gustet, comedat, absumat, & consumat; quia ipse ignis consumens est. Suscipiat, sentiat, perferat miserias nostras, egestatem, nuditatẽ, persecutiones, improperia, plagas, & acerbissimam denique mortem, qui fructus est amarissimus pomorum ipsius. Heb. 12.

E At quia ipse Dilectus meus, benedictus fructus ventris matris suæ virginalis & superbenedictæ futurus est; comedat fructum maledictum, conuertátque per se in benedictum; vt nos deinde ex eo sumentes, etiam benedicamur: sicq; benedictionis ipsius reddamur participes; vt tandem ab ipso, longo pòst interuallo, reuertente, mereamur audire; Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Luc. 1. Matth. 25.

Hæc, vt columba, Dilecte mi, meditata sum; te per tuam erga nos dilectionem obtestor, vt non confundas faciem meam. Isa. 38. 3. Re. 2

Fax Præambuli tertia.

EN ista est inamœna, blanda tamen Sponsæ (animæ nostræ) inuitatio, qua Christum, Dilectum suum,

ſuum, ad Paſſionis amarum calicem, & pomum acerbum inuitat. Ipſe verò tam libenter liberalitérque quod petebatur expleuit, vt nihil ſit amplius quod deſiderari poſſit: cùm factus ſit ipſe pro
Gal.3. *nobis maledictum, vt nos benedictos efficeret.*

At, nunc attendamus, quid ipſe viciſſim à nobis pro tanta repoſcat charitate: qua maiorem nemo vmquam habuit, vel habere poſſit. Id autem eſt, vt ſic Paſſionem ipſius recogitemus, quò, quantum fieri poteſt, ei nos quoque compatiamur, & peccatis commoriamur, vt iuſtitiæ viuamus. Vice verſa igitur illum, nos ſub Sponſæ nomine inuitantem, audiamus:

Cant.5 Veni in hortum meum, ſoror mea, ſponſa:
Meſſui myrrham meam, cum aromatibus.

Ac ſi dicat: Inuitaſti me ad hortum meum, F
meum quidem iure conditionis atque hereditatis dominio; ſed verè tuum, violationis, vaſtitatis, & tranſmutationis peruerſitate. Inuitaſti me, &
Prou.8 *quia deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum, veni perlubenter. Veni, vidi, feci, quod poſtulaſti. Guſtaui & comedi fructum pomorum meorum, & pro te mortem crucis acerbiſſimam ac viliſſimam ſuſtinui. Dilectum me tuum appellaſti, dilectionem*
Ioan. *meam exhibui: Maiorem enim charitatem nemo*
15. *habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: & ego pro inimicis poſui.*

Tu itaque iam oſtende, quòd dilectus tuus ſim, hoc eſt, quòd tu me diligas: dilectus enim diligentis dilectus eſſe perhibetur. Si non prior amaſti me, ita ſaltem amata redamare non negligas. Veni igitur iam tu quoque viciſſim in hortum meum. Quod, vt abſque omni timore expoſtulationis,

tionis, exprobrationis, aut repulsæ facias: nomen, quo te compello, dat omnimodam tibi securitatem.

G Sponsam te voco. Sponsabo te mihi in misericor- Ose.2.
dia, & miserationibus: dotem non aliam peto quàm te, sed humilem & gratam. Vtq; omnis puritatis & castimoniæ hanc esse noueris desponsationem, quæ nec minimam impuritatis alicuius suspicionem admittat, immò coniunctissimam spondeat polliceaturq; in castitate connexionem, sororem te meam appello & facio.

Veni secura, veni læta, veni gratulabunda, veni grata & dilecto tuo deuota. Non vereatur bona Iudith puella introire ad Dominum suum, vt honorificetur ante faciem eius; sicut dilexit, honorificauit, & clarificauit eum Pater eius. 12.

Veni itaque in hortum meum soror mea, sponsa. Veni amica mea, dilecta mea, vnica columba mea; anima Christiana, fidelis: peccatrix aliquando, nunc tota pulchra. Veni in hortum meum, H ingredere mysterium Passionis meæ. Considera singula, & quantum te dilexerim perpende. Quid Isa.5. debui vltrà facere horto meo per te destructo (ad quem me inuitasti) & non feci? Veni itaque iam & tu in hortum meum, per me restitutum in integrum. Messui myrrham meam. Omnia consum- Luc.18 mata sunt, quæcumque scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Non transiit calix amaritudinis à me, sed per me: bibi illum, & fæces illius exinaniui. Bibi illum, oppletus fui opprobriis, sputis, flagellis. In corpore, in anima, in bonis, in fama & in amicis extrema perpessus sum. Messui myrrham vsque ad solum: nihil fuit quod mihi non fuerit versum in amaritudinem. Et Pater meus Ps.26.

dere-

Math. 27. *dereliquit me, & mater adstans, sua præsentia me magis contristauit. Angelus voluit me consolari,*
Ruth 1 *sed non valuit, quia amaritudine valdè me repleuerat omnipotens.*

Ioan. 4. *Verumtamen, soror mea, sponsa; ne nimiùm myrrhæ amaritudine terreare; & aromata messui: mihi myrrham, tibi aromata. Ego laboraui; & tu, dilecta, in labores meos introibis; vt postmodum intres & in gaudium meum.*

Tantùm esto patiens in paruis, & paucis, idq; breui tempore; & omnia tibi vertentur in dulcedinem, per Passionis meæ amaritudinem; & per
Coloss. 3. *meam ignominiam in gloriam sempiternam. Esto fidelis vsque ad mortem, certa bonum certamen, mortifica membra tua quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concu-*
Rom. 8. *piscentias malas: quia si spiritu facta carnis mortificaueris, viues & coronaberis.*

Hucusque Sponsi animarum nostrarum Christi, ad Passionis meditationem inuitatio.

Eamus itaque in hortum Dolorum ipsius, & omnia attentis animi luminibus contemplemur.
Isa. 39 *Ostendit Ezechias rex nuntiis regis Babylonici cellam aromatum, & omnes apothecas supellectilis suæ; non fuit quod non monstraret eis in domo sua. Et hîc quoque nobis patebunt omnia. Ita eis immoremur, vt immoriamur; & per vitæ nouitatem, vt filij pelicani, verè rediuiui efficiamur. Hic est siquidem primarius gemini huius opusculi scopus & finis.*

1. TRIGINTA ARGENTEI.

Qui tribus appendit digitis, mare, ſidera, terras,
(O animæ pondus!) quam leue pondus habet!

O edel kaſſe ey bankᵏ! o Wiſſel groot van Waerde!
Pryꝺ, vantſoey, ey be-lankᵏ, van Hemel ey van eerꝺe.

Apportés voſtre bien, pour le mettre a ce change:
C'eſt le banc; ou le Rien *auec le* Tout *ſe change.*

MESSIS

MYRRHÆ ET AROMATVM,

Auctore P. IOANNE DAVID,

Societatis IESV Sacerdote.

1. TRIGINTA ARGENTEI.

Qui tribus appendit digitis mare, sidera, terras;
(O animæ pondus!) quàm leue pondus habet!

VBINAM es, anima mea? an, quia audisti vocem SPONSI in Paradiso, timuisti; & abscondis te; eò quòd nuda es, atque omni virtutum ornatu destituta? Ne timeas: sponsam te suam, atque adeò sororem compellauit; ideoque nudatus fuit, non semel, neque vno modo, vt te vestiret duplicibus, varijsque virtutum mutatorijs exornaret. Itaque surge, excutere de puluere; & vestigia te tam amanter in hortum suum inuitantis, tamque strenuè præeuntis, subsequere. Singula diligenter perlustra, quæ ipse pro te, solo amoris instinctu, sustinuit: & plenis oculis, pleniſque auribus, ac tota cordis capedine hauri, quodcumque ibi tuis vsibus accommodum fore perspexeris. *Gen. 3.* *Pro. 31.*

A In primis Triginta argenteos, prètium pro te appretiati, (ceu fœcundissimum triginta foliorum flo-

rem) ipso in limine horti considera. Huc illa te trahat auiditas, quæ iuxta Sapientis arbitrium, meritò omnium Christianorum animos incendat: audi. Re-
Pro. 23 demtio animæ viri, diuitiæ eius. Hæc tua est (ô ani-
Isa. 10. ma mea!) redemtio: hæ igitur tuæ diuitiæ, ô Laisa, paupercula Anathoth! optatissimum istud salutis tuæ pretium, quo sponsus tuus, animam pro te suam positurus, æstimari vendique dignatus est.

At memori mente paulisper reuolue, tam inauditum Iudæ proditoris cum iuratis sponsi tui hostibus
Matt. 26. de ipsomet sponso commercium. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

Quid audis, anima mea? quid moraris? quin huic tam iniquæ subhastationi fidem tuam, omnem substantiam, totamque te, quanta quanta es, interponis? quin auges pretium, & mundum potiùs vniuersum oppignoras, ad selectissimam hanc margaritam, adeoque vnicum vnionem redimendum? Pretium ipsi ignorant; Filium Dei non cognouerunt; nesciunt
Prou. 6 quid faciant. Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitationem palpebris tuis.

Tota obstupesco, & liquesco in memetipsa, pro tam indigno thesauri hūius pretiosissimi mercimonio. certum est; magno non potest carere mysterio, tam iniqua venditio. Verum: sed mirari quoque desine, anima, dum testantem audis Apostolum,
Ioã. 12 quòd vilissimus hic nundinator, fur erat. Furum est siquidem iniquos esse rerum æstimatores, & pretiosissima quæque vilissimo vendere; vt qui ferè semper pretium rei in emtorum constituant volun-
Matt. 26. tate; vt iste; Quid vultis mihi dare? Siccine, infelix Iuda, damnum quod ex vnguenti effusione feciſſe te credebas, magistri pretio compensandum putasti? Quin certam saltem postulas summam, vt vel ex eo constaret, quanti tu faceres tuum Dominum; vel saltem

saltem lucrosa videretur proditio? sed, quasi vile tradens mancipium, in potestate mentium posuisti, quantum vellent dare. Verùm tui te sceleris reum Ischariotis agnomen testatur, quod virum occisionis, exterminij, & mortis significat. Nec est quod te Ischariotem appellandum obijcias, vt tribu Issachar oriundum; nam neque sic fœdo tuo facinori vel honori consulis; cùm Issachar mercedem sonans, mercimonium tuum nefandum prodat. *Gen.10*

Sed liceat mihi, dulcissime Iesu, paulò altiùs diuini tui consilij secretum, mirandumque tuæ humilitatis arcanum scrutari. Scio, nequidquã hîc illius nequam laborasset insania, nisi pro abdita tuæ sapientiæ prouidentia ita fieri remque omnem transigi decreuisses.

Ecce, adumbrata nobis in veteri lege occurrit pretij tui triginta argenteorum æstimatio. Audi filia Ierusalem, anima fidelis, & vide, inclina aurem tuam ad verba sponsi tui, velut legislatoris, de se, vt de vili
B mancipio, pretium statuentis. Si bos cornupeta seruum aut ancillam alicuius inuaserit: dominus bouis triginta siclos argenti domino serui vel ancillæ illius dabit: bos verò lapidibus opprimetur. *Exo.21*

Tanti itaque te, bone Iesu, sibi ad tradendum morti emerunt Iudæi, quanti seruum occisum ex tuo decreto redimere consueuerant. Tanti emerunt innocentis vitam, quanti vilis mancipij solebant redimere mortem.

An vmquam (ô Angeli) à sæculo hoc est auditum? Pretium filij Dei, fit pretium peccatoris; pretium Domini dominorum, est pretium serui; pretium spiritus omnia viuificantis, est pretium cadaueris abiecti homuncionis.

Audiat totus mundus, & exhorrescat! Pretium cæli & terræ, (præter id quod intrinsecus latet) triginta argenteis æstimatur: cui omnes thesauri orbis terrarum comparati, pro nihilo reputentur. Con-
C stituerunt ipsi quidem emptores triginta argenteos;

sed, tu Pater cælestis ita priùs constitueras ab æterno: vt qui serui formam pro nobis esset accepturus, serui quoque viliſſimi pretio venderetur. Tunc etenim impletum est, quod per Prophetam tuum prædixeras:

Za. 11. *Matth.* 27. Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, D quem appretiauerunt à filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli: sicut constituit mihi Dominus.

Attendite nunc quoque, filiæ Sion, mentes piæ; E quomodo in rei veritate expressum hîc vobis ob oculos statuatur, quod in vestro Ioseph, olim à fratribus

Gen. 37 vendito prefiguratum fuit. Et quidem Iudas ibi venditionis transigendę primarius auctor exstitit; & pretium illius cum nostri Redemptoris pretio satis conforme: sed plusquam Ioseph hic.

At quare istud ita fieri voluisti mitissime Domine? Scio, non id redimendi tantùm, sed & docendi nos gratiâ sic constituisti.

Age igitur; sonet vox tua in auribus meis; & tanti mysterij nucleo conforta cor meum. Audi anima mea, quid loquatur in te Dominus noster, sponsus tuus. Ego pretium hominis sum & mundi to- F tius: tam vili vendi volui, vt tu vilis hominis pretio me tibi redimeres. Si tantillum pretium tu non habes, te certè habes. Da te, & me accipe. At, fortè diabolo te vendidisti, neque triginta argenteos inde accepisti. Nihil refert: rescinde pactum, irrita emtionem; conuerte voluntatem, & te da cui de iure debebaris.

Oratio.

Oratio.

DEus, qui iustum Filij tui sanguinem, à filio perditionis traditum, triginta argenteis pro nobis vendi permisisti: da nobis ita huius iniquæ venditionis memoriam venerari; vt magno nos emtos pretio recolentes, numquam, vel cum totius mundi emolumento, animæ nostræ detrimentum faciamus. Amen.

2. HORROR IN HORTO.

Si tu Christe gemis scelerum sub mole meorum;
Quò scelerum auctorem pondera tanta prement?

Psal. 42. Matt. 11. Iob 13. QVARE tristis es, anima mea, & quare conturbas me? Quid existi in hortum dilecti tui videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existi videre? Deum contra folium quod vento rapitur ostendentem potentiam suam, & stipulam siccam persequentem? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebimur illi: salutare vultus mei, & Deus meus. Deus siquidem noster refugium & virtus; adiutor in tribulationibus. Nec est sicut filius hominis, vt mutetur: verumtamen verè filius hominis, vt dolores & horrores nostros in se suscipiat.

Nu. 12.

Isa. 7. Sed, numquid parum nobis videtur, si peccata nostra molesta sunt hominibus, nisi molesta sint & Deo nostro? Heu heu, Domine mi, quid faciemus? Nónne tu dixisti nobis; Ne terreamini ab his qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere? Et ecce, te nunc videmus mortis metu concussum. Verùm, si capillus de capite non cadit absque tuo nutu; certum est, non frustrà te totum, qui stabilimentum es nostrum, ita permoueri. Dum tu, qui fundasti terram in stabilitate sua, quique cælum solo nutu gubernas, horrore quassaris; sine dubio res admiranda nobis innuitur. Vt, dum moles hæc mundi stupenda terræmotu concutitur, non sine causa id accidit. Dum virtutes cælorum mouentur, stupendum est mònstrum ostentumque, dignum quod à toto mundo rogetur in bonum conuerti.

Luc. 12

2 Mac. 5.

A

Audite itaque pusillanimes, audite temerarij; nunc nimis

HORROR IN HORTO.

Si tu Chriſte gemis ſcelerum ſub mole meorum;
Quo ſcelerum authorem pondera tanta prement?

Siet, die den Hemel draeght, beghint van angſt te beuen.
Siet, waer de ſond' ons iaeght, die ons beneemt het leuen.

De mes pechès l'horreur fait que mon Dieu friſſonne;
Et moy, i'en ſuis l'autheur, ſans que ie m'en eſtonne?

nimis meticulosi, nunc nimium de vobis præsumentes; audite peccatores, & estote sapientes. Quando Saluator noster voluntariè ad locum, vbi capiendus esset, accessit: ingressus in hortum, cœpit pauere & tædere, contristari & mœstus esse, dicens: Tristis est anima mea, vsque ad mortem. Quid vobis videtur de Christo? Quid sibi istud vult? Estne defectus voluntatis? absit. An propositi mutatio? nequaquam. Num inopinati euentus terribilitas? Nihil horum. Quid ergo? Sponte pro nobis assumptus horror (naturalis licet, ex causa naturali, quæ naturæ fragilitatem percellere consueuit) itaque voluntariè admissus vimque suam liberè exercere permissus. Quid ita? ad nostram quidem, (quam & tota spectat passio) redemtionem; sed peculiariter ad aliquod singulare documentum. Quódnam illud? An vt pater pro victu vitaque filiorum sustentanda desudat, ijsdemque hoc facto Virtutis verique laboris exemplum præbet?

Marc. 14. *Matt.* 26.

Edissere nobis Domine, tam admirandi tui timoris horroriſque mysterium: fortè id nos in simili do-
B cuisti. Quando namque Lazarum suscitaturus à mortuis, nobis eo facto veram peccatoris conuersionem adumbrare voluisti, per quam in peccatis mortuus, sepultus, fœtensque, ad vitam animæ reuocaretur; infremuisti spiritu, & turbasti temetipsum, & lacrymatus es; & fremens in temetipso, venisti ad monumentum. Itaque, ceu Iesus & saluator noster, saluare nos volens morte tua, etiam ante mortem docere nos visus es, quo pacto peccatum (propter quod eras moriturus) euitemus: vt nimirum horror ille tuus, peccati nobis horrorem incuteret, & nos ab eius perpetratione arceret.

Ioã. 11.

C Si sapis, si capis, anima mea; duplex hinc medicamentum infirmitati tuæ perquam optatum accipies. Primùm, vt vehementem illum nouissimæ diei tremorem tibi ob oculos statuas; quando, qui iudican-

dus ita priùs exhorruit, posteà tam terribilis iudicaturus adueniet, orbemque terrarum commouebit. Id
Dan. 5 te vel Baltassar rex doceat, qui trium dictionum mu- D
tarum, digito in pariete descriptarum, adspectu perterritus, ita turbabatur, vt compages renum ipsius soluerentur, genuaad seinuicem colliderentur, fortiterque exclamaret.

Deinde, si consultum saluti nostræ cupimus; horror iste iudicij & damnationis, horrorem peccati nobis ingeneret: sicque prior horror posteriorem eliminet. Sit igitur hoc fœdus inter nos pactum hodie, peccatores; vt quando in primam peccati cogitationem oblectantemque tentationem (quasi in voluptatis hortum delectabilem) pedem essemus posituri; horror nos ingens mox inuadat, horroris Christi in horto, horrorisque iudicij extremi memoriâ.

Quis enim addubitet, benignissime Domine, quin primo adspectu, omnia statim mundi peccata, eorumque reatum dirissimè diluendum, ob oculos habueris, ipso horti ingressu; vel sola peccati à primis parentibus in horto commissi recordatione? ita ipso statim limine in illud impegisti. Horreat itaque (ô homo) cor tuum, & caro tua, quandocumque de peccato perpetrando recogitas.

Dã. 13 Susannam hunc in finem exhorrescentem, tibi E
ante oculos mentis constitue; quæ peccati horrorem,
2 Mac. mortis horrori putauit anteponendum. Ita & Elea-
6. zarus carnis porcinæ comestione magis Dei legem transgredi, quàm mori, exhorruit. sic & Abraham horrorem hunc peccandi tam salutarem suo nobis exemplo commendat.

Gen. 15 Dum siquidem accepta à Deo tam præclara multi- F
plicandi seminis promissione sacrificium offerret; descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Cumque sol occumberet, sopor irruit super eum: & horror magnus & tenebrosus inuasit eum,

eum. Nónne manifeſtam hîc videmus præmonitionem attentionis neceſſariæ contra tentationes diaboli; quantiſque horroris ſit illud negligere, atque obdormiſcere in re tanti momenti? Vigilate igitur, ne intretis in tentationem. Horrendum eſt namque à volucrum cæli tentaminibus infeſtari; ſed longè eſt horribilius, in manus Dei incidere. Ne igitur vmquam hoc in ſtudio ſomnolenter agas, ô anima; nam ſole iuſtitiæ tibi occumbente, manet te horror inexplicabilis.

Oratio.

IEſu, ſolatium afflictorum, & puſillanimium fortitudo, per illum tuum ſpontaneum in horto horrorem, aſſumtámque pro nobis triſtitiam, te ſupplices exoramus; vt corpus occidentium metu poſtpoſito, omnem peccati acceſſum formidemus, venturúmque te iudicem ſecuri videamus. Amen.

3. ANGELICA CONFORTATIO.

Omnia qui fecit, qui continet omnia verbo,
Spectat (& heu cassam!) quâ tibi prosit opem.

Isa.35. DICITE pusillanimis: Cõfortamini; nolite timere: Ecce, Deus ipse veniet, & saluabit vos. Sed, quid hoc audio de vobis? Vt quid cogitationes ascendunt in corda vestra? Dicitis siquidem; Num saluare nos poterit iste? 1 Reg. 10. Audimus, quòd Angelus apparuit, confortans eum: & quomodo igitur saluum faciet populum suum, qui ante conspectum hostem sic trepidat, vt creaturæ consolatione indigeat? A

Nescis, ô homo, secretum Dei, neque ita cogitans rimaris arcana eius. Non audisti, quod iam antè præ- Mat.11 cauerat: Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me? Quid ergo te turbat apparens foris, & non te magis confortat quod intus absconditur? Numquid pretiosissima quæque Natura obuelare consueuit? Ita & sub adspectæ infirmitatis obtentu, vis se diuina Isa.42. recolligit. Hic est etenim, de quo legimus; Dominus sicut fortis egredietur: sicut vir prœliator suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: Super inimicos suos confortabitur. Verumtamen, fortasse cum Moyse gestis accedere, propiusque desideras intueri mysterium. Accede, & illuminare, & facies tua non confundetur. Sique Dominum reuereris, Angelum ipsum alloquere. Dicito nobis, Angele Dei, confortans eum, qui orbem terrarum pugillo continet; quique fortis est ad saluandum: quomodo, quæso, eum es consolatus, qui ipse solatium est hominum & Angelorum? Quid dixisti? quid egisti? quid dedisti vel ostendisti ei; vt creatæ cuiusquam rei potentiâ confortare potueris omnipotentem; eumque erigere, qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles? An ei

secreta

Omnia qui fecit, qui continet omnia verbo,
Spectat (et heu cassam) qua tibi prosit opem.

Den Enghel in den noodt, vertroost hier synen Heere.
Schept moedt, o sondaer groot, want t'is tot uwer leere.

L'ange console icy son maitre, en sa detresse:
Pren cueur, pecheur, voicy l'exemple en ta foiblesse.

secreta quapiam herbarum, lapidum, vel aromatum vi, labantes humanæ naturæ virtutes restauraſti? an potiùs (quod opinor) victoriæ tam generosæ trophæa commemorans; & paternæ gloriæ incremento, salutisque humanæ emolumento proposito, robur & animum addisti? Attamen, parum admodum id totum ipsi contulisse existimo; sed nobis quamplurimum; cùm & hanc ipse naturæ defectionem nostri causa susceperit, nobisque consulendi gratiâ se ita permiserit consolari.

Nónne & hîc te vocantẽ audimus Domine: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos? Noli timere vermis Iacob. Consolamini, consolamini: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Equidem ab Angelo confortari sum visus, qui virtus sum angelorum, & pusillanimium consolator; vt nulla te frangeret aduersitas, nec in quantauis mole difficultatum, animum desponderes. Eamus itaque pusilli & miseri, desolati & laborãtes in remigando; & videamus hoc verbum, quod factum est, & ostendit nobis magister noster, Dux noster, & Iesus noster. Accedite primi, quotquot in acri cum hoste conflictu deficitis; deque vestra infirmitate nimiùm diffidentes, non satis de Dei virtute confiditis. Accede inquam, & quisquis es, in Deo Iesu nostro per Angelum confortato, te cum Iosue diuinitus animatum & confortatum existima. *Isa. 41 & 35.*

B Audi ipsi, audi & tibi dictum à Domino; Confortare, & esto robustus valde. Omnia poteris, in eo qui te confortat, quem pro te sic infirmatum consideras. Sed esto robustus valde: quia qui insurgunt in te, vehementer eleuati sunt. Valde robustus eris; si humiliter de te sentiens, spem omnem in Deo collocaueris. Adeste vos quoque, quos rerum temporalium cura sollicitat, iactura contristat, mundique huius C affligit aduersitas. Iacta cogitatum tuum in Domino, modicæ fidei; & ipse te enutriet, & non dabit in æternum *Ios. 1.*

num fluctuationem iusto. Nónne vides & vas electionis in iactura mercium,& nauis amissione, de vi-
Act.27 ta vectorum factum securum per Angelum? Ne timeas Paule;ecce, donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod,bono animo estote viri. Facilis iactura nauiculæ & vasculi huius mortalis, totiusq; mundi substantiæ,dummodò te saluum ad cælestis patriæ portum fluctus appellat;ibiq; in centuplum multiplicata reperias, quæcumque pro Christi nomine lubens amiseris. Sed viæ huius difficilis(vitę inquam præsentis) tædia molestiæque facessunt ne-
3. Reg. gotiũ; vt obdormire potiùs subter vnam iuniperum D
19. & mori,quàm progredi lubeat. Audi tu quoque,quid in Christo ad iter hoc arduum accincto, tum Eliæ, tum tibi, solaminis animique det Angelus; Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Surrige deiectum animum, cœptum bonum instaura, panis cælestis cor tuum confirmet,vinumque diuinum lętificet; ac grandis restans via ad patriam, grandem tibi quoque ingeneret animum pertingendi.

An fortè in quiete conscientiæ, & pace cum proximo atque cum Deo seruanda, labores? humanum est vtique in hisce tepescere: hauri tu quoque solatium tibi, ex fontibus Saluatoris, per Prophetam ip- E
sius iamdudum expressum, & in ipso iam nunc ex-
Isa.41. hibitum. Vnusquisque dicat proximo suo; Confortare: Confortauit faber ærarius percutiens malleo, eum qui cudebat tunc temporis,dicens, Glutino bonum est. Passio & infirmitas Christi confortet nos, nosque eius conglutinet charitas.

Sed alios mihi adhuc audire videor, contra desolationem, distractionem, teporemque in spiritualibus, solamen optantes; clamantes,dicentesque; Anima nostra sicut terra sine aqua tibi: defecit cor no- F
strum & caro nostra; & adhæret pauimento anima nostra; neque valemus ad te sursum corda eleuare;
Dã.10 manus nostræ graues sunt, & mens se nequit attol-

lere:

lere: cum ſeruo tuo, viro deſideriorum, præ debilitate collapſi iacemus. Surge, ſurge, cur iaces pronus in terra? Dominus Ieſus in faciem ſuper terram procubuit, vt tu viriliter erigereris. Ecce, manus confortans tanget te, erigetque in genua, vt inualeſcas. *Ioſ. 7.*

Neque eſt, quòd deſpondeas animum, etiam ſi ſeueri te iudicis vultus manuſque ſubinde ſollicitet. Dum ſiquidem tibi rigidioris experimenti quidpiam permittit accidere; tum tibi virga iuſtitiæ in gratiæ ſceptrum commutatur; cumque illa populi ſui zelatrice, à vultu Regis conſolatus abſcedis: diciſque cum viro ſecundùm cor Dei; Domine, Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. *Eſt. 15.* *Pſ. 22.*

At, quænam hæc vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus? Numquid non tu es, ô anima mea, cum Rachele plorans filios tuos, nolenſque conſolari, quia non ſunt? Spera in Deo; filij tui (boni conceptus, ſanctæ vitæ propoſitum, pię preces, ſuſpiria ſancta, virtutumque bonarum exercitationes, collectuſque meritorum aceruus) viuent, ſeruient Domino, ac pſalmum illi tecum dicent: teque tandem magno cum prouentu facturus eſt matrem filiorum lætantem. *Mat. 2.*

Oratio.

DEus virtutum, adiutor fortis, & conſolator afflictorum; qui Vnigenito tuo ſponte pro nobis agonizanti, Angelum è cælo confortantem miſiſti; ſic ad tuum placitum corda noſtra diſpone; vt in omni mortalis vitæ defectu, viæq; præſentis anguſtijs, eiuſdem paſſione roboremur. Amen.

4. SVDOR SANGVINEVS.

Arida sanguineos dij bibe corporis imbres;
Et mala purpureis semina verte rosis.

Mat.16 *Exo. 4.* HEV! video; tempestas hodie futura est; rutilat enim manè triste cælum. Quid ergo? num iterùm fluuius vertetur in sanguinem? Magnum profectò irati Dei super incircumcisis cordibus argumentum. Curre igitur, Sephora, (peccatrix anima) tolle acutissimam veræ pœnitentiæ petram, & circumcide cor tuum: & dic dilecto tuo, candido & rubicundo, electo ex millibus; dic inquam ei; Sponsus sanguinum tu mihi es hodie.

Mirabile verè est istud, & stupendum nimis. Opus quidem salutis, vt omnia, sed singularis quoque mysterij documentum; dum sudor agonizantis sanguineus factus est. Audite peccatores, exules filij Euæ. Nónne sententia nos illa communis inuoluerat; In *Gen. 3.* sudore vultus tui vescéris pane? Sed, quid hoc inter tantos? Vt panem vitæ, tum hîc sub specie corporali, tum præsertim in cęlesti consortio panem angelorum manducaremus; omnis iste sudor noster prodesse quid poterat? Nequibamus enim in sudore, non tantùm vultus nostri, sed neque totius corporis, operari cibum qui non perit, qui vitam suppeditaret æternam; nisi priùs, Christe, pro nobis sudasses sanguinem. En, vt exinde sudor noster, pro te proueniens, factus est efficax; vt nec scyphus aquæ frigidæ pro te datus, magna mercede sua sit carituras. Prudenter ob id, simplex mundo Francisce, sed sapiens cælo, ne guttam quidem sudoris tui, nuditatem tuam irridenti voluisti diuendere, qua te cælum mercari respondebas. A

Verùm,

Arida, ſanguineos Dij bibe corporis imbres;
Et mala purpureis ſemina verte roſis.

O aerdtrycktò douvreen gvondt, vvilt vvbey ſchoot vnt-vauvbey;
Die u ſchiep, vvilt u vondt, met bloedich ſvveet be-dauvbey.

Terre, ſi de ce ſang tu ne produis des roses;
Les veines de ton flanc ne ſoient iamais deſcloſes.

Verùm, turgentem hunc sudantis Domini botrum penitiùs exprimamus. Conquestus olim fueras Domine per Prophetam; Multo labore sudatum est; *Eze.24* & non exiuit de ea nimia rubigo eius; neque per ignem. De olla nimirum domus Israel, & anima peccatrice. Ideò venisti tu, & sanguinem in agone sudasti; vt cor nostrum tantæ charitatis ardore liquesceret, repurgaretur, nouoque tandem nitori restitueretur. Videte præterea, de terra terreni, vti terram quoque ipsam nostram sanctificarit; vt fructum benedictionis sic irrorata proferret. Nónne, postquam interfecti sunt in Ierusalem, omnes qui signum Tau in fronte non habebant; sic audimus Prophetam loquentem; Cæde completâ, remansi ego, ruique super *Ezec.9* faciem meam: & clamans, aio; Heu, heu, heu, Domine Deus! Ergóne disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Ierusalem? Et dixit ad me; Iniquitas domus Israel & Iuda, magna est nimis valde: & repleta est terra sanguinibus. Quasi dicat; Ideò quoque furorem meum totum effundo super eam. Dixerunt enim; Dereliquit Dominus terram; & Dominus non videt. Bene itaque nunc actum nobiscum, Domino sanguinem sudante. Sic etenim sanguineo rore tellurem imbuit, vice furoris super eandem effundendi. Et procumbens, eam est amplexatus, quò ostendat, se eam non despexisse neque dereliquisse; vt ingrati dicebant. Nunquid & illud Osee completum est nobis in bonum; Peccata inun- *Osee 4.* dauerunt, & sanguis sanguinem tetigit? Gratia per vas rimarum plenum effluxit, & sanguis Christi in terram sanguine peccatorum madentem cecidit, vt eam expiaret. Benedicta nunc terra in opere vestro, coloni fideles; vt non spinas & tribulos peccatorum germinet caro; sed spiritu sanctificata fructum vitæ æternæ producat. Gratiæ tibi immortales, Iesu sacer-
B dos, pro hoc tuo tam sancto libamine, quo longè præclarius nobis apud cælestem tuum patrem patro- *Eccli. 50.*
cinaris,

cinaris, quàm magnus ille ſacerdos Simon, libans de ſanguine vuæ.

Iam procul ab auribus noſtris, meliori ſuccedente clamore, vox illa, illaque Caini dira faceſſat correptio; C
Gen. 4. Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui, de manu tua. Iam ſiquidem melior auribus noſtris patriſque tui (bone Ieſu) clamor inſonuit.
Heb. 12 Habemus enim ſanguinis aſperſionem, meliùs loquentem, quàm Abel: videndum tantùm, ne recuſemus loquentem. Sed, quid loquitur? quid clamat? Ille ſanguis vindictam clamabat; iſte verò miſericordiam, gratiam, maioremque charitatem, quàm quiſquam habere poſſit.

Vide (quæſo) nunc anima mea, ne ampliùs claudi- D
ces in vtramque partem; vt Deum neque ſicut patrem diligas; neque verearis vt Dominum. Dominus certè ipſe eſt Deus, & pater tuus, qui creauit te. En tibi completum eapropter, illud Eliæ diluuium, quo &
3. Reg. 18. hoſtiam, & altare, & omnia circumcircà abundanter perfundi curauit; vt effoſſa quoque circum altare
1 Mac. 6. terra fluitaret. En tibi ſanguinem vuæ & mori ante elephantum conſpectum poſitum, vt eius rubore incenſi, acriùs hoſtium tela perrumperent, vincerentque. Tu ſiquidem Domine, ſanguinem ſudans, mar- E
tyrum paſſiones præſignaſti: nam ex omnibus tuis membris erumpens ſanguis, id omne præſagijt, quod Sancti tui pro te (& ſub te ceu membra ſub capite) eſſent perpeſſuri.

Vide nunc, quiſquis es; ne, dum patientiam, miſericordiam, mortificationem, continentiam, ſobrietatem, charitatem, & compaſſionem, à te reddis aliena, quaſi membrum de Chriſti membris non ſis, oſtendas; quia nec ſudas ſanguinem, neque quod ſudor ille Chriſti nos docet, exequeris. Vide ſimiliter, ne Chriſti ſudorem, quaſi in nihilum redigi permittas, dum ſine fructu à terra imbibitur. Optimè cõtra id oraſti,

Domi-

Domine, & per amicum tuum es vaticinatus; Terra, ne operias sanguinem meum: neque inueniat in te locum latendi clamor meus; vox, inquam, sanguinis mei tam efficax. Nos potiùs illud eiusdem impleamus, ad singulare nostrarum animarum solatium ac remedium: Pulli eius lambent sanguinem, prædæ nimirum per aquilam captæ. Cùm enim tu te nobis in sanguinolentam prædam dederis Domine, vt filij aquilæ sanguinem tuum (fructum eius nobis applicando) lambemus. *Iob* 16. *Iob* 39.

Oratio.

SPonse sanguinum, dulcis Iesu, qui præ ardentissimo patiendi desiderio, sudore sanguineo maduisti, da nobis veram cordis compunctionem, vt & grati pro tanto beneficio esse mereamur, tibique compatientes etiam corregnemus. Amen.

5. GLADII ET FVSTES.

Non te Christe petat, caput hoc magis obruat æquum est,
Ferrea de nostro crimine oborta seges.

4 Reg. 11. 3 Reg. 1

CONIVRATIO, coniuratio! Fruſtrà & immeritò id olim exclamaſti ô Athalia! Nunc potiùs id clamet vniuerſus orbis, vt reſonet terra à voce clamantium. Tunc etenim ſeptennis Ioas, cui diuino humanoque iure regnum Iudæ debebatur, armata contra rebelles manu, à ſummo ſacerdote Ioiada, in Regem omni populo eſt declaratus; nunc autem aduerſus Regem ſæculorum ac Dominum omnium, à ſummis ſacerdotibus, ac Principibus populi proceditur, cum gladijs & fuſtibus & lignis; non quidem vt in Regale ſolium euehatur, ſed vt infamem in crucem attollatur. Coniuratio, itaque, Coniuratio, nunc meritò clames Athalia: nam & nominis tui ſignificatio non incommodam cœpto huic tam inſolenti vmbram prętexuit. Quid aliud namque ſonat Athalia, quàm horam vel tempus Domino? Nónne iſtud eſt, mitiſſime Domine, quod illis in hoc tuum ſacroſanctum caput conſpiratoribus manifeſtè profeſſus es, poſtquam eos tam ſtulti conſilij factique redarguiſſes? Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus? Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Hæc, inquam, Athalia, hora ſeu tempus Domino. A

Luc. 22

Gen. 3. Aſt, Adam vbi es? Ecce, vt guſtato ſcientiæ ligno, ſed vetito, bonum & malum tecum omnes didicimus. Bonum erat, reuerà, te ibi eſſe, & nos tecum: ſed malum fuit, malum valdè, non obediuiſſe. Et hinc iſtæ lacrymæ: vt non ſatis fuerit, te cum ſeductâ à ſer- B

Non te Chriſte petat; caput hoc magis obruat, æquum eſt,
Ferrea de noſtro crimine oborta ſeges.

Siet hier t'Weldirh alàm, van ſweerden, ſtorken, pvranghen,
Waer-met d'onnooſel lam, voor u eend wierdt ghebanghen.

Voy les glaiues, et dards, dont la rage Iuſue,
Aſſaut de toute parts, celuy qui tout aviue.

serpente coniuge, stricta flammantique rhomphea ex paradiso voluptatis exturbari; nisi quoque secundus Adam, in secundo horto (quasi Paradiso doloris) gladijs & fustibus ad mortem quæreretur.

Heu! quàm in caput tuum nũc quadrat, bone Iesu, quod aliquando dixisti; Non veni pacem mittere, sed gladium: & inimici hominis, domestici eius! Verè id isti in te retorquent temerè; verbum tuum tamen placitumque tuum sacrosanctum non temerant, neque reddunt inualidum. Gladijs muniti te quidem inuadunt, vim inferunt, prævalentque: sed per hostiles istorum gladios gladius tuus spiritalis ex vtraq; parte acutus, magis magisque exacuitur; & vires accipit auctiores, vt pertingat vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. *Matt.* 10. *Heb.* 4.

Armate, armate vos interea Iudæi, & custodite vos sicut scitis: penetrabilior est agni per vos occisi gladius, quàm vt aciem mucronémve eius euadatis. Dentes vestri (scimus) arma & sagittæ; & linguæ vestrę gladius acutus. Fortis & armatus est, qui in vobis atrium suum custodit diabolus: sed fortior Christus superueniet, postquam vos eum ligno suffixeritis, & de ipso triumphare putabitis. Tunc veternosi illius vestri strategi vniuersa arma, in quibus confidebat, siue eloquentiæ, siue diuitiarum, siue potentiæ & nequitię, auferet; & spolia tot animarum, quæ truculentus possidebat, distribuet; atque in suos suique honoris studiosorum vsus, prudens conuertet. *Psal.* 56 *Luc.* 11

Terreat vos interim, omnesque ita in Christum armatos, & gladiatos; qui virulentis linguis, vt gladijs acutis, vel quocumque tandem modo Christum quęritis, vt adhuc hodie illum in membris ipsius necetis; (Multi siquidem qui gladijs non possunt, peruersis actionibus Christum persequuntur,) Terreat vos, inC quam, gladius ille Angelicus, terribilis, minax, & paratus, vt secet vos medios: sicut puer ille, cuius spiritum Deus suscitauerat, Senioribus, iniquis illis Iudi- *Dã.* 13

cibus intonabat. Terreat vos visio districti gladij, quo D
Angelus asinam ipsiusque sessorem ariolum, ad malum properantem, exterruit. Nondum satis? Terreat vos gladius ille bis acutus, ex ore Iudicis in horrendo illo die tremendoque iudicio processurus, telumque hoc ignitum atque irrefragabile vibraturus; Ite maledicti in ignem æternum: qui paratus est diabolo, & angelis eius.

Sed, quid tibi, mitissime Domine, cum fustibus & lignis? Scio equidem, scio, (ô Iudæorum Romanorumque malitiam militum!) Numquid hæc tela bel- E
lica, baculique ac fustes ad cędendum ignauos, seruos ac mancipia, etiam ad mortem interdum, delinquentes? Nónne & apud Romanos supplicij genus erat, quod fustuarium dicebatur? Planè. Dum siquidem Tribunus fuste vix tantùm attigisset damnatum; statim omnes, qui in castris erant, cędentes fustibus, lapidibusq; eum conficiebant, vt rarò euaderet. Satísne? Furta, falsa testimonia, floreque ætatis abutentes, ita plectebantur. Nihílne aliud, ad cumulum flagitiorum? Romanorum quoque legibus, ex Prudentium responsis, cautum erat; Vt, qui se Deo plenos simularent, fustibus cęderentur. Sed, quid hæc (inquam) ad Christum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, & excelsiorem cælis factum? Si in vestrum, ô Iudæi, caput, fustes & flagra conuerti pro iure deberent & meritis, ne quidem minima fustium assula in Domini nostri, agni innocentissimi, caput redundaret; adeò omni omnium scelerum flagitiorumque genere estis infames, & oppleti.

Verùm, en tibi, ô anima mea, tuum dilectum, cuius caput aurum optimũ, qui pascitur inter lilia, in cuius labijs diffusa est gratia, nec vlla vmquam in eius manibus inuenta est iniquitas; ecce, vt nunc gladijs fustibusque conquiritur & impetitur; ac si in omnibus deliquisset, nihilq; esset atrocitatis vel pœnę, quod in caput ipsius innoxium conuerti non debeat. Fortè &

vitis

vitis illic erat ad manum, baculus nempe & fustis Tribuni nobilior; quo (si opus) vitem veram feriret perstringeretque, vt fructum in tempore suo proferret vberiùs. Dic tu igitur, anima Deo deuota, & clama; Ego, ego, quæ peccaui; hic autem quid fecit? En me quam quæritis, quæ furtum commisi, quæ rapui, quæ in cælum & terram peccaui: hic autem nihil mali gessit.

Oratio.

DEus, qui Vnigenitum tuum gladijs ac fustibus impiorum in horto quæri & circumcingi permisisti: da nobis ita cor nostrum gladio verbi tui, amorisq; sanctissimi, transfigi; vt hoc tam salutari vulnere sauciati, totius huius vitæ curriculo, te diligamus, & à penetrabili illa tremendi iudicij sententia, simus immunes. Amen.

6. LATERNÆ ET FACES.

Lucifugi, ſol luce ſua quærendus; at iſtas
Prælucet vobis Lucifer ipſe faces.

ECCE, quàm rectè de vobis, ô Iudæi, locutus
Iſa.42. eſt olim per ſuum Prophetam Dominus! Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & quis cæcus, niſi qui venumdatus eſt, nimirum vt faciat malum? quales vos eſtis. Sed, & voſipſi per eumdem de caliginoſo hoc veſtro conſilio, hunc in
Iſa.59. modum eſtis vaticinati; Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tenebris ambulamus. Palpauimus ſicut cæci parietem; & quaſi abſque oculis attrectauimus. Impegimus meridie, quaſi in tenebris: in caliginoſis quaſi mortui.

Quid agitis miſeri? Numquid ipſe, quem quæritis, lux eſt mundi? numquid hoc ipſum ardens vobis lucerna teſtata eſt? Lux venit in mundum, ſed dilexiſtis magis tenebras quàm lucem. Idcircò palpabiles, & pluſquam Ægyptiacæ ſunt tenebræ, in quibus verſamini. At, nónne docti eſtis in lege, Scribæ, Legiſperiti? Nónne clauem ſcientiæ tuliſtis? Credo equi-
Luc.11 dem; nam & vobis id ipſa Veritas Chriſtus exprobrauit. Dicite; vbínam nunc igitur omnis veſtra ſapientia? at inflante ſcientia tumentes buccæ, caligantes lippienteſque vobis præcludunt oculos. Sed, videte ſaltem, & agnoſcite cæcum veſtrum ſtultumque conſilium, & cœptum. Quemadmodum vanum fuit, Ieſum cum gladijs ac fuſtibus, magnóque armorum ſtrepitu quærere, qui quotidie vobiſcum fuit in templo, ſeſéque nunc ſponte veſtris offert manibus; ita ſuperuacuum & prorſus ſtolidum eſt, in nocte, proditoris indagine, cum laternis & faculis, quaſi latentem inueſtigare, qui ſicut ſol ſuo ſe prodit ſplendore.

Lucifugi, ſol luce ſua quærendus; at iſtas
Prælucet vobis Lucifer ipſe faces.

Lanteernen, licht, en Waxhó, ſchynt hier ten allen hoerken,
Daer de ſinderó deó naxhtó, de ſon mede gaen ſoerken.

Brouillons, cet appareil de nuit n'a cy que faire:
Cherchès-vous le Soleil? *de ſes rais il s'esclaire.*

dore. Liceat vtcumque cum Philosopho illo, accensâ
A lucernâ, in densa hominum turba, interdiu, homines quærere; vt quorum rara sit copia, qui verè rationabilium more legeque viuant: sed solem ipsum laternis & facibus, radiante iam iubare, scrutari, hominis amentis esse, quis vel vobisipsis testibus ac iudicibus, negare præsumpserit? Quòd si quis neget; cerebrum potiùs ipsius, accensis totius mundi luminibus, nequeat inueniri. Enimuerò, factum tempori congruit, & personis: quia cùm essent tenebræ, tenebroso tempore, tenebricosum opus, tenebriones exercebatis. Nos verò, tam obscuro virorum istorum facinore prudentiores oculatioresque fieri desideraſti pijssime Domine: docesque tu nos; tenebras morum magis quàm oculorum esse pertimescendas.

Noli, noli, ô anima mea, vmquam in tenebris obscuræ cæcutientisque conscientiæ conquiescere, quasi ibi Iesum inueneris; sed in lumine gratiæ. Numquid *Psal. 87.* cognoscentur in tenebris mirabilia eius, aut iustitia eius in terra obliuionis? Per noctem quæsiuit sponsa, *Cant. 3* quem diligebat anima eius, & non inuenit; quid mirum igitur, si & tu frustreris, eum quærens in tenebris? Non enim sumus noctis, & tenebrarum. Sed, *1 Thes. 5.* si te vmquam tristes mentis tenebræ comprehenderint; accende lucernam tuam, ac modicum adhuc lu- *Luc. 15*
B men quod in te est; & quære drachmam salutis, quam perdideras. Accede per veram pœnitentiam, ad lucem, alioqui pedibus inaccessibilem; & lucerna fulgoris eius illuminabit te: quia illuminat omnem hominem sic ad se venientem. Ita vos illum quærere
C oportebat cæcutientes scrutatores & noctuæ: sed per diem incurristis in tenebras: & quasi nocte, sic palpa- *Iob 5.* stis in meridie. Quando verò lucerna hæc ardens sub *Mat. 2.* modico corpusculo, tamquam sub modiolo, in mo-
D dico tugurio latebat; tunc Reges illi, stellæ adminiculo solem quærebant, quia ipse necdum suo se fulgore prodebat: lumen quærebant lumine, quod ipse sol

eis accenderat. At vos hanc illustrem mundi lampadem, tot iam miraculis radiantem, hoc cæli iubar tot diuinis splendescens eloquijs, tot charitatis igniculis quasi scintillis iniectis mundum incendens, seque palàm modis omnibus manifestans, vos inquam illud cæleste sidus ac lumen diuinum, facibus sæcularis industrię fumigantibus, laternis latentis nequitię, lucernisque malè lucentibus, quærebatis; idque (quod omnium est pessimum) vt vnicum & solum hunc Solem exstingueretis. E E

Meliùs profectò religiosiusque vos olim milites & serui Prophetæ Regij, de quibus sic legimus: Iurauerunt viri Dauid, dicentes; Iam non egredieris nobiscum in bellum: ne exstinguas lucernam Israel. Sic & Sunamitis illa sapiens mulier, pro Absalomo per tropum patri supplicans, aiebat; Et querunt exstinguere scintillam meam, quæ relicta est mihi; vt non supersit viro meo semen. At, verè inquit Sapiens; Lucerna impiorum, peccatum. Et iuxta Domini dictum; Lumen quod in ipsis est, tenebræ sunt.

2 *Reg.* 21.

2 *Reg.* 14.

Pro. 21

Idcircò videritis impij Iudæi, lucifugæ, & quot-quot in vestris aliorúmve cordibus, accensum Christi lumen exstinguitis. Videritis (inquam) quid in die iræ, die illa, sitis facturi, vel dicturi; quando, discussis vbique tenebris, nuda omnia & aperta futura sunt oculis Domini, quem iam vestris laternis & facibus nequidquam inuestigatis. Audite miseri noctambuli quid ipse tum, vice versa, se facturum promittit; ne ridicula vos vestra fallat opinio; Et erit, inquit, in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis; & vsitabo super viros defixos in fæcibus suis. Nihil inscrutatum relinquet oculus eius: renes & corda rimabitur; vitia & virtutes; cogitatus, verba, & actiones. Cùm accepero tempus, ego (inquit) iustitias iudicabo. Si iustitias iudicabit, an rectæ iustæque per omnia fuerint; quid de iniustitiis & iniquitatibus expectandum? Si Ierusalem, vrbs sancta, vita sancta, & conscientia F

Soph. 1

reli-

religiosa ac timorata discutienda veniet, quid tutum in Iericho vitæ fluxæ & inconstantis, in Babylone confusæ conscientiæ, & in Sodoma animę abominandæ futurum est: vbi mundi vanitas, ac stultitia, scelerum vniuersorum confusio, summaque impuritas viguisse dignoscetur?

Tu dic, anima fidelis, obuiam sponso tuo cum prudentibus virginibus itura; Paraui lucernam Christo meo: neque illa in nocte sæculi huius exstincta est. Iam re præsto, quod tibi, Dilecte mi, in desponsatione baptismatis sum pollicita; quando cæreus ardens, pacti tam cælestis indicio, in manus mihi fuit traditus. *Ps.* 131 *Pro.* 31

Oratio.

DEus, qui in tenebris lumen facis splendescere, & sicut sole mundum, ita corda tuorum diuina luce collustras; fac, ita me splendor tuæ gratiæ semper irradiet, vt non ambulem in tenebris, neque me tenebræ comprehendant, sed ambulem dum dies est, vitámque inueniam sempiternam. Amen.

7. OSCVLVM IVDÆ.

Basiolo dum prodis herum, pietatis adulter,
Impia scorpiaco vipera more ferus.

Ier. 9. ASSVMITE super hoc facinus lamentum, filiæ Ierusalem. Quidnam dicemus, aut quid respondebimus interroganti nos! Rom. 6. Ecquis fructus nunc vobis ex his, in quibus nunc erubescitis? Anne igitur ideò tam incessanter clamauimus? An ideò filium Dei vnigenitum è Cap. 1. cælis euocauimus, exoptauimus, inuitauimus? Oscu- & 8. letur me osculo oris sui? Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ; vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Et quis (quæso) iam non despiciat nos; quando osculo eum prodimus, amoris pignore vulnus infligimus, charitatis officio fundimus sanguinem, & pacis instrumento mortem irrogamus? At, scio dicetis mihi; Iudas nefarius ille proditor hoc fecit: sed verius, pec- B cata nostra id perpetrarunt, dum ore eum laudamus, vt osculo, & cor nostrum longè est ab eo.

Venite itaque salutis vestræ sectatores, & super his mecum inite consilium: nam sicut animarum nostrarum est medicamen hoc osculum; ita est & documentum. Nónne tria potissimùm reperimus osculorum bonorum genera, totidemque detestandorum? Fructum igitur ex horum varietate manantem colligamus. En vobis primũ, inter laudata oscula illud amicitiæ & concordiæ symbolum: dum nequeunt siquidem corda cõiungi, pro eis iunguntur ora. Nónne sic Dauid & Ionathas valedicentes, osculantesq; alteru- 2. Reg. trum fleuerunt pariter, Dauid autem ampliùs? Sed 20. quid miramini oculos collacrymantes atque ora coniuncta? Anima siquidem Ionathæ conglutinata erat

animæ

Basiolo dum prodis herum, pietatis adulter,
Impia scorpiaco vipera more feris.

Merckt wel, met eenen kuò, wordt Christus hier verraden:
O ghebeyst mensch! alduò doen (siet) u boose daden.

Tu mords donc en baisant, comme fait la vipere?
Tu es, en ce faisant, des traitres le vray pere.

animæ Dauidis. Vultis & illud huic adiungere, quod Isaac filio suo Iacob quasi primogenito dabat? licet: nam & illud amoris erat osculum: de quo verus noster Isaac Christus cum hospite suo Simone expostulabat; Osculũ mihi non dedisti. Videte, videte, Angeli pacis, amatoresque concordiæ, & abyssi misericordiæ scrutatores; videte, inquam, quousque se istud osculum extendat. Canta id nobis, fili Isai, in psalterio & cithara: Misericordia & Veritas obuiauerunt sibi; Iustitia & Pax osculatæ sunt. Gratiæ tibi Iesu, fili Dauid: quia redemit hoc osculum genus humanum: Patríque sumus per hoc omnes reconciliati, cùm anteà inimici essemus.

Gen. 27

Luc. 7.

Ps. 84.

Mirúmne igitur, si duce Natura, frequentem aliquando etiam Gentilium fuisse consuetudinem audiamus, osculo vt pacis indicio excipiendi in plateis sibi occurrentes? Sed hunc morem Ecclesia Catholicaque Religio in sanctum pacis osculum commutauit: vnde frequenter Apostolus; Salutate inuicem in osculo sancto. Quis nesciat quoque hinc ortum inter Christianos vsum, in sacrosancto Missæ sacrificio, ante sacram synaxim, osculum sibi mutuò porrigendi; vel saltem (sicut nunc vsus habet) signo pacis circumlato pacem, amorem, concordiamque testandi?

Ro. 16.

Verùm, an existimet aliquis, osculum habitæ tantùm pacis esse argumentum. Immò est & conciliandæ concordiæ symbolum: quo amicitia læsa, & perdita gratia restaurantur, & nouo quasi glutino denuò redintegrantur.

Nónne hoc, velut quodam ferrumine, Iacob & Esau fratrum corda discordia coaluerunt? Currens Esau obuiàm fratri suo, amplexatus est eum; stringensque collum eius, & osculatus, fleuit. Numquid & tu taliter Absalom patri tuo Dauidi, procurante Ioab, es cõciliatus? Tuque, fili prodige, Absalomo prudẽtior, numquid osculum recuperatæ apud patrem gratiæ accepisti, cùm supplex ei factus culpã es deprecatus?

Gen. 33

2 Reg. 14.

Luc. 15

Sed,

Sed, tertium oſculi boni genus expectatis? Religionis iſtud eſt, & venerandum; quo ſolent Chriſtiani Martyrum vulnera (vt Conſtantinus cicatrices Confeſſorum) quo & ſacras Reliquias, veſtes, memorias ac templa Sanctorum, réſve alias ſacras, oſculari: quo magnus erga eoſdem affectus exprimitur, debitus honor exhibetur, atque vtile nobis ambitur auxilium.

Tempúſne videtur, vt deteſtanda nunc oſcula perſtringamus? Agedum, hæc velut virga cenſoria curſim attingamus; noſtraque breuitate, deteſtanda te-
Pro .7. ſtemur. Obſcœnitatis ſit primum: quale quod impudens mulier iuueni in plateis arrepto fixiſti, in domum tuam mirâ ſuadâ pelliciens ac ſeducens. Horreſcite Chriſtiani; os enim, per quod Chriſtus ingreditur, deturpatis, dum impudico illud oſculo profanatis. Adulatorum ſit alterum, ambientium, ficteque
2 Re.15 adblandientium, & laudantium. Tali, tu Abſalom ambitioſe, ſtans in porta ciuitatis, omnem venientem apprehendens, oſculabaris; quando faſtuoſus & patrio ſceptro inſidiabaris & ſanguini. Sed quódnam poſtremum deteſtandorum oſculorum exemplum? Proditorium: quod tali nota à Sapiente ſignatur;
Pro. 27 Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta
2 Reg. 20. oſcula odientis. Hoc fuco, ſimulans pacem crudelis Ioab, ſic affatus es Amaſam; Salue mi frater: & tenuiſti manu dextera mentum eius, quaſi oſculans eum, & percuſſiſti eum in latere, atque occidiſti. Ta-
Matth. le fuit & tuum iſtud, ô infelix Iuda, oſculum, quo
26. Chriſtum tradidiſti: quando vſitato amoris indicio execrandum odium conſummaſti, vitæque ſigno mortem propinaſti. Iure, per virum ſecundùm cor tuum, de viro hoc peſtilente, Domine, taliter olim
Pſ. 40. expoſtulaſti; Homo pacis meæ, in quo ſperaui; qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.

Hor-

Horribile hoc fulmen Dominicum meritò illorum corda transuerberet, qui in viam Iudæ abierunt, quorum molliti sunt sermones super oleum, & ipsi sunt iacula: qui indignè quoque communicant corpori eius & sanguini; vt etiam, qui sub symbolis, rerumq; spiritualium prætextu, ceu fraudulento osculo, seducunt animas incautas & instabiles: præsertim hæretici, Verbo Dei, vt ore & osculo eius, abutentes, in Christi & Ecclesiæ destructionem: osculantes Biblia, & Christum prodentes. *Ps.* 54.

Oratio.

O Innocens Agne Dei, qui proditorem infandum in osculum proruentem non es auersatus, sed os in quo dolus inuentus non est, ori quod abundabat malitiâ placidè applicuisti, hostemq; tuum amici nomine compellasti: oro te per hanc tuam mansuetudinem, vt me indignum peccatorem, ad sinum tuæ misericordiæ recurrentem benignè suscipias. Amen.

8. MANVVM INIECTIO.

Nil ferrum, nil miles agis, nil turba satelles;
Nil nisi te nostri Christe triumphat amor.

Iud. 16 PHILISTHIIM super te, Samson! Iesu fortissime, ecce inuadunt te fortes, & quærunt animam tuam, quorum veloces pedes ad effundēdum sanguinem. Vbi nunc, ô impostores, genimina viperarum, vbi nunc sermo-
Matth. nes vestri fluentes vt oleum; Magister, scimus quia
12. verax es, & viam Dei in veritate doces? Siccine, quem priùs in sermone, & deinde per insidias citra strepitum in corpore conabamini capere, sed frustrà, nunc armata manu & violenter in illum irruitis? Irruistis, inuasistis, & comprehendistis tandem, fateor; sed quomodo? Non nisi quia permisit se capi. Et quo pretio, quóve pacto? Quo ipsemet voluit. Fatemini, licet inuiti; non priùs eum tenuistis, quàm posteaquam vos solo verbo eoque suauissimo ad vnum omnes fœdè prostrasset in terram.

Sed, audio lamentātes filias Ierusalem. Heu! tristis D
nuntius aures nostras diuerberat: eheu! Arca Dei
1 Reg. 4 capta est, & translata est gloria ab Israel. Vbinam es, anima mea? Siccine separet amara mors dilectum tuum à te? Curre; irrue tu quoque in manus illorum, vt vnà cum Iesu præda fias, & vel hoc modo ei vno eodemque vinculo coniungaris: scis etenim quòd illi adhærere bonum est. Quisquis interim salutis es proprię studiosus, attende quid egerint impij, & duos potissimùm inde tibi fructus decerpe: tum, quò diaboli technas inuasionemque deuites; tum quò tu vicissim Deo piè vim inferas, tibi vtili, ipsi verò grato officio. Nónne vides, qualiter hostis noster, istorum more, blandis nos primùm suggestionibus studet ad

pecca-

Nil ferrum, nil miles agis, nil turba satelles:
Nil, nisi te nostri Christe triumphat amor.

O Godt des hemels throon! o Heere der Heyr-scharen,
Siet, hoe sy ulden soon, met Wreedheit innebaren!

En vain, soldats, en vain taſches-vous de le prendre:
L'amour seul peut la main sur ce vaincqueur estendre.

peccatum illicere; omnia quæ boni, commodi, voluptatisque speciem aliquam præ se ferunt, obtendendo? Vndénam fiat alioqui, vt turpissima quęque velut pulcherrima oculis nostris depingat, amara ceu dulcia, damnosa vt vtilia, ardua velut facillima? Nónne sic caupo vinum vappamque suam laudat, & suas ieno merces? Quis istud in insanis amoribus, ebrietatibus, cædibus, inuidijs, apertisque periculis ac flagitijs non videt? Ecquis sine fucatis istis illecebris, vt hamis esca tectis, ad tam infanda prorueret? ne prorepere quidem. Non credis, irretite delicijs ganeo? huc adesdum, qui voluntariæ huius vesaniæ tam præfractus amator es. Vin, quod dixi, re ipsa cognoscere? Abijcito parumper, quà datur, peccati laruam; illudque in se nudum considera, interim dum fallacem illam ad peccatum inescationem non sentis: Deus bone; quàm tunc (scio) tibi horrendum videbitur, tale quid velle, quod laruâ detractâ tam fœdum est! Hæc itaque ars prima diaboli. Verùm, si non succedit? tunc, istorum more, vt miseram percellat animam, truculenter aggreditur; vim facit, irruit, vt vel tædio affecta se tandem dedat.

Quid hoc est rei? Caue tibi Ioseph, caue tibi Iuste, Christe caue tibi, caue tu quoque tibi, ô vnica columba mea: Ecce tibi impura illa, quæ te toties blanditijs irretire conata est; iam (nisi caueris) violentas in te manus armabit, tentabitque. Pallium potiùs huius mortalitatis in manus ipsius relinquito, quàm ei consentias. Salua res est: ita fecit Ioseph; ita fecit Iesus; tu quoque fac similiter. Audistin' anima mea consilium? exemplum vidisti? restat, vt speres auxilium; & euadas periculum. *Gen. 39*

Ecce, iam nunc turbo tibi nouus oboritur, qui & in constantem virum cadat; tot tamque horribilibus miserum mortalem circumuallat, tentat, & quassat diabolus machinis, vt nesciat propemodum quò se vertat. Clama cum Iesu in talibus angustijs constitutus;

Pſ. 61. ſtitutus: Quouſque irruitis in hominem, tamquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ? Eſto fidelis & certa bonum certamen: ne in te quadret hominis iam Iob 1. ſuperati depicta lamentatio: Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia: & pueros percuſſerunt gladio.

Sta fortis anima mea; nam ſicut Chriſtus capi non potuit à Iudæis, niſi priùs eis faceret poteſtatem; nullam ita poteſtatem in te habet diabolus, niſi ei conceſſeris. Recurre ad diuinum auxilium, quod hîc tibi ſpeciatim ex Chriſti infirmitate paratum eſt: ſe capi permiſit, vt tu euaderes. Ita paſtor bone, quoniam ſic placitum fuit ante te; vt animam tuam poneres, quò oues à faucibus lupi rapacis eriperes. Et interim tu quoque per reſurrectionem euaſiſti; naturam perdicis, quam ei indideras, imitatus. Audio ſiquidem, illam nunc volitando nunc ſubſidendo ſpem ſui aucupibus facere; vt interim, dum illi inſectandæ inſiſtunt diſtinenturque, pulli profugiant; & tum ſe quoque ſaluat inſidiatore fruſtrato:

Dic itaque quiſquis tentationum impulſibus ex-Tob. 6. terreris, dic inquam & clama cum Tobia piſcem grandem rictu patente inſilientem intuitus; Domine inuadit me. Præſenſque tibi datur conſilium: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. En tibi ſerpens antique tuas branchias, maxillas blandientes, malas ſuggeſtiones, & illecebroſa ſpiracula. Iſta apprehendimus, dum hoc modo nobiſcum tuas aſtutias animo comprehendimus; Tu diabole priùs blandiebaris, quaſi mihi (vt olim in paradiſo parentibus) benè voluiſſes, quaſi amicus, fautor, conſiliarius, & cauſæ meæ patronus: Et modò inuadis me, quærens animam meam? Non tibi aſſentior, ſed oppono; proque anima mea tuas artes proteram & vires, quà potero. Erubeſce diabole; ſic reſiſtendo confuſus, quaſi piſcis extra aquam tractus, in tentati venis poteſtatem; & præda prædæ tuæ factus, incipis palpitare.

At, quomodo (qui fructus ſecundus eſt huius myſterij)

mysterij) tibi Christe vim licito, grato, salutariqúe modo inferamus? Audio: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Credo; constanter, fortiter, & perseueranter illa obeundo, per quæ regnum illud acquiritur. Sed, nónne & Moyses tibi vim intulit Domine; vt diceres; Dimitte me? Nónne sic Chananæa te Christe concluſit tuis verbis, & vim fecit perseuerantiâ? Ita tu Iacob cum Angelo luctatus, contraque Deum fortis effectus, nomen Israelis obtinuisti: adeò vt roganti Angelo vt eum dimitteres, responderis; Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. *Matth.* 11. *Exo.* 32

Maioris quidem erat benedicere, se tamen is victum fatebatur. Ita igitur in Deum irruamus, non solùm vt verbum eius audiamus, sed & benedictionem ab eo, vt pignus hereditatis æternæ, accipiamus. Dic itaque cum sponsa; Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam eum. *Can.* 3.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, & Pater misericordiarum, qui Vnigenitum tuum pastorem animarum nostrarum percuti permisisti, & in manus tradi nocentium: da nobis per acerbam illam apprehensionem, ita aduersarij nostri vitare blanditias, & insultus tentationum superare; vt super illum triumphantes, liberis tibi mentibus seruiamus. Amen.

9. FVNES ET VINCVLA.

Vnde tibi liuent constrictis brachia palmis,
Inde tuus nobis vincula nectat amor.

QVID facitis, impij, ligantes pullum; quem ad vineam Domini Sabaoth melioribus nexibus ligauit omnipotens? Ligare Samson venimus, & tradere in manus Philisthinorum. Sic sapientes estis, viri Iuda, vt faciatis mala, benè autem facere nesciuistis? Iam nempe experti eratis, quòd aliquoties quasi concluſus euasisset, & transiens per medium vestrûm iuisset: itaque iam, pro sublimiori vestra prudentia Iudæque consilio, vt cautè ducatis, ligastis eum: quod quàm rigidè, crudeliter, & inhumanè feceritis, non valeat mens humana concipere. Ita scilicet cancrorum more in peius proficitis; literis quas didicistis, Scripturæ lectione quam profitemini, omnique qua vobis abundare videmini sapientia, abutentes.

Gen.49

Iud.15

Ier.4.

A

Sed te vinctum contemplans, mi Iesu dulcissime, rubore suffundor totus, ah! video, video, quid sit: Nimis liberè per hortum vagati sunt primi nostri parentes, nimisque licenter per illicita sensus suos euagari permiserunt: tuque ideò Domine, in horto vinculis voluisti constringi. Funes peccatorum nostrorum circumplexi sunt te; funes inferni circumdederunt te. Huc nimirum traximus nos iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri, peccatum.

Ps.118

2 Reg. 22.

Isa.5.

B

Verumtamen consolamini, consolamini peccatores, exules filij Adæ & Euæ, gementes sub onere catenarum; & tu quoque captiua filia Sion; quia mons gratię mons Oliueti vicinus est. Prępcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos,

Isa.25

C

D

& telam

Vnde tibi liuent conſtrictis brachia palmis,
Inde tuus nobis vincula nectat amor.

Deuv vvev banden ſtandt, daer ghy met vvaert ghebonden,
Schynckt vnǒ dev liefden bandt, vntſlaende' van vnǒ ſonden.

Ces liens qui vn iour le furent de ſupplice,
Qu'ils me ſoient d'amour, et iamais de iuſtice.



& telam quam orditus est super omnes nationes. Nescitis? Vincula ista posterioris Adæ, prioris vincula deuorabunt consumentque; & gaudebitis libertate, quâ Christus vos liberabit.

Interim, vt malo nostro doctiores euadamus, attendamus mysterium. Viden' vt Christus non solùm capi sed & vinciri voluit? ita tu, dum per peccatum in potestatem diaboli venis, te illi quodammodò alligatum existimes. A quo quis superatur, nónne seruus huius efficitur? Nunc igitur modum discamus, quo à malis vinculis absoluti, Christo melioribus alligemur; vt de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi; in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *2 Pet. 2* *Luc. 1.*

Numquid hunc in finem tria hîc vinculorum genera considerare est, primum peccatorum, dolorum alterum, & postremum charitatis? Audio peccatorem in Manasse de primo lamentantem: Incuruatus sum multo vinculo ferreo, vt non possim attollere caput meum: & non est respiratio mihi. En vt iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Audi id confitentem, sui accusatorem eximium: Mortifera suauitate trahebam catenam meam, solui timens; & quasi concusso vulnere, repellens verba benè suadentis, tamquam manum soluentis. *2 Par. 36.*

Contra hos funes peccatorum molesta vincula pati voluisti, Domine, & incomprehensibilis comprehendi, manusque vinciri quibus omnia continues & gubernas. Verè quidem de te (quod de Abner Dauid) dici poterat; Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui compedibus non sunt aggrauati. Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner: sed quia ferrum peccatorum nostrorum ascendit super caput tuum, virtus quasi de te exiuit, & infirmatus es; & (Samson licet) capi, teneri, ligarique potuisti. Ecce, quàm rectè id tibi in Propheta tuo præaptasti: Et tu, *2 Reg. 3.* *Iud. 16*

Ezec. 3 fili hominis; Ecce, data sunt super te vincula: & ligabunt te in eis; & non egredieris in medio eorum.

Sed, benè habet; gaude & exulta anima fidelis; *Ps.* 15. quia ceciderunt tibi funes in præclaris; etenim hereditas tua præclara est tibi: nam tota peccatorum tuorum moles, vt ciuitas iniquitatis, funibus hisce sponsi circumdata in torrentem passionis eius detrahetur, vt non maneat in ea lapis super lapidem. Te- *2 Reg.* stem quæris? Audi Isaiam canentem: Munimenta *17.* sublimium murorum tuorum concident, & humilia- *Isa.* 25. buntur, & detrahentur in terram, vsque ad puluerem. Plura desideras? Vide in his vinculis vetera in- *Gen.* 38 nouari mysteria. Christus, vt Zara, oriens & splendor Patris, manum protulit; Synagoga Iudæorum, vt nostræ salutis obstetrix, coccinum rubricatorum in sanguine agni vinculorum alligauit: & (mirabile!) Pharez, homo qui se à Deo per peccata diuise- *Gen.* 42 rat, liber euadit. Vis aliud? Simeon (obediens scilicet) in medio fratrum suorum ligatur, ipsi verò li- *1 Reg.* beri dimittuntur. Quid amplius? Centum ligaturis *25.* vuæ passæ, in Christo passo, placatur iratus Dauid ab Abigail: & solo percusso à Deo Nabal stulto, veteri homine; saluatur familia. Quid adhuc egemus testibus?

O admirandam vinculorum Christi Christiique vincti potentiam! His siquidem, non solùm vincula peccatorum nostrorum dirumpit; sed & portas æreas, & vectes ferreos confringit. Artem & vim nosse desideras? Attende penitiùs. Dum funibus his, fortior Christus, propter peccata nostra, ligatus fuit; eodem quasi peccatorum nostrorum fune nobis fuit alligatus. Dumque nos hoc fune constricti ad damnationis lacum, ab eo qui nos vicerat, trahebamur; Christus contrà vt fortior trahens, nos secum (ad crucem quidem) sed inde ad cælum pertraxit. Nónne *Ioan.* 12 ita prædixerat? Cùm exaltatus fuero à terra (tractus per hortum, per plateas, per palatia, per viam, vsque

ad

adCrucem)tunc omnia traham ad meipsum. Ita optimè, ars vt artem falleret. Sic enim, tu Lucifer, tertiam tecum stellarum partem traxisti, angelorum videlicet tibi per conspirationem colligatorum. *Apo.12*

Gratiæ tibi, Iesu; promissum implesti: Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis; & nescierunt quòd curarem eos. Ideò addis; ac si dicas; Scio, quid faciam: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Vincula dolorum Christi, vincula charitatis effecta sunt; quibus nos illi alligemur. Sic G exploratores Iosue per Rahab fune sunt liberati; nam per funem de fenestra demissi sunt: salusque fuit ipsi Rahab & amicis eius funiculus coccineus eidem fenestræ alligatus. Hic est, ô Christiane, funiculus argenteus vitæ sanctæ, vt vittæ aureæ. *Osee 11* *Ios. 2.* *Eccle. 12.*

Oratio.

DEus, qui semitam nostram & funiculum nostrum inuestigasti, & omnes vias nostras præuidisti; per acerba Filij tui vincula deprecamur, nostrorum absoluas vincula peccatorum, vt eidem per vincula charitatis alligati, à te numquam separemur. Amen.

10. PETRI NEGATIO ET LACRYMÆ.

Petra fluit lacrymis: amor an dolor extudit illas?
Et dolor, & veri vena doloris amor.

Nũ. 20 LOQVIMINI ad Petram, & illa dabit aquas. Audite rebelles & increduli, (impœnitentes audite:) Numquid de Petra A
hac vobis aquas poterimus eijcere? Ecce,
Isa. 35. ecce: quomodo, quæ erat arida, facta est in stagnum,
& sitiens, in fontes aquarum! Dirupit petram, & fluPs. 104 xerunt aquæ, & abierunt in sicco flumina. Sed quid
Ier. 9. audio? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis
fontes lacrymarum? Vóxne ista indigentis est, & cui
desint aquæ ad ploratum? Nequaquam; sed tam vbertim lacrymantis, vt vix fontes & flumina ad miseriam
suam deflendam sufficiant.

Sed, quis percussit hanc Petram, vt sic fluxerint aquæ? Radij oculorum tuorum piissime Domine. Respexisti negantem, ictus exiit foras, & fleuit amarè. Verùm quomodo radijs solis Iustitiæ Petra hæc quasi cera liquefacta est? Nix erat effectus præ frigore, qui
Ier. 18. paulò antè plus æquo ferbuerat. Numquid deficiet de petra agri, nix Libani?

At, liceat mihi (ô Petre) tecum flere amarè, quia nequit cor meum (vt debet) Iesum amare. Refrixit charitas, & adhuc magna me tenet ariditas. Negaui Creatorem frequentiùs, dum creaturas eius dilexi ardentiùs: & necdum fluunt lacrymæ, etiam petrâ cordis mei percussâ multoties. Iesu labentes respice. & nos videndo corrige: Si respicis, lapsi stabunt, fletuque culpa soluitur. At, video; foras exeundum mihi; malum consortium deserendum, exuenda naturæ corruptio, antiquæ consuetudines relinquendæ;
& fluent

PETRI NEGATIO, ET LACRYMÆ.

Petra fluit lacrymis: amor an dolor extudit illas?
Et dolor, et veri vena doloris, amor.

Weent ſiel, ſonder ver-haet, met Petro, iae veel meer:
Want ghy meer dan dry-mael, verloochent hebt den Heer.

Pierre, ceſt un rocher; ſes yeux ſont chantepleures:
Boy de ſon doux-amer, qu'en peché tu ne meures.

& flent aquæ : amaræ quidem , ſed tandem hic fluminis impetus lætificabit ciuitatem Dei.

Venite vos interim plus æquo de vobis veſtriſque virtutibus ſentientes , altum ſapientes , veſtraque in fortitudine confidentes. Videte nequando Chriſtum ideò negetis , quia non ſatis veſtræ infirmitati timetis. Venite;& alieno docti periculo,in Petro negante confirmamini. Quid egit? quouſque prolapſus eſt? quídve illum huc impulit? Ter , gradu quodam , ſuperbè præſumſerat : ter fœdè de gradu labi permiſſus eſt;& primò quidem negando ſimpliciter, deinde cum periurio, poſtremò cum deteſtatione. Atq; ideò ter poſteà rogatus, toties ſe Dominum amare confeſſus eſt.

Aſt vbi , mi Petre , negabas Ieſum ? non in monte, non in Templo , non in domo tua, nec in cænatione; ſed in atrio Iudæorum , in domo Principis ſacerdotũ, vbi non erat Veritas , vbi Chriſtus captus & ligatus; vbi ancilla oſtiaria præerat foribus ; atque ita ancilla quoque tua , per illam circumuenta , malè cuſtodiuit os tuum. Hinc paulò minùs habitaſſet in inferno anima tua. Sed reſpexit te Dominus , & miſertus tui , te in pedes erexit.

Erigimini puſillanimes, & ſtatuite in hac Petra reB ſtituta pedes veſtros. Videtis, vt propterea Ioſue noſter,Ieſus Chriſtus, lapidem hunc grandem in Eccleſiæ ſanctuario erexit in titulum ; ne vmquam vlla occaſione Dominum abnegetis ? Voſmetipſos potiùs abnegate,vt Chriſto digni inueniamini. *Ioſ. 24.*

Quærit quis modum? Quòd ſi te mundus alliciat, ſi caro blandiatur , ſi tentet diabolus , ſi pro innata obſeruataq; natura peccatum fores pulſare præſumat, ſi pro veteri ſatis nota conſuetudine ſodales inuitent, ſi denique ad priſtinam malę vitę veſaniam te prouocet voluptatis illecebra;abnega temetipſum:dic,edic; Non ſum. Illúmne non poteris imitari? qui occurrẽti iuuẽculę, qui cum fortè pluſculum olim familiaritatis habuerat,iterumque iterumq; ſe eius conſpectui

exhibenti, dicentiq́ue tandem, Non me nosti? ego sum illa : credo, inquit, sed ego non sum ille. Quis erat ergo ? mutatus ab illo in alium : ideoq́ue se, qualis olim fuerat, abnegabat.

Heb.11 Nónne & Moyses grandior factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi? Etiamsi igitur mundus tibi vniuersus adblandiretur, regnumq́ue promittens diceret; Nónne filius meus es tu? Responde; Non sum. Nónne heres ? Responde ; Non. Amator es tu ? Non. Ciuis ? Non. Quis ergo es tu ? vt responsum demus his, qui miserunt nos ; tenebrarum principibus, tentatoribus. Confitere, nec hoc nega:

Ioã.1. Confitere, quia viuit in me Christus ; & vetus homo sepultus est cum Christo in Deo.

At, si idola quæ colui, ideęq́; conuersationis antiquę recurrant, méq; eumdem prorsus esse qui fui conuincant; & ob id exhibiti quondam seruitij ius cultumq́ue solitum reposcant ; quò me vertam ? quid agam miser deprehensus ? quomodo me expediam ? Nega constanter obsequium, cultum detrecta, & in tui abnegatione persiste. Adeoq́ue contritis omnibus idolis, ad

Sap.12 Dominum Deum tuum toto corde conuertere : Illumq́ue quem olim negabas te nosse, verum Deum confitens, dic illi ; Dominus meus, & Deus meus.

Mat.10 Redite vos quoque ad cor, peruersi dogmatis fabricatores, Hæretici. Terreat vos, vestri similium terribilis exitus; quos se coram Patre suo negaturum interminatur Christus, qui ipsum coram hominibus negauerint. Seq́ue pulsantibus clamantibusq́ue Domine

Mat. 7 Domine aperi nobis, dicturum, Numquam noui vos ; discedite à me omnes operarij iniquitatis. Negauit quidem Petrus Christi personam, seq́ue eius discipulũ; fidem verò Christi non negauit. At vos & Christum & fidem eius negatis, ac opinionum vestrarum idola sectamini. Gallo canente conuersus est Petrus, vos verò nec ad Ecclesiæ totius vocem conuertimini.

Vibret

Vibret idcircò per animam veſtram ſeuera illa Gabrielis ſententia; quâ de Chriſto futuro Iudice, ſic pronuntiat; Non erit eius populus qui eum negaturus eſt. Cum gente igitur peccatrice, & populo graui iniquitate ac ſemine nequam, æternæ combuſtioni mancipabimini. *Dan.9* *Iſa.1.*

Oratio.

DEus humilium celſitudo, & fortitudo debilium, confirma, quæſumus, quod in nobis es operatus; vt noſmetipſos & ſecularia deſideria abnegantes, te in nullo negemus; ſed fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vitæ fateatur. Amen.

11. ALAPÆ ET COLAPHI.

Quæ mites violare genas, te cædere Christe
Quæ potuit, certè ferrea dextra fuit.

Ier.2. OBSTVPESCITE cæli, & portæ eius desolamini vehementer. Numquid seruus est Iesus aut vernaculus, vt alapis & colaphis more mancipij tractetur ab impijs?
Ioã.18 Vnus assistens ministrorum Pontificis, dedit alapam Iesu. Exhorrescat cælum, & contremiscat terra; quia
Apo.16 verè hodie terræmotus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerũt super terram. Sed benè habet: Terra tremuit, & quieuit, cùm staret in iudicio Deus. Tremuit in infirmitate, sed quieuit in virtute, & fructus vbertate.

Vbi tamen eratis Angeli, Principatus & Potestates, Virtutes & Dominationes, vt tantum scelus à Domino Exercituum non auerteritis? An obstupuistis &
Hab.1. vos, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur? Sed quare non saltem immanis ille percussor (& quidem Malchus, vt existimant aliqui) non statim vel ictus est fulmine, vel igne cæleſti consumptus, vel terrâ dehiscente absorptus? Numquid Oza nutãtem tangens Arcam, eodem loco percussus interijt; vnde & ipse locus, Percussio Ozæ nuncupatur? Iste autem scelestus percussit Christum (& plusquam Arca hic) & toleratus est. Quid in caput huius non poterat per potentiam, per quem factus est mundus; nisi patientiam nos maluisset docere, per quam vincitur mundus?
Ro.11. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Dic itaque tu, mi Domine Iesu; Quid est hoc

quod

ALAPÆ ET COLAPHI.

Quæ mites violare genas, te cædere Christe
Quæ potuit, certè ferrea dextra fuit.

Staet vast, o slavey darh! maer sondaev, wilt ghy beuey:
Want eeney swarey slagh, weert Gode vny u ghegheuey.

La main, qui tellement t'a buffetè la ioüe,
Par ce coup vrayement dure et de fer s'aduoüe.

quod facere voluisti? Neque indigneris quæso, quòd loquar ad te Dominum meum, cùm sim puluis & cinis: nam indignis illis & ministris & Dominis locutus es, suam ipsorum illis ostendens iniustitiam, tuam verò innocentiam inuictâ iuris ratione contestans: Hac ignominia ego Dominus ac magister omnium, à vili mancipio affectus, ignominiam primæ præuaricationis Adæ (mundi tunc domini à me constituti) expiare volui, quam à vili serpente persuasus accepit; & vobis singulare præbere exemplum, iniuriæ & ignominiæ pro nomine meo tolerandæ. *Gen 18.*

Gratiæ tibi immortales Iesu fortissime, quia præter hæc (scio) etiam nos ab æterna damnationis ignominia liberasti, & contra spiritum satanæ nos colaphizantem fortes effecisti. Gratiam ad id sufficientem licet indignus imploro, vt tanti beneficij ac documenti non tantùm sim memor ad gratitudinem, verumetiam imitator existam ad salutem.

Attendite igitur mecum vniuersi fideles, quid excusationis habituri sumus si hac in parte fuerimus negligentes? Numquid Propheta Michæas olim à Pseudopropheta Sedecia in maxillam percussus æquanimiter tulit, dum coram Achab rege Israel & Iosaphat rege Iuda veritati testimonium perhiberet? Numquid & Isaiam audimus in persona Christi talia præferentem & prædicentem; Posui faciem meam vt petram durissimam; Ita & Ieremias; Dabit pecutienti se maxillam. *3 Reg. 22.* *Isa. 50.* *Thre. 3*

Sed & tu Iob patientissime, nobis in te adumbra patientiæ huius exemplar, in Christo Christianis omnibus hîc expressum. Quî se habuit erga te hostis tuus? Collegit furorem in me; & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua; & exprobrantes percusserunt maxillam meam, & satiati sunt pœnis meis. *Iob 16.*

Sed an fortè quempiam ad Christi imitationem similia

similia passum audire desideras? Sanctum Paulum at-
Act.23 tende: nónne de hoc sic legimus? Princeps sacerdo-
tum Ananias in Concilio præcepit astantibus sibi, per-
cutere os eius: cui & respondit: Tu sedens iudicas me
secundùm legem, & contra legem iubes me percuti?
Nónne & sanctos audimus in contumeliam colaphis,
alapis, palmis & pugnis in faciem fuisse percussos?
id testantur ipsorum martyria.

Audite Christophorum, à Samiorum Præfecto
percussum colapho, Christianæ patientiæ legem alle-
gantem: Repercuterem te (inquit) nisi Christianus
essem.

Nónne & S. Bernardus à quodam improbo reci-
piens alapam, benignè respondit; Oportet ignosce-
re; cùm toties ignoscat mihi Deus. Dictum patientis
Apostoli, nos ad eiusmodi victoriam animantis, alta
mente conseruemus: Colaphis cædimur: Item; Sus-
tinetis, si quis in faciem vos cædit.

Sed ad te iterùm recurro velut ad omnium bono-
rum fontem, benignissime Domine, qui & perfectissi-
mæ patientiæ abundas exemplis, & copiosam largiris
gratiam ad imitandum. Te namque Dominum vni-
uersæ creaturæ, non solùm tamquam seruum con-
temptibilem colaphizauerunt, sed & sacrilegas manus
talibus nondum satiatas, etiam ad barbæ genarumque
vellicationem extenderunt: illudque impletum est:
Isa.50. Genas meas dedi vellentibus.

O verax & pie Domine! quænam anima tibi de-
uota hæc audiens non ingemiscat, valeátve se ab imo
cordis dolore continere? Et meritò quidem: sed quid
hoc, nisi tanto docti exemplo quidpiam pro te susti-
nere nouerimus? Quid ad hæc peccatores, impatien-
tes, vindictæ cupidi dicemus, Domino sic nos increpante: Percutitis pugno impiè; nec tantùm hominem,
Isa. 58 sed & me quoque? Nónne sic facimus, dum malum
pro malo reddimus? dum læsi malè imprecamur?
dum alijs offendiculo sumus? dum in conspectu Dei

pecca-

peccamus impauidi? Quid vltrà? Etiam dum verbis Deum confitemur, factis autem negamus; dum eodem ore Deum laudamus, & detrahimus ac maledicimus proximo; dum indignè corpori Christi communicamus.

Audis itaque anima mea? audis Christiane? Disce patientiam, charitatem; & in maxilla percussus, alteram potiùs præbe quàm repercutias. Christus id, vt docuerat fecisset, si maius inde bonum speraſſet: satis erat animo ad id paratum fuisse. Itaque à Deo siue in corpore, siue in spiritu, siue etiam in temporalibus afflictus, colaphum te paruum, sed amicum, accipere cogita, manumque tibi imponi, quæ percutit & sanat, per quam omne animal benedictione impletur, quæque sempiternam tibi coronam gloriæ est datura.

Oratio.

MEntis nostræ, quæsumus Domine, elide superbiam, & per Vnigeniti tui colaphizati mansuetudinem concede propitius, vt omnem iniuriam tolerantes, valeamus animas nostras in patientia possidere. Amen.

12. CONSPVTATIO.

Quò scelus, ô! etiam cæli sputamus in ora,
Cùm profligatus soluerit ora pudor.

VENI, veni, anima mea; venite fideles vniuersi, quotquot amore dilecti tangimini, planctumque communem facientes, dicite; Quomodo obscuratum est aurum! *Thre.4* mutatus est color optimus! Adeste vos quoque cælestium chori, videte, & dicite nobis; Hiccine est in quem, vt audimus, desideratis prospicere? Id tu Apo- *1 Pet.1* stole Petre professus es nobis; ades itaque & tu, vultumque eius contemplare penitiùs, & dicito, Hícne est ille, quem in monte Thabor vidisti, quando speculator ipsius gloriæ fuisti, quando facies eius refulsit sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba velut nix? Veni tu quoque Dauid sancte, & vide, an hic est Christus quem descripsisti nobis, illumque salutans à longè, exultansque in spiritu, gratulatorium illud *Ps. 44.* ipsi cantasti elogium? Speciosus formâ præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis; propterea benedixit te Deus in æternum. Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Et ecce, omnia hîc contraria conspicimus. Non est species ei *Isa.54.* neque decor; desiderauimus & vidimus eum, & non erat aspectus.

Heu, heu, Domine Iesu; quàm fœdum, abominabile, & exsecrandum quid est, (si quid est) peccatum; cuius gratiâ omnis tibi deperijt gratia, & vultus tuus, quem prædictum est deprecaturos omnes diuites plebis, omnes reges terræ, sic à viliſſimis hominum est deformatus! Ecce tu pulcher es, sed defœdatus; verè speciosus præ filijs hominum & formosus, sed peccatis vt sputis hominum deformatus. Non

solùm

Quò ſcelus, o! etiam cæli ſputamus in ora,
Cum profligatus ſoluerit ora pudor.

Wanneer ſal t'hoogh vermoen, van booſheit hem weer-houden?
Want, wie booſheden doen, Godt ende hemel be-ſpouwen.

Ah! foudre, ceſſes-vous, a ce crachat infame?
Et ne le craindon-nous, quand nous luy diſons blaſme?

ſùm enim cõſpuerunt in te, verumetiam exſcrean-
ſ ſpurciſſimi in te exſpuerunt. Ecce quomodo in
nunc comprobatum videmus, quod aliquando
xiſti; Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & *Mat.15*
coinquinant hominem. De corde enim exeunt
gitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicatio-
es, furta, falſa teſtimonia, blaſphemię: hæ ſunt, bone
ſu, ſordes & ſputa quę coinquinant hominum con-
ientiam, vt vultum tuum delectabilem. Ideóque
ud in Propheta tuo præfiguraſti, & prædixiſti: Fa-
em meam non auerti ab increpantibus & conſpuen- *Iſa.50.*
bus in me.

Egregiam verò vos laudem reportatis Iudæi ne-
ndiſſimi, dum hac tam infami notâ inſignimini, vt
roprium vobis eſſe teſtetur vniuerſus orbis, ita in
õtemptum & vituperium alicuius in faciem ſpuere,
t putidis veſtris ſordibus eam oppleatis: quo vilem
c abiectum hominem facto tali declaretis: vt qui non
ſolùm loco ſordidiſſimo ſit comparandus, in quem
hlegmata & exſcreationes conijciantur, verum-
tiam qui inſtar huiuſmodi ſordium, è cœtu homi-
ium, velut è corpore, ſit proijciendus. Quod ali-
quando tam confertim turmatimque feciſſe vos fer-
ur, vt nonnumquam miſeros ita homines ſuffocaue-
ritis. At, quomodo in veſtrummet caput hæc ſputa
reciderint, declarat euentus: cùm non ſolùm Deo &
angelis eius, ſed vniuerſo quoque mortalium generi,
facti ſitis abominabiles & extorres. An immeritò?
Nónne qui ponit in cęlum os ſuum, Deoque blaſphe-
mus iniuriam irrogat, in eius recidit faciem, quod
proteruus in altum exſpuerat?

Sed tu, Chriſte Ieſu, dilecte fidelium ſponſe ani-
marum, deſiderium collium æternorum, regum an-
gelorumque deliciæ, non ob hæc ſputa minùs Deo
Patri dilectus es, in quo ipſi benè complacuit: & pro-
ptereà nihilominùs adoleſcentulæ diligunt te, cur-
runtque in odorem ſuauitatis tuæ. Vultum tuum re-

quirunt,

quirunt, quia facies tua decora. Non enim in ea
Nu. 12 ſpuit pater tuus, vt cum murmuratrice ſorore Moyſ
Deut. lepra percuſſa, debeas vel ad momentum rubore ſu
25. fundi. Neque in vultum tuum, velut in hominis di
calceati & degeneris faciem eſt conſputum, quemad
Ruth 4 modum Ruth legis inſtinctu feciſſe cognouimus
Can. 7 Nam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, ſpecio
ſique pedes ſandalijs pręparatis in euangelium paci
vt exultares ſicut gigas ad currendam viam; eſſentqu
veloces pedes ad effundendum ſanguinem, obedien
dumque Patri vſque ad mortem, mortem autem cru
cis. Et, nónne is (quo maior inter natos mulierum, t
teſte, non exſtitit) dignum ſe negauit, qui ſoluere
corrigiam tui calceamenti? Non enim veneras ſolue
re, ſed adimplere. Vt nec diſcalceatus, ita nec degene
es inuentus: ſed ſemen fratris tui demortui ſuſcitaſti
Iſa. 53. domumque eius ædificaſti; datumque tibi eſt pro
ptereà ſemen longæuum: & ſicut in primo homin
omnes moriebamur, ita in te filio hominis omnes vi
uificamur.

Verùm, hoc eſt quod feciſtis impuri ingratique Iu
dæi, dum in illum exſpuiſtis quem exoſculari, cuiu
pedes pedumque puluerem, quod faciunt Reges
lambere debebatis; hoc eſt, inquam, quod in Iob ex
preſſum legiſtis, & figuræ menſuram adimpleſtis
Iob 30. Abominantur me, & faciem meam conſpuere non ve
rentur. Sed quinam illi? quonam penicillo tu illos de
pinges, vir Dei? hîc vos ipſos Iudæi velut in ſpeculo
contemplamini: ſic enim legimus: Filij ſtultorum &
ignobilium, & in terra non parentes; indigni ſcilicet
quos tellus ferat, aut videat ſol.

Gaudete, iterùm dico, gaudete vos interim Chri-
ſtiani, veri Chriſti conſputi diſcipuli. Nónne per
ſputa hæc abominanda, facta ſunt diaboli vincula
ſicut filum de ſtuppa tortum ſputamine, non vni Sam-
ſoni ſed pueris frangi facillima? Numquid hinc etiam
ſputum Chriſtianorum contra ſerpentis antiqui virus
& ten-

& tentationem factum est efficax ? Si exspueris super eam, exstinguetur. Numquid & morbos curat & idola confringit ? frustráne confectum ex sputo lutum oculos cæci nati restituit, mutorum linguas saliua dissoluit, & rectè loqui fecit ? Sic non abs re sacro fonte tingendis organa sensuum saliuâ tanguntur, inbenturque adaperiri; quo declaretur, illa eadem sapientiæ & gratiæ rore, à Deo ceu capite descendente, respergi. *Eccli.* 28.

Agedum itaque, anima Deo deuota, sputorum vilium fructum pretiosum, quasi apis argumentosa colligito: tu verò, noli vmquam facto, verbo, vel cogitatu, nec superiorum contemtu, neque diuinæ gratiæ neglectu in Christi faciem spuere; conscientiam tuam contaminando, in qua Christi imago debet relucere. Illam potiùs semper & vbique magnopere venerare; speciatim quando ad orandum, eiusque sacrosancto corpori communicandum, te componis.

Oratio.

IEsu dulcissime, qui immundis Iudæorum sputis speciosissimam faciem tuam maculari permisisti; da nobis, quæsumus, vt numquam in nobis vultus tui imaginem inquinemus; sed nouo semper virtutum splendore, dignam tuo conspectu reddamus. Amen.

13. FACIEI VELAMEN.

Linea cur texit rutilum nubecula ſolem?
Fallor? an his oculis temperat acre iubar?

3. Reg. 10. QVÆNAM hæc iterùm noua rerum facies? Faciem illam, Iudęi, velatis, quam vniuerſa terra, pluſquam vultum Salomonis, videre deſiderat? Hoccine nobis ſignum dediſtis, Angeli, cùm ortu eius eluceſcente, nox ſicut dies illuminata eſt, & dixiſtis; Inuenietis infantem pannis inuolutum? Nequaquam; illis namque deuotè pia mater inuoluerat; nunc autem maligni homines eundem obnubilant, faciemq; ipſius ſole ſplendidiorem obuelant. Noui te tamen Ieſu, licet velatum, tot iam antè ſignis & vaticinijs à Patre reuelatum, & propria miraculorum luce velut radijs illuſtratum. Illuſtra nunc quoque faciem tuam ſuper ſeruum tuum; & ſaluum me fac in miſericordia tua. Igniculus quidem
2 Mac. 1. amoris erga te mei, in alto & ſicco cordis mei puteo abſconditus, in aquam craſſam conuerſus eſt; ſed, cùm reſplenduerit ſol, qui nunc eſt in nubilo, accendetur ignis magnus, ita vt omnes admirentur: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo, Domine.

Rom. 1. At, quomodo vos, natio praua & exaſperans, euanuiſtis in cogitationibus veſtris, & obſcuratum eſt inſipiens cor veſtrum; quando ſolem iuſtitiæ, ſedẽtes in tenebris & vmbra mortis, ſtulti, vobis obſcuraſtis! Nónne hunc patres veſtri exoptarunt, rogaruntque diſrumperet cælos potiùs quàm venire tardaret? & vos inſipientes exortum abſconditis. Meritò propterea manet vſque modò velamen hoc ſuper oculos &
2 Cor. 3 corda veſtra: neque auferetur à vobis, donec ſub finem mundi ad mentem redieritis, conuerſíque fueritis. Sed quid egiſtis, quid voluiſtis, miſeri, dum cernentis

Linea cur texit rutilum nubecula ſolem?
Fallor? an his oculis temperat acre iubar?

Hoe vallen-Wy ſoo tvrotò in booſheit, ſonder ſchaemte?
Dit kleedt heeft d'aenſchyn Sodtò, ghedeckt tot vnſer blaemte.

Couurès d'un voile obscur les rais de ſon visage:
Voſtre oeil n'eſt aſſès pur, pour le veoir ſans nuage.

nentis cuncta vultum velastis ? An fortè speraſtis hoc facto, fore, vt ipſe ſcelera veſtra non videret, quò liberiùs inſaniretis? fallimini; nihil opertum ipſius oculis, ſed nuda omnia. Dicam ego, quid egeritis. Vt faciei, ita quoque gratiæ eius vobis ipſi conſpectum ademiſtis veſtro velamine ; ne radij eius ad corda veſtra occæcata penetrarent. Credo, ſplendorem amœnitatemque vultus ipſius, ad amorem vos potiùs quàm ad odium prouocantis, ferre nequiuiſtis, immò neque voluiſtis; quia malitiam veſtram in eum ad ſatietatem explere malebatis.

B Nónne iſtud olim in patribus veſtris & Moyſe prę-figuratum audimus? Dum ſiquidem faciem eius, poſt fractas ardenti zelo tabulas, iterato diuino colloquio radiantem ferre non valerent ; velamen ſuper faciem ſuam ponebat dum eis loqueretur; quod cum Deo locuturus deponebat, vt cui ſit nihil abſconditum: Omnis enim vir orans vel prophetans velato capite, deturpat caput ſuum. *Exo. 34* *1 Cor. 11.*

Aſt vbi, tu, ſponſa dilecti tui? an mœres abſcondita, quia faciem eius ad modicum tempus non vides ? Dic illi, licet etenim: Cur faciem tuam abſcondis? arbitraris me inimicum tibi ? Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram. Ne auertas faciem tuam à me : quin potiùs; Reſpice in me, & miſerere mei : oſtende faciem tuam, & ſalua ero. Quòd ſi tamen tardauerit aliquantulum; ne propterea deſpondeas animum, neque mœrore te confice ; ſed ſpera, & ſuſtine; non te deſeret neque derelinquet in finem. Ideò namque velari voluiſti, Domine; vt velamine faciei tuæ, velamen culpæ & ignorantiæ à cordibus noſtris vt præputium auferres, vultuſque tui dulcedine ſolareris. *Iob 13.* *Pſal. 26 24.*

Tu interim, quiſquis es, Chriſtiane, noli eſſe quaſi qui velamen habent malitiæ, libertatem; ſed vela oculos tuos ne videant vanitatem : curioſitatem refræna; tibique dictum exiſtima ; Quid ad te ? Et, ſi quando

per incautum adſpectum peccaſti; corrige: ſcriptum-
Gen.20 que memineris, quod Abimelech rex Geraræ dicebat C
Saræ; Ecce mille argenteos dedi fratri tuo (Abrahæ nimirum qui ex condicto ſororem ſuam vocarat Saram) hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt. Et quocumque perrexeris; memento, te deprehenſam: ſingulari oculorum cuſtodiæ monimento.

Sed, ad vos iterùm recurro, Iudæi. Non recordami-
Dã.13 ni, quòd Suſannæ faciem in iudicio ſtantis, diſcooperiri iuſſiſtis (erat enim præ pudore & verecundia cooperta.) Et hîc amœniſſimam Chriſti faciem obtexiſtis. Videtíſne in vtroque facto nequitiam? Vt in illius amorem, ita in huius odium exarſeratis: ideoque, quemadmodum Suſannæ decore pro veſtra libidine ſatiari voluiſtis; ita vultus Chriſti ſerenitate timuiſtis odium veſtrum inardeſcens exſtinctum iri. O nefarij! Semen Chanaan, & non Iuda!

Videte iam ſi vultis, an non rectè præceperit Do-
Exo.40 minus Moyſi, vobis in teſtimonium, & Chriſto in figuram: Pones in tabernaculo arcam; demitteſque D
ante eam velum. En, vt hoc velo ingreſſu & adſpectu Sanctiſanctorum arcebamini, à cæleſti quoque tabernaculo non manufacto ſecludendi. Sed & lex ponebat obſtaculum vobis veſtríque ſimilibus. Vir qui
Leu.21 habuerit aliquam maculam & defectum (quibus eſtis oppleti) intra velum non ingrediatur.

Nónne ſimiliter, dum in deriſum, Chriſti faciem velauiſtis, portentum illud vetus vobis datum inno- E
Eze.12 uaſtis? Numquid Ezechiel, filius hominis à Deo ſpeciatim appellatus, Chriſti filij hominis adumbrans figuram, iuſſus eſt à Domino ſupellectilem (migrantis in modum) efferre, perfoſſóque pariete humeris alienis velata facie exportari? Quia portentum dedi te domui Iſrael (inquit Dominus.) Siíque rogauerint; Quid tu facis? Dic; Ego portentum veſtrum. Quomodo feci, ſic fiet illis: in tranſmigrationem

nem ibunt. Quid ad hæc, Iudæi, illusores? Porter-túmne vestrum Christus velatus? Quid portendit? Quod audistis. Vos omnesque consortes vobis, in peccatis obduratos, Christi faciem sibi modò velantes, faciem eius numquam visuros in cælis.

Recede anima mea, à tabernaculis istorum; dic & clama: Christe, qui lux es & dies. O lux, quam videbat Tobias, cùm cæcus effectus, secundùm voluntatem tuam secum fieri, suumque spiritum in pace recipi postulabat! O lux, quam videbat cæcutiens Isaac, quando te in filio suo Iacob exosculans, odorem tuum, sicut agri pleni, prædicabat! O lux, quam videbat Ionas, cùm in ventre ceti dicebat; Ego abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. Reuela quoque oculos meos, ô lumen cordis mei! & considerabo mirabilia de lege tua.

Oratio.

DEus, qui vestis cælum nubibus, & solem tuum super iustum & impium oriri facis: da quæsumus, vt lumen vultus tui, quod super nos signatum est, numquam obscurari permittas, sed per velum quo Christi tui facies fuit contecta, reuelata te tandem facie videamus. Amen.

14. ILLVSIONES.

O homo! quæ facies tot fert ludibria, Auerni
Horror, amor terræ, deliciumq; poli est.

Gen. 3. ECCE, Adam quasi vnus ex nobis factus est: ita non solùm primus parens noster diuinæ maiestati se risu dignum effecit, cùm à serpente diuinitatis consortium pollicente delusus, iumentis insipientibus est comparatus; verumetiam, tu Iesu mitissime, tantæ temeritatis remedio, te deridendum hominibus tradidisti.

Postquam siquidem in Concilio malignantium, audito sacerdotis imperio; Patrisque cælestis auctoritate, per quam te adiurabat, vt diceres, si esses Christus Filius Dei benedicti, non abnuisti; sed asseruisti, fore, vt & ipse Sacerdos eiusque Collegæ aliquando id essent confessuri; præsertim cùm te à dextris Virtutis Dei sedentem, venientemque in nubibus cæli, ceu iudicem essent conspecturi; iamque omnium vocibus in caput tuum, vt blasphemi in Deum, conclamaretur; Reus est mortis: tunc cœperunt in te conspuere, sacrosanctam tuam faciem velare, colaphis cædere; tibique illudentes dicere; Prophetiza nobis Christe; quis est, qui te percussit? & alia multa blasphemantes in te profundebant.

Sed, an opus habes, Domine, vt quis te interroget vel dicat tibi? Nónne tu optimè nosti omnia, qui tãta cum prouidentia cuncta prędixisti, tantaque cum attentione & patientia singula pertulisti? At mihi tantùm atque animæ meę pijsq; tui amatoribus ista commemoro, gratitudinis & compassionis argumento.

O noctem acerbam, qua nefandi Iudæi Deum cæli terræque Dominum tam indignè tractastis! An Ægyptiacæ noctis fortè recordati fuistis, qua primogeniti

O homo, quæ facies tot fert ludibria, Auerni
Horror, amor terræ, deliciumque poli est.

O ſondich ſaet, ey ſot, dan vnſe booſe daghen!
Chriſtum hebt ghy be-ſpot, ey bouen dien ghe-ſlaghen.

A ce visage, honneur du ciel, et de la terre,
Et des enfers l'horreur, vn homme fait la guerre.

niti per totam Ægyptum occisi fuerunt? Illámne igitur in Christi, vt auctoris caput retorquendam putastis? Sed in vestri gratiam ab angelo percutiente patratum fuisse hoc facinus, meminisse oportebat; neque propterea id in innocentem, in Dominum, in liberatorem saluatoremque vestrum resultare debebat. Reos profectò mortis vos ad vnum omnes testamini, dum vitæ vestræ datorem, assertoremque salutis reum mortis conclamatis, eique vt reo mortis insultatis.

Ecce, quomodo vestram nequitiam depictam vi-
B dissetis, si voluissetis attendere dum in vestro volumine, quod terebatis manibus, legebatis; Generatio, quæ *Pro. 30*
patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. Item; Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Sed audite, quid amplius?

Nónne implestis & illud, quod olim inter alia
C vobis in Elisæo Propheta fuit adumbratum? Cùm *4 Reg. 2*
ascenderet per viam, pueri egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes, Ascende calue, ascende calue? Nunquid & vos duo vrsi (Vespasianus & Titus) vt illos pueros, in vestræ ciuitatis vastatione lacerarunt? Prophetam illi Elisæum deridebant; vos Christo sub Prophetæ persona, quam præ se ferebat, illusistis; velatumque turmatim cædentes rogastis, Quis te percussit? Sed vobis, infelices, potiùs erat expendendum, Quis esset, quem ita percutiebatis: is scilicet, qui vos iudicaturus, venturus est cum potestate magna & maiestate, coram quo regum corda palpitabunt.

D Verùm, credibiléne est cælestium castrorum militiam, malitiam hanc indignam videre potuisse, rerumque creatarum exercitum; & pro creatore non pugnasse orbem terrarum contra insensatos? fierive potuit, vt homo ratione præditus & intellectu, com-

munem omnium Dominum irrideret, conſpueret, cæderet, tamque indignis modis exciperet?

Sed, ô animæ Deo dilectæ, contemplamini, quàm commoda fuerit nobis amabilis ſponſi contemtus & illuſio noſtræ ſalutis inſtructio. Nónne duo præſertim hîc videtis elucere documenta? tum ne quemquam vmquam nos irrideamus; tum, vt ſi quando irrideri nos contingat, patienter feramus?

At gratum fortaſſe futurum, ſi ternis vtrumque argumentis adornemus. Agedum, ſub oculos adducantur. Vidéſne, deridendum nobis neminem; in primis quòd communi lege nobiſcum ad imaginem Dei ſit conditus? ſique illi deeſſe quidpiam videatur, nobis fortè deeſſe plura: Ipſe autem Deus fecit nos, & non ipſi nos. Deinde, neſcis fieri poſſe, vt, ſi iam deſpectus videtur, Deus eum ſubitò exaltet, te verò riſui omni-
Eccli. 7 bus exponat? itaque, Non irrideas hominem in amaritudine animę: Eſt enim qui humiliat, & qui exaltat, circumſpector Deus. Tertiam rationem expectas? Audi, & time: Dicito tu nobis vir Dei, tentate per omnia.
Iob 12. Qui deridetur ab amico ſuo, ſicut ego; inuocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim Iuſti ſimplicitas. Vindictam hinc ingruentem audimus?

Sed alterum documentum ex Chriſti illuſione eliciamus, totidem fulcris ſtabilitum. Erat hoc, vt irriſi toleremus æquanimes. Nónne cum primis glorioſum eſt, Ducem ſuum ſequi? Et quis hic Dux noſter? Chriſtus, Rex, & Deus noſter. non ſolùm non eſt maior neque melior ſeruus Domino ſuo; verumetiam magni honoris æſtimari debet, ijſdem cum Domino, & quidem cum Rege, vti titulis, veſtibus, armis, & inſignibus. Deinde, ſi iuſtam conſulimus trutinam, nónne dignum & iuſtum eſt, nos derideri; cùm tam ridiculi ſimus, & vani in omnibus? Quàm crebræ nobis cogitationes, ſine intellectu; à quibus tamen ſe receſſurum minatur ſpiritus Domini ſanctus! Quàm ſine guſtu ſunt verba frequẽtiùs, & actus ſine fructu!

Quàm

Quàm insipida, quàm inodora non rarò nostra conuersatio! Et quàm in nos quadrat, heu sæpiùs, illud Prophetæ; Non est spiritus in eis: vana sunt opera, & risu digna: in tempore visitationis suæ peribunt! *Ier. 51.*

Sed postrema nos ratio, ad illusiones patienter ferendas, plurimùm incitare deberet. Nam si cum Christo compatimur; & corregnabimus. Magnum futuræ gloriæ, mercedis & præmij fit incrementum, quando in hac vita pro Christo despicimur, iniuriam & improperia patimur, & stulti reputamur.

Concludant id totum ipsimet illusores suo testimonio; postquam vexatio intellectum dedit: videntes Sanctos in cælo quos irriserant; turbabuntur timore horribili; dicentes; Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est! *Sap. 5.*

Oratio.

MEntibus nostris, quæsumus Domine, bonitatis diuinæ lumen infunde, vt omni procul illusione semota, sincero cunctos affectu prosequamur; & opprobria exprobrantium perferentes, inter filios tuos computemur. Amen.

15. VESTIS ALBA.

Innocuum candore suo quæ lusit in agnum;
O toga, quàm niueo stamine texta fuit!

Ps. 93. INTELLIGITE insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Quid agis, Herodes cum tuo sceleratorum exercitu? Quem igitur præ manibus vos habere existimatis? An aliquem Nabal, qui secundùm nomen suum stultus sit? An quemlibet è triuio, qui ignorare, errare, vel peccare possit, vt ceteri? Toto cælo fallimini, tametsi vobis videamini sapientes. Dominus ac Deus vester est, ne nesciatis; in cuius manibus vita & mors; qui so-
Deut. lo nutu gubernat omnia. Hæccine igitur reddis Do-
32. mino, populе stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te?
Isa. 19. Verè stulti facti sunt principes Taneos (hoc est motus & tumultus istius) & sapientes consiliarij Herodis
Isa. 28. dederunt consilium insipiens. Propter hoc, audite verbum Domini, viri illusores; flagellum inundans cùm transierit, eritis in conculcationem: sed sola vexatio intellectum dabit.

Attamen, quid egistis? factum vestrum, factíque rationem lubet penitiùs indagare. Non dubitetis, quin aurum ex luto vestro, quo Christum aspersistis, queamus eruere. Euangelista rem gestam comme-
Luc. 23 moret. Spreuit illum Herodes, cum exercitu suo, & A illusit indutum veste alba; & remisit ad Pilatum. An hoc te tantopere torsit, Herodes, quòd innocens Dominus coram te sicut agnus obmutuit, nihilque responderit tibi, postquam multis eum sermonibus interrogasses? Ideóne ceu stultum deridendum putasti? Ideóne spreuisti, tuoque exercitui tradidisti illu-

Innocuum candore ſuo quæ luſit in agnum,
O toga, quam niueo ſtamine texta fuit!

Dit is het witte kleedt, dey heeft uyt ſpot gheweven:
Oft teecken ons bereedt, wat ſyn onnooſel leuen.

Que Herode affuble bien de blancheur l'innocence!
Car en ce monde rien n'y a tant d'alliance.

illudendum, tandemque veste alba indutum velut fatuum indignatus amandasti?

Sed non vides, stulte, te euanuisse in tua sapientia? Nescis, stultos tacere non posse? An silentium tibi signum stultitiæ videtur, quo solo vel stulti sapientes videri queant? Deinde dum Christum candida veste stultitiæ insimulas; nónne eadem opera innocentem ostendis? Nónne solent nocentes & rei veste pulla & atrati procedere? Sed, vt cor regis in manu Dei est, &, quocumque voluerit, illud inclinat; ita cordis tui fatuitate ad innocentiæ suæ testimonium propalandum est vsus. Vide quomodo sapientia vicit malitiam; & ignarus quid ageres, stultus effectus, prouidentiæ diuinæ subseruisti. *Pro.21*

Numquid & Achis, rex Geth, Dauidem in Christi figura pro fatuo fastidiuit, eò quòd præsentissimo mortis metu perculsus vultum suum totumque corporis habitum coram illo commutaret; stultitiamque loco prudens volensq; simularet? Dixit itaque Achis ad suos; Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? Hiccine ingredietur in domum meam? Agnoscimus, Iesu sapientissime, adumbrata hîc tua fuisse improperia, de quibus, per eundem hîc illusum, ita te locutum legimus; Memor esto, Domine, opprobrij seruorum tuorum; & quod exprobrauerunt commutationem Christi tui. *1 Reg. 21.* *Psal. 88.*

Sed fortè quispiam parasitorum Herodis obijciet, arguetque, fuisse Christum ab Herode talis amictus indicio ambitionis accusatum, vt qui Regiam sibi dignitatem arrogarit. Itáne? Pilatus tamen innocentiæ potiùs argumento factum fuisse testatus est, cùm dixit; Nullam causam inueni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum; Et ecce, nihil dignum morte actum est ei. Ac si dicat: Vestis illum alba absoluit.

Verum-

Verumtamen, lubentes tibi, Herodes, concedimus; voluisse te mitissimo Domino, talibus commentis, ambitus notam inurere; sed Deo vulpina tua calliditate ad maius bonum vtente, vestis alba testandæ innocentiæ fuit insigne: tametsi nequaquam in tam pium scopum intenderes.

Vos intereà, quicumque vobis in vestium vanitate complacetis, videte quàm id rectè fiat à vobis, cùm Saluator noster in vestitu derisus vt vanus fuerit. Numquid huius stultitiæ vestræ dilucidum habetis monimentum in eo quod Hanon rex Ammonitaram, vestes seruorum Dauid in eius irrisionem fœdè præcidit? Nónne sic Christus Dauid noster, propter seruorum suorum vestes fœdas & abominandas (per quas ineptia, vanitas, curiositas & luxus fouentur) veste illusoria fuit indutus? Quòd si sponsi vestri dilectione non mouemini; terreat vos eiusdem futuri iudicis districta sententia: Visitabo super eos qui induti sunt veste peregrina. Exquiram, iudicabo, puniam omnem vestium excessum qualemcumque: siue in materia, siue in forma, copia, luxu, & vanitate, omnique modo, quicumque præter modum & rationem exstiterit.

2 Reg. 10.

Soph. 1

At, venite, Filię Ierusalem, animę puritatem sectantes; & videte dilectum vestrum gradientem, formosum in stola sua. Nónne conscientiæ puritatem hac alba veste Christi doceri putatis? Vestes siquidem nostræ atque ornamenta, virtutes sunt. Numquámne audistis, Zachariam prophetam vidisse Iesum sacerdotem indutum vestibus sordidis, angelumque dixisse adstantibus; Auferte vestimenta sordida ab eo. Quo facto, dixit illi: Ecce, abstuli à te iniquitatem tuam; & indui te mutatorijs?

Zach. 1

Quid aliud hac visione nobis indicatum voluisti, Domine Iesu sacerdos noster, quàm quòd sordidas priùs vestes peccatorum nostrorum assumseris; vt in illis & pro illis despectus & passus, post resurrectionem

nem gloriosè reuestitus, nos tua gratia & virtutibus exornares? Numquid in hunc vsum, baptizatis alba vestis dari consueuit, hoc typo, vt innocentiam sacro fonte hauſtam tueantur, virtutum incrementis adornent, iudicandique in eadem compareant?

Si adlubeat animo, vestem quoque illam lineam his applicemus, quam vsus Ecclesiæ noto vocabulo albam appellat. Nónne hæc in sacerdotalibus indumentis, præter vitæ immaculatæ candorem tanto ministerio dignũ, speciatim hanc quoque vestem Christi candidam repræsentat, quâ patiens illusus fuit?

Imitemur itaque ducem nostrum in albis ambulantem, tametsi derisum: & si pro eius amore derideri contigerit, toleranter & exultantes perferamus: certi, quòd, sicut Angeli in resurrectione vestibus albis amicti comparentes, omnem illam irrisionem in gaudium & honorem commutarunt; ita despectus omnis in decus & ornamentum conuertetur.

Oratio.

DEus, qui Vnigenitum tuum, in monte Thabor, gloriæ tuæ consortem, in amictu candido, declarasti; & eumdem posteà in alba veste despici permisisti: da nobis, quæsumus, vt hîc innocentiæ vestem illibatam, etiam irrisi seruemus; & posteà in monte sancto tuo, cum Angelis & Sanctis tuis, candidati, instar massæ candidæ, compareamus. Amen.

16. BAR-

16. BARABBÆ ELECTIO.

En vbi mors vitæ componitur, orcus olympo:
Nec pudet hîc saltem non potiora sequi?

Ezec. 6 PERCVTE manum tuam, & allide pedem tuum, & dic, Heu! eheu! Et tu, anima mea, viden', quale tibi spectaculum hîc exhibetur? Quidnam, putas, hoc rei est? Bonum & malum, vita & mors, Filius Dei & diaboli filius theatrali tibi schemate proponuntur. Non audis vtriusque præconium: Dicit Deus Pater de Christo; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Dicit è contra diabolus de Barabba; Hic est filius meus dilectus; & vtrum voles, tibi, libera datur electio.

Ier. 4. Heu, heu, heu, Domine Deus; Ergóne decepisti populum istum & Ierusalem, vt cum sceleſto latrone componaris? Tam malè pondus tui pretij, valorem æstimationis, diuinitatis cum Patre consortium stabiliuisti? Legationis tuæ tabulas, vitæ, doctrinæ, miraculorumque per te patratorum fidem ac robur tam debili ratione sanxisti; vt non solùm vertantur in quæstionem, verumetiam cum homicidæ nefandi criminibus ponantur in trutina, vt libera populus electione, quemcumque voluerit, sibi dari deposcat? Nihil tale. Ergo, quid facitis sacerdotes? quid molimini Principes? Sanæ mentis sitis,
2 Cor. 6 qui tam indigna committitis? Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ denique conuentio Christi ad Belial? Lux venit in mundum; & persuadetis hominibus, vt eligant potiùs tenebras quàm lucem.
Iud. 8. Audite Iudith vos increpantem: Vos estis presbyteri in populo Dei: & ex vobis pendet anima illorum:

ad

BARABBÆ ELECTIO.

En vbi mors vitæ componitur, Orcus olympo:
Nec pudet hic saltem non potiora sequi?

Sey vrernt tooneel dit Vvaò, alsò hy Voiey d'Enghley Voenskhey,
Hier Voerdt met Bar-abbaò ghe-stelt, tot keur der menskhey.

Les enfers, et les cieux, sont mis cy en balance;
N'es-tu pas vergoigneus n'en choisir la cheuance?

d eloquium itaque veſtrum corda eorum erigite. At, os duces cæci, fræno plebi regendæ vobis conceſſo, n eiuſdem interitum abutimini. Perſuaſiſtis vt eligerent Barabbam, Chriſtum verò crucifigi poſtularent. O iniquum commercium! agnum lupo, aurum luto, & cœlum cœno poſthabetis. Mendaces filij hominum n ſtateris: in mendaci & doloſa ſtatera veſtra, mors vitæ præponderat. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum! ponentes tenebras lucem, & lucem enebras! ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum! Vos filium Dei Ieſum negaſtis ante faciem Piati, iudicante illo dimitti. Vos ſanctum & iuſtum negaſtis; & petiſtis virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfeciſtis. Nunquam ne legeratis hypocritæ; Qui iuſtificat impium & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterq; apud Deum? Recordamini itaque iam, quàm rectè vobis ipſe Chriſtus antè prædixerat; vos ex patre diabolo eſtis: ergo filij diaboli & Barabbæ fratres. Latronem proinde latrones, & filij Belial germanum vobis, homicidam, ſatanæ ſobolem elegiſtis.

Ezec. 2

Act. 3

Pro. 17

O Iudæorum amentiam! ô furiam phreneticorum! Noli dimittere hunc, ſed Barabbam. Quid fuit hoc aliud dicere, quàm, Occidatur ille, qui mortuos ſuſcitauit; & dimittatur latro, vt iterùm occidat viuos? ſed fortè putaſtis, infelices, per hanc electionem adſtruere, Chriſtum latrone deteriorem; atque adeò nequam, vt neque pro feſti veſtri priuilegio foret liberandus?

Interim hoc facto præſignaſtis ignari, quòd Antichriſtum Chriſto quandoque eſſetis prælaturi. At, elegiſtis latronem, homicidam, ſeditioſum: videtis quàm ex æquo, quod tam iniquè elegiſtis, obtinetis? Nónne bella, ſeditiones, homicidia, & huiuſmodi funeſta vobis hactenus ad extremam vſque vaſtationem obtigerunt? Noluiſtis benedictionem, & elongata eſt à vobis: elegiſtis maledictionem, vobiſque conceſſa eſt.

est. Quàm appositè nunc in vobis impletum est illud paradigma, quo ligna siluę rhamnum super se re-
Iud. 9. gem elegerunt? Si verè (inquit) me regem constituitis; venite, & sub vmbra mea requiescite: si autem non vultis; egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. Spinarum puncturas, voracemque flammam experimini. Sic & Carabbam vobis Alexandrinum, hominem insanum, in Barabba pro rege sublimastis; ideoque cum stulto stulti facti, dementiæ vestræ meritas luitis pœnas.

Ast vbi tu, virgo Maria? Curre, sollicita populum, vt tot beneficiorum memor à Christo acceptorum, illum eligat: optio datur; concurrant infirmi, surdi, muti, cęci, claudi, leprosi, ab ipso sanati, famelici pasti in deserto, mortui resuscitati, à dęmonibus liberati, & quotquot adhuc hisce malis laborant; cõclament omnes; Dimitte nobis Iesum, quia medicus & medicina, saluator & salus, pastor & pater noster est, ipse est vita
Psal.64 nostra. Sed frustrà: nam verba iniquorum prævaluerunt super nos. Loquamur itaque ad cor Ierusalem, vt fructus inde promanans animis nostris medeatur.

O indignum commercium, dum latronem, mortis ministrum, vitæ datori vitæque ipsi præferimus! quod tamen peccãdo perpetramus. Numquid igitur meritò, sicut Iudæis fructus tam iniquæ petitionis adhæret, qua diabolum mortis principem in Barabba elegerunt, ita quoque peccatrix anima tam stultè eligens, latrociniis diaboli vexatur? Heu, quàm frequẽter etiam hic error committitur, vt Barabbas Christo præferatur, quando in electionibus, officiis, & promotionibus, indigni dignis præponuntur! Viderint cum Iudæis, tam iniquæ prælationis auctores.

At tu, anima mea, speculum hoc diuinæ bonitatis attẽde; in quo charitatis, patientiæ, humilitatis exempla resplendent: & disce non indignari, siquando indignioribus postponaris; cùm Dominus Iesus spõsus tuus, prę participibus suis à Deo dilectus, prę nequissimis

fimis fuerit à Iudæis deſpectus. Quid? ſuperba mens noſtra, ſuæ ſemper excellentiæ ſtudioſior, hanc philoſophiam non capit? Poſtulet humiliter à Deo, & dabitur ei. Stimulo opus? admitte; Quando Deus vnicuique ſuum locum & ordinem eſt daturus; tunc tantò maiori cum gloria, quantò maiori cum ignominia hîc tibi à mundo fuerat denegatus, illum reſtituet, dicens; Amice, aſcende ſuperiùs.

Gratiæ tibi Domine immortales, quòd tam indigna tui cum Barabba commutatione, præter exempla virtutum iam dicta, non ſolùm id præſignaſti ſed & præoperatus es, quod in maximorum peccatorum conuerſione futurum erat, factumque agnouimus, & adhuc fieri videmus. Numquid tunc verè Barabbas in Chriſtum conuerſus eſt, quando meretrices & latrones cæli ciues effecti ſunt? Latro in cruce teſtatur; Paulus, Matthæus, Zachæus, Magdalena. Moyſes Æthiops mutauit pellem: Dauid latro, Mutius Ægyptius & ſimiles, ex latronum principibus ſancti Anachoretæ & Monachi facti, ex Barabba in Chriſtum transfuſi, lætantur. Gratiæ quoque tibi, pater æterne, quòd non dimiſeris Ieſum, ſed Barabbam, quia mors Barabbæ nobis prodeſſe non poterat.

Oratio.

TAnta eſt infirmitatis noſtræ miſeria, clementiſſime Domine, vt inter vitam mortemq; conſtituta mens anxia fluctuet, ignara quid eligat; illumina vultum tuum ſuper nos, quæſumus; vt omnem mortalitatis illecebram reſpuentes, certa vitæ veſtigia conſectemur. Amen.

17. CHRISTI DENVDATIO.

Condere sol, peplóque obnubere luna rubenti:
Sidera qui vestit lumine, veste caret.

2.Reg.6 QVAM glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe! & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris. Iſtud, tu Michol, A marito tuo Dauidi procaciter exprobrabas, quando poſitis regalibus indumentis, accinctuſque ephod lineo, totis viribus ante Arcam ſaltarat: ſed veriùs in Chriſtum filium Dauid hoc tuũ ſcomma à Synagoga iactatum vſurpemus. Verùm, Ieſu caſtiſſime, quid hîc primùm contemplemur? Tu, qui terram herbis & floribus veſtis, cælum ſole, luna, & ſtellis, omniaque animantia naturalibus aut artificialibus tegis indumentis, ab ingratis tuis creaturis veſtibus ſpoliaris. Et quare (quæſo) ne verbulo hanc Chriſti denudationem attigiſtis Euangeliſtæ? An, præterquam quòd vt rem certam præteriiſtis, etiam
Iſa.6. velut erubeſcentes cum Seraphinis faciem veſtram obtentu ſilentij velauiſtis? At, quare non potiùs aliqua nubium hîc illum texit: cùm nube per diem populum ſuum contra ſolis æſtum in deſerto protexerit? Aut quare non fulgor ſolis, oblatáve cælitus veſtis in hunc vſum ab Angelis eſt obtenſa? vel etiam, cur non ipſum iubar diuinitatis ipſius eum circumfulſit? Sed, ſicut nobis mereri, ita nos ſalutariter eru-
Gen.37 dire voluiſti, Domine, cùm in te compleri permiſiſti, quod in Ioſeph, ceu figura, præceſſerat; quando fratres eius, eum tunica talari & polymitâ nudauerunt. C

Venite docibiles Dei, & tria potiſſimùm hinc documenta ſalutis haurite, in ſponſi veſtri denudatione vobis reuelata. Numquid iſtud in primis occurrit accõmodè; vt omnem inhoneſtam corporis nuditatem

etiam

Condere ſol, peploque obnubere luna rubenti:
Sidera qui veſtit lumine, veſte caret.

O ſonne-ſchyn ſeer claer, u aenſchyn wilt verberghen,
Want-ſy den heer oorbaer, de meeſte ſchaemte verghen.

Soleil, cache ton front; toy lune, ſuy ton frere;
Pour ne veoir cet affront, qu'a ton maitre on va faire.

etiam in nobis ipsis euitemus? Multa siquidē honestè fiunt, quæ non possunt honestè videri. An ignoramus alium esse innocentum statum, alium peccatorum?

D Primi parentes ante culpam, nudi non erubescebant; immò velut ignari, quid esset nuditas, nudi se nudos ignorabant. Nuditas enim cum innocentia coniuncta (vt in cælo futurum) honesta erit, honestisque illa loco velaminis: cuius aliquod (obscurum licet longeque diuersum) in infantibus est videre vestigium. At peccatum nuditati confusionem adduxit; hinc iidem parentes nostri, cùm iam virtute innocentiæ iustitiaque originali essent spoliati, cœperunt erubescere: vt propterea à Deus Adamum ita compellarit: Quis indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quia comedisti de ligno? *Gen. 3.*

Numquid Susannam laudatam audimus, quòd erubescentiæ gratia, cùm se lauare vellet, etiam ancillas emiserit, ostiaque pomerij curauerit claudi? Sed eheu! pudicitiæ hostes ignorans inclusit. Quo secreto nobis indicio, precor, & argumento? Quòd omnibus quoque seclusis, internus ac domesticus hostis nobis insidens & insidians sit timendus. Quæris, quisnam sit ille? Sensualitas propria, stimulus carnis latitans, astusque diaboli: vt quilibet eapropter à se nudo debeat formidare. Nónne & Bethsabee se in suo solario tutam putabat? sed à Dauid rege conspecta est, qui è regione in suo solario ambulabat post meridiem. Ah! iam sol iustitiæ, verumque lumen in ipsius horizonte ad occasum vergebat. Viden', etiam tuta timenda in re lubrica? Curiositas omnia rimatur & penetrat. Viderint eam ob rem, qui nudas, inhonestas & scandalosas imagines habent, & videndas exponunt in suis ædibus: meminerintque maledictionis

E Cham, qui Noë patris sui nuditatem propalauit. *Gene. 9* Christus confusione nuditatis, tametsi innocens, nostræ confusioni consuluit, vt erubescamus.

Alterum Christiane documentum audire festinas?

Domini nuditate moneri te cogita, vt per charitatem nuda Christi membra in pauperibus vestias; quod & Sanctos fecisse cognouimus, Christumque coram Angelis fuisse testatum, & coram toto mundo in iudicio testaturum, sibi factum quod pauperi fuerit
Isa 58. præstitum. Prophetam non audis inclamantem? Si videris nudum, operi eum; & carnem tuam, immò Christi carnem in proximo ne despexeris; velut in temetipsum inhumanus. An nescis? Nudi vestimentum est, quod à tinea comeditur, & discalceati calceus qui penes te marcescit. Væ vobis, auari, raptores & iniusti! qui quod natura impossibile credidit, vos non possibile tantùm sed & facile redditis, dum nudo detrahitis. Erubescite, qui nec bestias imitamini: oues siquidem ex duabus vestibus, alteram cedunt hominibus; & homo homini non miseretur.
Act.9. Tanti noueris esse studium hoc charitatis, vt Thabitam ob id à mortuis suscitarit Apostolus.

Verùm, quid hinc amplius, animarum nostrarum
Colos.3 solatio, exsugamus? Tua Christe nos admonet nuditas, vt exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, nouum induamus: laceram, vetustam, maculatam vitæ nostræ vestem exuentes, vitę tuæ formam, vt tunicam assumamus. Nónne diaboli, tamquam latrones, nos semper inter Ierusalem & Iericho, omni nostro merito despoliare nituntur? Sed prudentes esse debemus in omnibus viis nostris. Si te nudari contigerit; plagis imponendis es proximus: quapropter, aduigila; Bonorum namque operum assiduitas, pietatisque exercitium, vestis, ornatus, & arma sunt. Vidésne, vt in maxima ruant vitiorum discrimina, quicumque nudatum pectus hosti exponunt? Pruden-
2. Cor. 5. ter idcircò monemur; Ne nudi sed vestiti virtuti-
Pro.31 bus inueniamur. Quin potiùs studeamus vestiri duplicibus; ne sit quòd domui nostræ à frigoribus niuis timeamus? Intus itaque & exteriùs sancti simus, & casti & corpore & spiritu; coram Deo & coram homi-

hominibus bona prouidentes ; oleum habentes in vasis cum lampadibus : quod intus & deforis est paropsidis, emundantes.

Audi,quid dicat Apostolus , ô anima mea , & non cadat in terram tam pretiosum elogium . Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua; ne nudus ambulet. Agnosce quidem pauperiem,miseriam, & nuditatem tuam : sed suadeo tibi emere à dilecto tuo gratis , aurum ignitum , probatum , vt locuples fias ; & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Vestem verò veterem abiectam; ne vnquam resumseris:sed & hîc æquè fidelis ac constans, dicito; Exspoliaui me tunica mea (conuersationis antiquæ) & quomodo induar illa? *Apo.16* *Apoc.3* *Can.5.*

Oratio.

DEus, cui nuda & aperta sunt omnia, & qui cunctorum corda scrutaris & renes ; te , per Vnigeniti tui ad flagella nudationem exoramus, vt veteris vitæ vestimentis exuti , non nudi sed virtute vestiti ambulemus , donec exuto tandem corpore, veste immortalitatis ornemur . Amen.

18. COLVMNA.

Quæ cæli æternas ſtatuêre ſoliq́, columnas,
Ipſa horret vinctas vincta columna manus.

Cãt. 5. ADIVRO vos, filiæ Ieruſalem, Si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo. Hoccine namque eſt amare dilectum, amore dilecti languere? hoccine amare fortem; deficere? infirmari? hoccine potentem diligere; deſtitui viribus, ſuiq́ue impotem fieri? Æquúmne eſt vitam periculo mortis exponere, vt vitam inueniam & abundantiùs habeam, & interim de vita periclitari, tam blanda dulcis amoris amaritudine? Quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi. Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem; percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.

Bono animo eſto dilecta, amore dilecti tui ſauciata: neque te languor hic terreat, quo corriperis; non enim mortis ſed obſes eſt vitæ. Mirúmne tibi videtur, ſi, ſanguine ad cor recurrente, membra exteriora langueſcant? quantus igitur languor terreſtrem hanc tui corporis habitationem manet, ſi totum cor, & tota cum omnibus ſuis viribus anima in Deum feratur diligendo? Conſta tantùm tibi, in hoc tam ſancto diligendi dilecti tui propoſito: & delectabilior erit tibi omni voluptate, hæc quantacumque amoris amaricatio, ſi fidelis fueris, & perſeueraueris amando.

Fulcite me igitur interim floribus; floribus inquam bonæ voluntatis, ſanctiq́ue propoſiti: & ſtipate me malis exemplorum perfectorum: quia verè amore langueo.

Co-

Quæ cæli æternas ſtatuere ſolique columnas,
Ipſa horret vinctas vincta columna manus.

Welck is hier den pilaer? Christus, of de colome?
Weest soo met hem een paer, so staet-ghy als de vrome.

Ce marbre dur fremit, a ce fier garrotagè,
Sentant cil, qui le fit ſouffrir un tel outrage.

Columnæ te dilecti tui sociabimus ne collabaris,
A speciosa & delicata, filia Sion: quin & super dilectum *Ier.6.*
B tuum vt firmiori innixam columnæ reclinabimus; vt
tu tandem ipsa quoque columna efficiaris in templo
C Dei. Ignis te interim columna per noctem illumi- *Exo.13*
net, ne vllæ te tenebræ comprehendant, ignorantiæ,
tristitiæ, culpæve caliginem obtexentes. Et ne vicis-
sim te nimiæ prosperitatis dies in errorem inducat;
æstúsve quidam inanis gloriæ, temerariæ præsumtio-
nis, vel subitæ iracundiæ desuper feriat caput; Nubis
D tibi columna per diem obumbret, & in hoc mundi
deserto viam ad patriam ostendat. Vtque cereus Pa-
schalis horum tibi figuram refert; ita si opus, & me-
moriam iuuet. Si verò Philisthijm, gens tentatorum *Iudic.*
E inuisa, de te quasi captâ prædâ triumphent; te inter *16.*
duas blanditiæ terroriscque columnas constitue, & in
virtute columnæ dilecti tui, vtramque illam spe ple-
nus collidito; nam vnica hæc omnes infernalis ac
mundanæ domus portas & vires conuulsit: plusquam
enim Samson hic.

F Sed, en, virum video militiæ ducem, arbori alliga-
tum: Achior est, quem Holofernes non procul à por- *Iudith*
ta Bethuliæ sic statui iussit. Rogemus eum, Quid re- *6.*
rum sit, quòd illum Assyrij vinctum reliquerint: for-
tasse non parum id faciet conferetque ad languentis
amore dilectæ confortationem.

Quid rerum est, Domine Iesu (nam te in Achiore contemplor) quòd ita sis columnæ alligatus, testis fidelis gloriæ Dei? Non ego, velut indigus columnæ seu firmitatis, sed vt illa per me suffulciretur, eidem sum alligatus. Ego testimonium perhibui veritati, & Veritatem ipsam in me columnam effeci, ac stabile firmamentum: vt quicumq; mihi adhæserint, veritati vt columnæ innitentes, non vacillent; sed, dum veritatem tenent, tuentur, & stringunt, ipsi per illam fortes fiant immotique persistant. Nónne sic vitis, dum suis flagellis palum cui alligatur amplecti-

tur, ab ipso sustentatur? Nónne sic & mater mea, tenerrimæ alioquin complexionis, ceu virago fortissima, iuxta crucem stetit? Euge, euge, Deo dilecta, G anima salutis tuæ studiosa; quæ amore languebas, quæ à morâ mœrebas, quæ propriæ timens infirmi-

Cant.8 tati lapsum formidabas: én tibi dilectum tuum; super illum innitere, quia columna debilibus est effectus, columnæ terrestri alligatus.

Meritò quidem illa columna, cui Dominus in domo Caiphæ noctu alligatus fuit, porticum templi sustentare dicitur; sed Christo, ceu fortiori columnæ tota terræ cælique machina incumbit. Iacta igitur cogitatum tuum, cor tuum, & te totam in ipso, & fluctuationem non senties in æternum. Vis amplius? Ecce quò euadit tuum illud amore languere. Non solùm in eo qui te confortat poteris omnia, sed ipsa quoque columna in templo Dei per illum efficieris, ingenti aliorum ad te confugientium fulcimento.

Ier.1. Testem quæris? Audi per prophetam loquentem Dominum; Ego dedi te hodie in columnam ferream. Audi discipulum quem diligebat Iesus id confirman-

Apo.3. tem; Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: in æternum stabit. Nónne hoc est quod desideras? quod tota mente gestis exultabunda, dum cantas quotidie, Quis nos separabit à charitate Dei? Neque mors, quia fortis vt mors dilectio.

Sta igitur, & esto fidelis vsque ad mortem: & qui videbantur columnæ esse, dextras daturi sunt tibi; & consortis in via constantiæ, & pacis æternæ cum ipsis in patria consequendæ.

Audite itaque & vos, quicumque flante tentationis, persecutionis, & desperationis vento, nutatis;

Ephe.4 audite præconis vocem vos erigentem: Ne simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum; in astutia ad circumuentionem erroris. Si quis naturæ debilitate deterri-

tus,

tus, fluctuationem aliquam huiusmodi in se irrepere percipiat animo : statim is columnam veritatis arripiat, ac firmamentum Ecclesiam: Christum columnæ alligatum, pro nobis columnam factum mentis vlnis amplexetur, & columna Christo coniunctus euadet: cum S. Lucia fiet immobilis, & cum sanctis Stylitis columna super columnam stabit. Columnæ quidem cæli contremiscent ad nutum Dei: sed qui sperat in ipso, non commouebitur in æternum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, fragilitatis humanæ singulare præsidium, te supplices deprecamur, vt qui in tot aduersis sine te subsistere non valemus, Vnigeniti tui virtute, ceu columna, subnixi, & in fide inueniamur stabiles, & in morum rectitudine maneamus immoti. Amen.

19. FLAGELLA.

Sanguineis, corpus dissinderis vndique ramis?
Hósce tibi infelix germinat arbor Adæ.

Isa 28. ECCE validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis; turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium & A
Ps. 26. emissarum super terrã spatiosam. Viriliter age, cõfortetur cor tuum, & sustine Dominum, Dilecta cum Dilecto tuo columnę affigata. Ipse quidem vt flagellum inundãs super iniquos, dum vltricem manũ suam pro inuicta sua potẽtia in eos exercet: sed nunc, misericors & patiens effectus; quia inundauerũt super
Ps. 37. nos mala, dicit Patri suo pro nobis; Ecce, in flagella paratus sum. Et quoniã multa flagella peccatoris sunt; ipse ideò, qui peccata nostra in se sustulit, vapulauit
3. Reg. 12. plagis multis. At, tu ne vicissim dixeris Domine; Pater meus cecîdit me flagellis; ego verò cædam vos scorpionibus. Meritò quidẽ id posses, ex æquo diiudicãs, omnium creator Domine: sed, cùm iratus fueris, mi-
Ps. 34. sericordiæ recordaberis. Quid est hoc enim quod dixisti; Congregata sunt super me flagella, & ignoraui? Nisi quia sicut tam innocens fuisti, vt nulla in te causa flagrorum reperiretur, ita tãta erga nos charitate perferres omnia, vt nullius in nos vindictę recordareris? Sed quo vos iure Iudæi ita in benignissimum Domi- B
num desæuitis? In lege quid scriptũ est? quomodo legitis? Pro mensura peccati sit & plagarum modus; ita
Deut. 25. dumtaxat, vt quadragenariũ numerum non excedãt: ne fœdè laceratus, ante oculos tuos abeat frater tuus. C
Et quem vos hîc modum seruastis? quo stetit numero vestra crudelitas? quid misericordiæ repertũ in oculis vestris; quando, non fratrem vestrum tãtùm ex semine Abrahæ secundùm carnem, sed & Dominum omnium

Sanguineis corpus dissscinderis vndique ramis?
Hosce tibi infelix germinat arbor Adæ.

Wy hebben t'quaedt ghedaen, en Christus draeght de slaghen:
Laet-dan de boosheit staen, en soeckt hem te behaghen.

Ces fleaux ensanglantès, qui ton saint corps seillonnent,
Par nos pechès plantès, de nous pechés surgeonnent.

nium ita fœdè dilaniastis? At, Romanorum, clamabitis, istud est opus: quibus nullus plagarum numerus vel modus à lege præscribitur. Credo, sed vos omnis tragœdiæ fons & caput. Interim vos Romani quid agitis? Hominem Romanum, indemnatum licet *Act. 22* vobis flagellare? Hominem Deum? Neque tantùm Romanum, sed & Romæ ipsius totiusque orbis conditorem? hominem irreprehensibilem, indemnabilem, regem cælorum & Dominum dominorum? Pilatus, dicetis, ita imperauit. Quid ad hæc Pilate respõdes? quid rerum prætexes? fortè dices; Iudæi linguis illum incessanter flagellabant, & instanter in multis accusabant, quapropter illum ad crucem expetebant: vt igitur, si quid esset culpæ, flagellis diluerem; hominem corripui: sin minus, furori persequentium facerem satis; denique si crucifigẽdus foret, more nostro, flagris concisus, supplicio extremo esset præparatus. O cæcas hominum mentes! ô iniquum consilium Iudicis! ô facinus detestandum! Mos vester fuerit, reos extremo supplicio addictos priùs flagellare, vel etiam ad leuioris delicti emendationem virgis cædere; quid hoc ad omnis noxæ expertem? Nónne sciebas, propria tibi testante conscientia, quòd per inuidiam tradidissent eum? Nec igitur erat, quòd capitali piaculo flagra præirent, nec quòd leue delictum flagellis corrigeres: quia innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & agnus sine macula erat. Neque erat, quòd iustum vlla ratione cæderes, etiam vt à morte crudelissima eriperes, ipsi fortè per alios, quod metuebas, inferenda. Emendatum, inquis, dimittam: at cùm non sit inuentus dolus in ore eius, nihilque in illo emendandum repereris; restabat, vt tu te corrigeres, neque in gratiam impiorum innocentem flagellares.

Verùm enimuerò, profundius erat secretum tuum Iesu patientissime; quod omnem persecutorum tuorum molitionem & malitiam mira dispẽsatione superabat. Nos, serui nõ inutiles tantùm, sed & vecordes, cerui-

ceruicosi, furaces, & fugaces eramus; & tu in forma
Pro.18. serui comprehensus filius luis. Virga dorso eius, qui indiget corde, debebatur: quales omnes eramus nos:
Ps.63. Scrutati sunt impij iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio, quia causa inuenta non fuit in te. At quia
Isa.38. proiecisti post tergum tuũ omnia peccata nostra; tametsi accesseris ad cor altum, humanam in diuina sublimando naturam; tamen humiliatus es Deus. Et quia à planta pedis, vsque ad verticem capitis non erat in nobis sanitas, pro mensura peccati fuit & plagarum modus, sine modo videlicet aut mensura.

Vbinam latitas, anima mea; quę ita adiurasti sodales pro dilecto tuo, cuius amore languere te referebas? huc ades, & vide quomodo te dilexerit, qui pro tui confortatione sic infirmatus est, tamque copiosè san-
Cãt.5. guinem suum effudit. Dic nunc, & meritò; Dilectus meus candidus & rubicundus. O mi sponse quis te E
nudauit? quis te columnæ alligauit? quis tam inhumaniter flagris conscidit? O amantissime, ô castissime, ô purissime Iesu! ô flos omnis carnis, & totius humanæ naturæ solatium & decus! quomodo te video in conspectu impurissimorum & crudelissimorum hominum stantem? dilaceratum, & toto corpore purpureo sanguine perfusum? O lilium candidissimum! ô rosa rubicundissima! ô fons domus Iacob vberrime! Verè disciplina pacis nostræ super te, vt liuore tuo sa-
Isa.38. nemur. Domine quid dicam, aut quid respondebo
Ier.31. tibi, cùm ipse fecerim? Ego comedi vuam acerbam, & dentes tui obstupescunt: ego rapui, & tu exsoluisti: ego qui peccaui, (ô pater cælestis!) filius autem hic tuus, innocens agnus, quid commeruit?

O amor Christi incomprehensibilis! ô nostra maris instar exundans iniquitas! Peccatum quidem generat mortem: sed quia fortis, vt mors, dilectio; amor vicit iniquitatem, sapientia vicit malitiam, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. Tantùm caue quisquis es, ne facinus iteres, propter quod

virgi-

virgineum illud Christi corpus flagellatum est: siqúe te linguis hominum alióve modo flagellari contigerit, Apostolorum cęsorum exemplo toleres patienter. Gusta summitatem virgæ eius in paruo quod pateris, & cum Ionatha miro melle refectus, oculos illuminari percipies. Si à Domino corriperis, ne cum hoc mundo damneris, non turbetur cor tuum; osculare osculo oris tui aureæ virgæ summitatem, & seruaberis: summitas enim tantùm virgæ est quam sentis. Flagella te tribulationis delectent, quæ non appropinquabunt tabernaculo, sed in via tantùm dantur, vt eò perueniamus. Vísne paternæ dilectionis symbolum? virgam pacato animo admitte: tali namque vehiculo filium ad se recipit pater: taliqúe modo cor praG uum recuditur. Væ itaque ceruicibus obduratis, impatientibus, recalcitrantibus. Reget vos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringet vos. Percutiet vos in virga oris sui, gladio inquam ancipiti; Ite maledicti in ignem æternum. Dic tu igitur, anima mea, Mihi adhærere Deo bonum est, cumque infirmo Iesu infirmari, vt fortitudo & salus mea, eius efficiatur infirmitas.

1. Reg. 14.

Esther 5.

Oratio.

DEus, qui propter scelus populi tui dilectum filium tuum flagellis impiorum percussisti; merito sanguinei roris ex eius corpore promanantis gratiam cordibus nostris infunde, vt numquam per peccata super dolorem vulnerum eius addamus, sed vt filij dilectionis in flagella parati, in patientia animas nostras possidere possimus. Amen.

20. VESTIS PVRPVREA.

Christe, tuus sanguis melius te purpurat; isthæc
Est tibi ludibrium purpura, risus honor.

Isa. 63. QVIS est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea; & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea coinquinaui. B

Isa. 45. Verè tu es Deus absconditus; Deus Israel Saluator. Verè ascendisti super occasum: & ideò DOMINVS nomen tibi. Factus es vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis; & interim Deus verus; cæli & terræ conditor, iudex constitutus à Patre viuorum & mortuorum. Percussus, passus, contritus, & ad nihilum redactus es in infirmitate; & interim vt victor triumphatorque exultas & gloriaris in veritate. Et quia veritas Dei in te est, hæc gloriatio non infringetur: sed abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

2. Cor. 11.

Nosse desideras, amica dilecti, quàm multipliciter C eius indumenta rubricata reperias, quantumque mysterij his obueletur? En quoties Regis tui chlamys rubenti flagrantique hoc colore imbuitur, vt tot mutatoriis adspectabilis, ardentiùs te in sui amorem alliciat, tuque etiam tandem compareas circumamicta varietatibus.

In primis, numquid peccata nostra, ceu coccinum,

Chriſte tuus ſanguis melius te purpurat; iſtæc
Eſt tibi ludibrium purpura, riſus honor.

Hier wordt het purpren bleedt, vertoont, tot vnſer leere;
Maer meesten spot en leet, volght d'aldermeeste eere.

Cette graine a pour blanc, de te rendre mocquable:
Mais cette de ton ſang, t'eſt trop plus honorable.

num, corpus eius niue candidius tamquam virum venientem de Edom, & tinctis vestibus de Bosra, circumtexerunt, quodq; mortalitatis nostræ vestimentum assumserat, sanguinibus iniquitatum coinquinarunt? Numquid ea propter candidulum planéque virgineum corporis sui vellus, vt agni immaculati, roseo suo sanguine purpurauit? Nónne multo præstantius eminentiusque tinctura genus tibi videtur illa charitas dilecti tui, quæ vi sua latenti, & peccatorum nostrorum rubiginem, & sanguinis ipsius purpuram, & chlamydem deinde coccineam, in commune regalis ornamenti consortium solerter & ardenter attraxit? Ecce quantò nobilius amore tui tincta sint indumenta dilecti, quouis cocco vel purpura, quæ bis tantùm tingebatur?

En tibi iam igitur tabernaculum fœderis verum & viuum, pellibus arietum rubricatis opertum. En tibi altare redemptionis nostræ, nudandum cinere mortalitatis, purpureo vestimento inuolutum, Christum inquam rubentem, cùm iam iam transiturus esset ex hoc mundo ad patrem. En ferculi (quod fecit Salomon) ascensum purpureum, mediis charitate constratis propter filias Ierusalem. *Exo. 36* *Num. 4* *Cant. 3*

Egredimini itaque, filiæ Sion, & videte Regem Salomonem: nónne plusquam Salomon hic? Nónne hic est Christus, Messias, & Propheta ille magnus, quem omnes prophetæ dixêre venturum? Video in te, Iesu, veri Regis Iudæorum, te verè confitentium, maiestatem; sed super omnia tuam in his omnibus amplector charitatem.

Vos autem (ô milites impij) suscepistis illum quidem in prætorium, congregantes ad eum vniuersam sceleratorum cohortem; & exuentes eum (vestibus quas dirè flagellatus incipiebat induere, è manibus eius ereptis) chlamydem coccineam circumdedistis ei. Sed quid vobis videtur de Christo: Nónne iocus hic vester & irrisio, consilium Altissimi valuit prohibere?

bere? Numquid potiùs illud adimpleuit? Scitis quid toto hoc tragico veſtro tumultu feceritis? quid præſignaſtis? quid toti mundo ſpectandum præbuiſtis?

Regem declaraſtis Ieſum, ad quem, vt vnicum mundi Saluatorem, peccatores vniuerſi concurrerent. Videtíſne inſuper, vt figuras tanti myſterij
1.Mac. 10. prænuntias adimpleritis? Numquid iam verè Ionathas noſter (columbæ donum, de Spiritu ſancto conceptus Ieſus) iuſſus eſt ſpoliari veſtibus ſuis, & in-
Dan.5. dui purpura? Nónne ſimiliter verus nunc noſter Daniel purpura eſt indutus? Vos interim illum blaſphemi per riſum, vt lubet, Regem Iudęorum ſalutate; nos corde, ore, & opere, vnanimes profitemur &
1.Ti.1. dicimus; Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, nunc in carne noſtra viſibili, & tamen vero Deo, honor & gloria, maieſtas & imperium, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Accingimini, quotquot fideles præeuntis Regis aſ-
1.Pet.4 ſeclæ eſſe contenditis. Rubrum ſit veſtimentum ve-
Ier.4. ſtrum, rubenti charitatis ardore; quia charitas operit multitudinem peccatorum. Natiuus te rubor iſte de-
Apo.7. ſtituit? Laua à malitia cor tuum, ſtolamq; tuam in ſanguine agni: non tantùm per viuam paſſionis eius memoriam; ſed ſingulariter per ſanctorum Sacramentorum participationẽ, & veram carnis mortificationem: immò quoque, ſi Deus tibi conceſſerit, per aliqualem martyrij participationem & palmam. Numquid & nos reges ſumus? numquid in hoc renati? vncti? confirmati? Regis igitur regum imitatores nos eſſe oportet. Rubricatus fuit in circumciſione, in ſudore ſanguineo, in flagellatione, in coronatione, in crucifixione, præter eminentem amoris tincturam, quæ principale paludamento coccineo contulit decus; & nos igitur, ſi non datur pro eius amore fundere ſanguinem, non pigeat pro ipſius nomine exercere charitatem. Porrò, tametſi regnum noſtrum non eſt hinc, vbi vita noſtra militia eſt ſuper terram; pro illo

illo tamen in hoc mundo, in hac carne, hiſce armis, ſub purpurato Regis noſtri vexillo, certandum eſt. Non te ſatis ad tam glorioſum certamen tamque inſigne trophæum prædicta incendunt? inuictum Chriſti athletam attende, qui viua detracta pelle, totus purpuratus toti mundo ſpectaculum factus eſt.

Purpuratam itaque chlamydem, regiam & militarem, Chriſtiane, non negligas. Nobilis verè iſta Chriſtiani militis armatura, & fortis: vt inuictus & fortis effectus in bello, euertas inſuper caſtra exterorum: vt Chriſti proprioque ruſſatus ſanguine, per purpuratum Regis tui ſanguine paludamentum, nec vulnera ſentias, nec ſanguis decurrens, oculis proprijs vllam inferat animi deiectionem, neque aduerſario hoſtilis animi erectionem. Quin potiùs elephantum bellicoſorum more, rubeus veſtimenti mixtique cruoris color, ad maiorem certandi vincendique flagrantiam exacuet: cùm nemo ſit coronandus, niſi qui legitimè certauerit.

Oratio.

DA nobis, Domine, iugem Filij tui pro nobis paſſi memoriam, velut veſtimentum, quo ſemper præcingimur; vt per corporis purpurati ruborem, & peccata noſtra charitate tegantur, & ſi quid pro tui nominis gloria pati contigerit, in hoc Regis noſtri ſymbolo gloriemur. Amen.

21. CORONA SPINEA.

Spina ſub aurato diademate pungit honoris:
Chriſte latent ſpinis aurea ſerta tuis.

Iſa.28. VÆ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti. Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim; & erit flos decidens gloriæ exultationis.

Vir Dei quando hæc erunt; vel quod ſignum euentus iſtius? Tanti myſterij momentum exactum eſt, quando ſuper caput manſuetiſſimi atque humillimi A
Regis Chriſti corona humilitatis poſita fuit. Numquid ebrij fuiſtis, non à vino, Iudæi, ſed acerbi liuoris rabie, & tabe obſtinatæ ſuperbiæ, quando vt lymphatici in Chriſti ludibrium necemque ferebamini? Exultaſtis & effloruiſtis inſani, ad modicum, in nefandorum votorum ſucceſſu; quando Dominum & Regem gloriæ Gentibus tradidiſtis, ad illudendum, flagellandum, & ſpinea corona (ridiculi regis in morem) coronandum.

Sed, quò euanuit inanis hæc veſtra gloriatio? flos veſter emarcuit, decidit, & vnà cum corona vanæ veſtræ ſuperbiæ pedibus omnium conculcatur. Feciſtis quidem in eum, quæcumque pro cæca veſtra libidine voluiſtis: ſed ipſe nihilominus præſtituta ab æterno trophæa manibus veſtris adminiſtris eſt conſecutus. Numquid arietem non ſolùm B
Gen.22 inter vepres hærentem cornibus vidiſtis, per vos pro Iſaac immolandum; verumetiam ipſimet eum ſentibus atrociter implicuiſtis? Quo fœnore? Quando ducem gregis Dominici coronatum immolaſtis, nobis in Iſaac riſum, vobis verò perpetes lacrymas, peperiſtis.

Vos, ſcio, milites impij, ſcio, vos id feciſtis; ſed vos,

ô Iu-

Spina ſub aurato diademate pungit honoris:
Chriſte latent ſpinis aurea ſerta tuis.

Laet Chriſte u doorne-vvoon vnò hertey nu ſoo pvanghen;
Dat Vvy in ſ'hemelò thvoon, der glory vvoon vnt fanghen.

Que mon cueur poinçonnè, Seigneur de voz eſpines,
Puiſſe eſtre couronnè, de voz gloires diuines.

ô Iudæi, totius huius tragœdiæ fuistis auctores. Illi, audiente benignissimo Domino, tam infamis tamque inhumanæ coronationis inîêre consilium, eodemque spectante coronam de spinis plexuerunt; at vos, licet foris stantes, in mitissimas eius aures ignominiæ voces estis eiaculati; & ridiculæ coronæ materiam suppeditastis, dum blasphemi infremuistis eique probro vertistis, quòd se Christum Regem fecisset: quod & fortiùs postea adstrinxistis, ingeminantes, Non habemus regem nisi Cæsarem. Illi quidem manibus armatis ac fustibus horrentem vndique sentibus coronam amabili eius capiti violenter impegerunt; at vos eamdem linguis vibrantibus vsque ad cordis eius penetralia impressistis.

C Numquid interim verè & illud impletum est, quod Arca testamenti & altare thymiamatis coronâ aureâ cingebantur? Corona tua namque spinea, dulcissime Domine, regali quouis diademate præstantior, & quauis Romani triumphi seu gloriæ coronâ nobilior. Veram itaque in te arcam fœderis inter humanum genus patremque tuum initi contemplamur: & altare thymiamatis amplexamur; quod exsecrandum peccatorum nostrorum pædorem, admirandâ tantæ tuæ obedientiæ fragrantiâ prorsus corrigat, in suauitatemque conuertat. Vidisti, ô Moyses, & mirabaris Deum in ardenti rubo loquentem: quid nunc diceres, Deum si videas spinis coronatum? Vidisti, Ioannes, Sanctos in cælis aureas suas coronas ante thronum ad Dei pedes deponentes; at nunc videas impuros homines diuinum Christi caput spinis coronantes. *Exo.25* *Exo. 3.*

Adeste fideles, contemplamini Christiani, quid insuper fecerint ignorantes homines pessimi. Ornauerunt faciem templi non manufacti, per ipsos mox ad digniorem erectionem destruendi, non coronis aureis, sed spineo serto, quouis auro præstantiori. Verùm, benè habet: Benedices Iesu coronate coronę *1 Mac. 4.* *Ps. 64.*

D

anni benignitatis tuæ ; quia verè hic annus benignitatis & gratiæ fuit, quando terra dedit fructum suum, superbenedictum Virginis filium. Spinas illa quidem & tribulos cultori suo & creditori germinauit, sed sanguineo eiusdem rore conspersa, maledictioni, cui proxima fuerat, est exempta. Iam etenim ex spinis vuas, & ex tribulis tribulationum ficus colligimus. Meritò eapropter, Iesu, quòd execrationem illam (qua terræ, ob mandatum à nobis violatum mulctatę, seges spinea erat) sustulisti ; spineâ nunc coronâ redimitus incedis ; hoc ipsum gestans in triumphum, per quod tam nouam adeptus es palmam.

Cant. 2 En vobis nunc, amicæ sponsi, virgines agno dilectę, lilium vestrum inter spinas : Virgineum diuinumque capitis vestri caput spinis coronatum. Currite, curritę ; atque vt lilij candore & odore fruamini, parum vobis sit, si à stipantibus illud spinis compungimini. Immò gloria sit hæc vestra, vestrum decus & solatium, si spineæ eius coronæ totas vos inserueritis : certę, quòd spinea hæc Christi corona aureas vobis in tempore suo germinabit.

Audi vicissim mundanæ mollitiei amator & cultor, Decétne sub capite coronato, membra tam esse delicata ? Audi delicate & ad malum malè caute miles : Sepi aures tuas spinis : corona te Christi ducis circumsepiat, qua tortuosus coluber arceatur ingressu. Times, ne pedes in malum præcipites ruant, ferariſque quò non oporteat ? Et hisce terreberis, mentis tuæ sensum pungentibus. Sepiet coronatus Iesus vias tuas spinis : remordebit intus conscientia, consilia prudentium obstabunt, terrebunt concionatorum voces, increpatio sacerdotis comminabitur, si attentaueris. Quid hoc est ? spinæ Christi resistunt, clamantque, Reuertere, reuertere Sunamitis, anima dormiens, tui oblita ; muta consilium, redi ad cor. In malum ferebaris, perieras. Sepiuit misericors Dominus viam tuam spinis, ne perires. Tantú, ne Deo indigne-

Eccli. 28.

Osee 2.

ris,

ris, vel cuicumque amico cursum tuum prohibenti, sed magis gratias age. Quòd si vel præoccupatus, vel præceps, vel peruicax, in malum es lapsus; vide quid
H consilij de te inierit Dominus in figura Gedeonis ad viros Socoth dicentis; Conteram carnes vestras cum *Iud. 8.* spinis & tribulis deserti: per pœnitentiam, per patientiam, per veram affectuum mortificationem. Ita fac Domine, cum seruo tuo. Vtque aliquam coronati tui capitis referam speciem, detur obsecro menti meæ, & salutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio; insuper & stimulus zeli æmulantis quod rectum est coram te: totusq; ad te conuertar in ærumna mea, dum triplex eiusmodi configitur spina.

Eia igitur, anima mea, ne turberis, si quando tibi, vel à Deo, vel ab homine, corona tribulationis intexitur. Quis non gaudeat in sæculo, si vestem sibi nouam, pretiosum paludamentum, coronamque auream videat adaptari? At, punctura molestant: & hîc gaude: Christique coronam, pignus esse coronæ cælestis irredimibile, arbitrare.

O sertum amabile! ô ceruical Christi dulcissimum! ô regale veri Christiani hominis ornamentum! Numquam recedas à corde, numquam marcescas in capite, sed semper noua virtute reuirescas in opere.

Oratio.

ROsa tuæ charitatis immensæ nos mirè lætificat, omnipotens Domine, sed iusti iudicij tui nos spinæ deterrent: sic itaque nos, quæsumus, spinea dilecti Filij tui corona communiat; vt per medios tribulationum aculeos, ad coronam gloriæ pertingamus. Amen.

22. ARVNDO.

En etiam ſpecimen ſceptri regalis arundo:
I modò arundineâ ſis leuitate potens.

Matth. 11. QVID exiſtis, Iudæi, in deſertum videre? Quid ſenſiſtis de Chriſto in cordibus veſtris? quid populis in illo ſpectandum dediſtis? Arundinem vento agitatam? An vmquam igitur vel minimum inconſtantiæ in ipſo dictiſve eius eſtis experti? hoccine ſonabant illa verba, quibus illum aggreſſi ſunt miniſtri veſtri, à vobis miſſi & inſtructi, dicentes; Magiſter, ſcimus quia verax es; & viam Dei in veritate doces: Et non eſt tibi cura de aliquo? At, ipſe dixit, Rex ſum ego; atque ita vanam hanc eius arrogantiam meritò ridendam exiſtimauimus. Verùm, quid ſi Rex ſit verè, cui ſic illuditis? & quidem Rex regum, & Dominus dominantium? quid acturi, quid dicturi, quid tantæ temeritati & inſaniæ eſtis prætexturi, cùm ipſe veſter futurus eſt iudex? A

2 Mac. 9. Verum quidem, quod Antiochus olim, qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & ſuper humanum modum ſuperbia repletus, montium altitudines in ſtatera appendere, quique ſidera cæli contingere ſe arbitrabatur; ex graui tandem ſuperbia ad ſui agnitionem adductus, diuinâ admonitus plagâ, dicebat; Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo; & mortalem non paria Deo ſentire. Sed, quid hoc ad Chriſtum Regem & Dominum, de cælo vobis conteſtatum: qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo? Non recordamini tres Magos (Reges Arabum & Saba) veniſſe Ieroſolymam, rogantes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? dicenteſque ſe ſtellam eius vidiſſe in Oriente, regiam diuinamque eius originem B

nem

En, etiam ſpecimen ſceptri regalis, arundo:
I modo arundinea sis leuitate potens.

Iſt nu niet wel gheghenst, deuc t'ydel riet tot ſpot?
Doot-moedixheit die ſtrenst tot eere en loſ voor Godt.

Te veus-tu preualoir des ſceptres de ce monde?
Voy comme leur pouuoir sur vn rozeau ſe fonde.

nem adstruentes ? Nónne & ipsi suis id muneribus sunt protestati ? Numquid & vos ipsi, Sacerdotes & Scribæ, ab Herode rogati, vbi testarentur Prophetæ, Christum Messiamque nasciturum, respondistis vnanimes, quod res erat; In Bethlehem Iudæ? Qua nunc igitur fronte, ceu vanum, inanem; risuque dignum regem, arundineo sceptro deridetis ? Verè vos & hac vice in vestris inuentis vestraque sapientia euanuistis, qui tali proteruorum militum commento applausistis.

Sapite, quotquot in hoc facinore, malitiosorum hominum imitamini factionem : qui de diuina regiaque eius potentia & maiestate (siue defectu fidei, siue temeritatis excessu) minus quàm par est opinamini: vt qui vel nequeat nocentes reperire, vel repertos punire non valeat. Deus siquidem vt non irridetur, ita nihil perspicaces eius oculos fugit, vindicésve euadit manus. Econtrà, gaudete & in ipso confidite, qui de vestra infirmitate formidatis.

Gratiæ tibi, Iesu fortissime, pro nostris peccatis irrise. Nos verè tales sumus, quales arundo illa tibi data designabat : vani, inanes, instabiles, omni vento fluctuantes, nihil habentes fortitudinis, nihil virtutis continentes ; & interim nihil non præsumentes. Numquid ita mecum testamini, filij hominum, qui diligitis vanitatem, & quæritis mendacium ? Nónne testantur id studia & opera nostra vana, risuque dignissima, dum proprio iudicio & viribus nitimur ; quando confidimus in homine, & spem ponimus carnem brachij nostri ; quando nos plenos sermonibus & scientijs arbitramur, & præ tumore vano arctat nos spiritus vteri nostri ; quando cum fastuoso illo iactamus, Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescimus quia pauperes sumus, omnibus indigentes? Numquid similes arundini facti sumus, quãdo in baculo arũdineo speramus, cui quò magis innitimur, eò citiùs frangitur ? Nescis, ô homo, quia vanitati

Ier. 51.

Apo. 3.

similis factus es, & dies tui sicut vmbra prætereunt, dum his immoraris? Nescis prætereà miser, te per vanitatem locum dare diabolo? In secreto siquidem
Iob. 40. calami habitat; in vanitatibus, in cogitationibus quæ sunt sine intellectu: quando ad omnem doctrinæ vel tentationis ventum agitaris, sicut moueri solet arundo in aqua.

Arundines itaque multis modis existimus; sed fecisti nobis Domine signum in bonum, quando (dirigente malitiam sapientiâ) posuerunt arundinem in dextera tua. O potens dextera! ô felix sceptri locatio! Omnes in arundine tua, Christe, libenter concludimur, vt sceptro tam salutari protegamur, vt in dextera tua collocati seruemur. Virga siquidem directionis, virga regni tui; sceptrum contemtus, sceptrum glorię. Tene quod habes, ô bone Iesu, & nemo accipiat coronam tuam, cui sumus implexi; nemo sceptrum eripiat, cui sumus inserti. Fragiles, vacui, instabiles, & miseri sumus; sed in hac dextera tua, fortes, inuictique reddemur, & omni benedictione replebimur: quia dextera tua repleta est muneribus.

Sed, nostin', ô anima mea, quid hanc in rem facto sit opus? sicut te veram arundinem, vanam, omni bono destitutam, tum per naturæ corruptionem, tum per malitiæ culpam esse consideras; ita quoque per studium humilitatis hoc ipsum agnoscas: vt arundinis in Christi dextera collocatæ prærogatiuâ fruaris & gaudeas. Dic igitur Deo deuota & fidelis: Ego
2 *Cor.* 12. in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me
Phil. 4. virtus Christi. Quídni? Cùm enim infirmor, tunc
1 *Pet.* 5 potens sum: & omnia possum in eo qui me confortat. Arundinem quassatam non confringet Dominus; sed modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

Dicite itaque mecum, omnes qui vos egenos & pauperes agnoscentes, suauissimo benedictæ huius cannæ almæque arundinis saccaro impleri desideratis,

dicite

dicite inquam; O Domine Iesu, qui esurientes reples bonis, & diuites de se præsumentes dimittis inanes; en, fragiles & vacui sumus. Reple tuorum corda fidelium, & tui amoris ignem in nobis accende: tibiq́ue laudem decantabimus, dicentes omni populo terræ: Repleti priùs, pro panibus se locauerunt; & famelici saturati sunt. Erimus siquidem mirabiliter consolati, si hîc nostræ humilitatis arundines gratiæ tuæ vbertate repleantur; scimus etenim quòd per tuam admirabilem gratiæ benignitatem, & promissionem, posteà, pro eiusdem mensuræ capacitate, sequetur & gloriæ amplitudo. Fulgebunt etenim iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent; & regnabit Dominus illorum in perpetuum, & ipsi cum eo. Numquid F dilecto tuo discipulo, Domine, id in visu præsignasti; quando pro arundine tribulationis & humiliationis hîc perpessę, vidit in cælis palmas in manibus eorum? O igitur felix arundo quæ æternæ gloriæ palmas progignis! 1 Reg. 2 Apo. 7.

Oratio.

DEus, humanæ conditionis amator, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: da nobis per arundinem, in Christi dextra collocatam, constantiam; qua nec mundi blandientis vanitate flectamur, neque desæuientis terrore quassemur. Amen.

23. GENVFLEXIO IRRISORIA.

Stupor! hunc ficti specie deludere Regni;
Qui Deus & veris ludit in imperiis!

1 Reg. 29. NONNE iste est Dauid, de quo canebant in choro, dicentes; Percussit Saul mille, & A Dauid decem millia? Numquid hic est Christus, ô Iudæi, Messias vester, cui plurima turba, & fortè vos ipsi quoque clamastis exultantes; Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel: benedictum, quod venit
2 Reg. 16. Regnum patris nostri Dauid; Hosanna in excelsis? Et quomodo ergo maledicunt canes hi morituri Domino meo Regi; durosque acerbæ irrisionis lapides, adorationis specie tectos, in eum conglomerant? B

Sed in viro secundùm cor tuum, mitissime Domine, secretum latentis consilij tui manifestè considero, dum ipse tuæ huius illusionis & iniuriæ ab homine scelerato perpessæ figuram referens, dicit; Dimitte eum, vt maledicat; Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Iam dirè flagellis conscissus, purpurea chlamyde per iocum ornatus, spineâ redimitus coronâ, sceptroque arundineo donatus, vt omnes in te Regalis inaugurationis partes per risum admitteres; voluisti quoque ridicula & probrosa genuflexione velut Rex Iudæorum salutari.

O superbæ mentis nostræ præsumptionem! ô dementis arrogantiæ fastum! ô regalis cuiusdam eminentiæ, ad ardua Virtutis concessæ, præfracti animi nostri ambitionem! En quantis ignominiæ summæ momentis, per humilitatem à Deo maiestatis expenditur; quod à nobis vilissimis hominibus, ipsius mandata spernentibus, per inanis iactantiæ fastum perpetratur!

GENVFLEXIO IRRISORIA.

O ſtupor! hunc ficti ſpecie deludere Regni,
Qui Deus, et veris ludit in Imperijs!

Met ſlaghen, ſchimp, en ſpot, ſy Chriſtum roninck groeten.
Wilt, o ghenadich Godt, daer deur vnſ ſchulden boeten.

Eſt-ce cy donc la foy, que voſtre folle rage,
Fait a vn qui ſeul Roy, merite tout hommage?

petratur! Ecce, quàm indignis modis excipitur Rex gloriæ, ludibrium & opprobrium hominum factus; vt & insatiabilis vanitatis nostræ tumorem elideret, & veræ humilitatis exemplar daret! Nónne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis. Meritò itaque nunc, pijssime Iesu, ad pedes tibi accidimus; &, non cum impijs illis illudentes, sed cum veris Iudæis amorem & misericordiam tuam in Regia maiestate nitentem confitentes dicimus; Aue Rex Iudæorum. Aue mundi redemptor, & Domine dominorum: Tu rex gloriæ, Christe: tu Patris sempiternus es filius: tu ad liberandum susceпturus hominem, non horruisti Virginis vterum; non dubitasti manibus tradi nocentium, & amarissimæ Passionis subire tormentum. *Ps. 43.*

Tu Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. Regna tu in nobis, Iesu; ne peccatum regnet in mortali nostro corpore: nec quidquam imperij in animis nostris aduersarius, Regni tui perduellis, arripiat. *Ps. 46.*

At, nostin', animal gloriæ, superbe homuncio, quid in hac Iudæorum Gentiliumque genuflexione, tibi culpæ reconditum, quid salutaris documenti reclusum? Forsan ignoras, neque vsqueadeò nosse desideras, obstante superbia. Recensere tamen est animus. Nónne genua flectere, signum est humilitatis? animi scilicet demissi, vt spontanea illa corporis staturæque contractio atque imminutio repræsentat? Est. At, isti ponentes genua, nunc vnum, nunc alterum inflectentes, altero semper interim ad surgendum parato, simulatam solummodò submissionem exprimebant. Vnde, flexu corporis exteriori, vocisque sono, reuerentiam adorationemque fingentes, illudebant ei; cùm intus verè illum fastidirent; & tamquam regnare volentem & non valentem, vt regem irrisoriè salutabant: vtque qui falsò se Deum iactasset, per iocum & risum adorabant.

Ah!

Isa.29. *Tit.* 1. *Eccli.* 19. Ah! quoties id facimus etiam nos, de quibus meritò conquereris Domine, Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me! Ita faciunt, quotquot in Christum credunt, atque ore Deum confitentur; factis autem negant. Sic & tu, ô homo, quisquis te nequiter humilias, & interiora tua plena sunt dolo. Humiliare itaque in puluere, anima mea, quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.

2 *Reg.* 16. Verùm, tametsi Chusai ad Absalom rebellem accedens, nec irridendo, neque verè tamen vt regem honorando, sed à Dauide instructus ad bonum, Deo dirigente solertiam, dixerit; Salue Rex, salue Rex; noli tu tamen vmquam erga Deum, Regem Saluatoremque tuum, vel minimum fictionis admittere. Sed ex toto corde tuo, & ex totis viribus tuis, benedic anima mea Domino: & dic illi; Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Flectensque genua corporis, flecte & genua cordis tui, cum Manasse rege, precans & obsecrans Dominum.

*Ps.*103

2 *Par.* 36.

At, videte, quàm meritò vestri gratiâ (perfidi Iudęi) non flectimus genua, quando in Parasceues officio, inter omnia hominum genera, etiam pro vobis orat Ecclesia: eò quòd Christo per irrisionem flectentes genua corporis, cordis vestri obdurati genua non flexistis: sed in eum insurgentes, exspuistis in faciem eius: & accipientes arundinem percussistis caput eius; pœnamque spinarum pungentium, & vituperij inflicti acerbitatem, adaugentes.

O miseri! quàm tremendum vobis olim apparebit hoc caput, quod nunc irridetis! O caput admirandum, à quo omnis benedictio, non solùm vsque in barbam Aaron, sed in oram quoque vestimenti eius, ad totius Ecclesiæ repletionem, descendit! Iam tingitur sacer ille vertex vsque ad humeros dimanante sanguine; sicut priùs in flagellatione totum corpus roseo fuit rore perfusum: & vos, impuri homines, sanguinem testamenti pollutum existimatis, qui Christum

stum Regem despectui & ostentui habetis. Denique, an ignoratis mortales, quot quantisque modis in hoc facinore Iudæos imitamini? Numquid Christi caput est Deus? Itaque caput eius iniquè percutitis, quotquot eius Diuinitatem impugnatis: hæretici, glorioſi, abundantes in scientia, & vanitatis studioſi: otioſi quoque & acedioſi, dum inanitate pluſquam arundinea fastigiati, diuini quid vobis arrogatis.

Oratio.

DEus, Regnorum omnium Regumq; dominator, animarum nostrarum, quæsumus, tuere imperium; vt nulla vnquam in nobis dominetur iniquitas, sed post debitum diuinæ tuæ Maiestatis obsequium, promissum fidelibus Regnum obueniat. Amen.

24. ECCE HOMO.

Ecce hominũ formator homo, iam nõ homo, vermis;
Fæx hominum; pereat ne malè vermis homo.

Gen. 3. ADAM vbi es? & vbi est Eua vxor tua? vbinam estis exules filij Euæ? Venite & videte virum Ægyptium (anguſtiatum vtique & tribulatum) virum dignum ſpectaculo. 1 Cor. 4 Spectaculum ſiquidem factus eſt mundo, & angelis, & hominibus.

Iudic. 16. Iob 37. Thre. 2 At, quid eſt hoc? Deficis, ſentio, anima mea, & ad mortem vſq; laſſata es. Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo. Hei mihi! cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Ieruſalem? Cui exæquabo te, virgo, filia Sion? Magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Verumtàmen eleua paululùm oculos tuos in montes, vnde veniat auxilium tibi: & attende, quis eſt qui egreditur; fortè refocillaberis. Audin' vocem clamantium vndique ſuper hoc viro infirmo & deſolato, & forti conſolatore tuo? Vox in primis de paradiſo ſonat in aures noſtras: Gen. 3. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt; ſciens bonum & malum. Vox nuntij accurrentis & clamantis: quid clamat? Ecce Dauid in Naioth, quod eſt interpretatum, pulchritudo & decor. 1 Re. 19 Cant. 3 Nónne & tu dixiſti illi, dilecta; Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus? At, at; non eſt ei ſpecies neque decor: videmuſque eum quaſi leproſum, deſpectum, & nouiſſimum virorum: virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Sed nondum ſatis. Audite agricolas & colonos eius in Matth. 21. eum conſpirantes, dicenteſque; Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem. Immò & fratres eius in eum infrementes audimus; Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.

O Ieſu patientiſſime; quàm iuſta de cauſa lamentatus es per Prophetam, dicens; Ier. 12. Facta eſt mihi hereditas

mea

ECCE HOMO.

Ecce hominum formator homo, iam non homo, vermis,
Fæx hominum; pereat ne male vermis homo.

Siet hier, siet hier, dey mensch; o mensch hoorh vay moede!
Spieghelt u hier, naer wensch; ey leert, tulbey behoede.

Qui de ceus-cy croiroit, que Iesus Christ fut homme,
Si on ne l'asseuroit, veu le mal, qui l'assomme?

mea quasi leo in silua: dedit contra me vocem? Quam vocem? Tolle, tolle, crucifige eum. Conclamatum est, pijssime Domine, in caput tuum ex omni parte.

O insaturabiles odijs animi! ô pectora tygribus truculentiora! Ecce homo, inquit gentilis ille Præses; Considerate Iudęi, si quid hominis in ipso videre est, in quem summa desæuijt inhumanitas; si fortè commiseratione aliqua moueamini. Ecce homo, nihil hominis, sed feræ plus canibus agitatæ, referens: Ecce rex, oppletus opprobrijs; Ecce Deus, minoratus ab angelis, viliſſimoque mortalium magis exinanitus: & nequit ad minimum humanitatis sensum inflecti pectus vestrum, omni fera crudelius. Quapropter, audite nunc magnum vestrum Patriarcham, Prophetam, Regem, meliùs Pilato loquentem, & tonantem vobis, quo percellamini. Loquere Dauid Veridice; & amabilis Christi tui depinge despectum, decanta victoriam: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem *Psal. 51.* suum; & prævaluit in vanitate sua. Qui derelictus infirmitati naturæ, quam pro nobis assumserat; & vestræ pariter crudelitati, prauæq; voluntati (qua ad vestram quoque, si vultis, est vsus salutem) à Patre suo cælesti traditus; prævaluit tamen in vanitate sua: quam illudentes toto illo ridiculo regio apparatu & schemate ei affinxistis, inanem pro sceptro arundinem ceu symbolum vanitatis obtrudentes. Prævaluit inquam in hac vanitate sua: nam superatis vniuersis, patiendo victor euasit, deque vobis hostibus suis rediuiuus triumphauit.

Porrò, quàm longè diuersum ab hoc spectaculum vobis exhibendum putatis, quando cortinâ scenæ mundi mutatâ, venientem in nubibus cum maiestate magna cernetis, eumque videbitis in quem tanta confinxistis opprobria, quemq; diris vestris linguis lanceisque confixistis! Iam vt phrenetici clamatis; Tolle, tolle, crucifige eum: tunc verò obstupescentes, dicetis montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos.

At,

Cãt.3. At, egredimini vos, filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius; in die lætitiæ cordis eius.

Numquid humana natura, qua illum mater eius inuestiuit; & nunc spinea corona, quam illi Synagoga contexuit, velut diademate fuit ornatus, ad desponsandum sibi genus humanum, ardentissimo flagrantis amoris desiderio? Numquam Rex ita ornatus fuit, sicut modò sponsus animarum nostrarum Christus. Sed, venite, & in vnum conuenite, fideles animæ; & vos ipsas hoc in speculo contemplamini. Fletus deducite oculi mei; & liquesce anima, proprię pœnitudinis ardore, & igne compassionis, super contritione dilecti sponsi tui. Sicut cera mollis in te formam eius admitte: sic enim placitum est ei. Ecce homo, Ecce Rex vester; Ecce cognoui Domine, quia Deus meus es tu: & Ecce Domine, tu vicissim cognouisti omnia, nouissima & antiqua. Te video spectandum exhibitum populo, imaginem quasi regis habentem, serui tamen despectissimi confusione repletum: sed veriùs, me video in his omnibus ad viuum expressum: adumbratam castigatamq; contemplor meram totius vitæ meæ vanissimæ fabulam. In vibicibus tuis, bone Iesu, serpentem toto corpore meo video luxuriæ pruriginem. In corona capitis spinea, capitis mei superbiam. In arundineo sceptro, totius vitæ meæ vanitatem & inanem fastum. In veste purpurea, meam animaduerto pręsumtionem, ambitionem, & animosam excellentię propriæ propugnationem. In ridicula salutatione & adoratione, exhibitum video congenitę mihi complacentię studium, stultum auræ popularis venatum, laudísque propriæ nundinationem. Eapropter ad te conuersus, pijssime Domine, tuisque pedibus aduolutus, horum omnium & innumerabilium aliorum culpam agnosco, veniam deprecor, & spondeo meliora. Quoniam benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, nostrûm omnium medicus & saluator.

Ps. 55. & 138

Currite

Currite, currite, filiæ Sion inclytæ, videte terram verè lacte & melle manantem. Agite, satagite sitibundi fideles: fugite mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Bibite, saturamini, inebriamini charissimi. Quicumque verò inebriatum se senserit, is iam in altum se Christi loco constituat, toti mundo spectabilem, vt in die iudicij futurum. Finge, te audire singulorum de te iudicium: audi & vide, quàm vanidè te quidam collaudent tuque teipsum palpas, in quibus tamen te intus redarguit conscientia. At nunc voces vituperantium attende: audin' quid de te dicant? Ecce homo, vanus, superbus, inhumanus, auarus, præsumptuosus, inuidus, voluptuosus, iracundus, sui amans: Ecce homo, qui totus vanitati similis factus est. Ecce miser, in quantis te accusant, & in quanto maioribus accusarent, si nossent omnia! Malles, scio, spectaculum fieri mundo, cum Herode veste regia circumfulgens, audireque vulgi acclamationes, vt ille: sed terreat te horrendum illius adiunctum exitium. Quapropter, tu te ipsum tuaque omnia flagitia discute: cumque te, quasi alienis oculis, ductu propriæ conscientiæ, ad vnguem expenderis, videríque peccatorum tuorum congeriem contra te stantem, tu in corde tuo contra temetipsum clama: Tolle, tolle, crucifige eum: vt cum Christo cruci confixus, cum ipso quoque corregnes in æternum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in Filij tui humilitate iacentem mundum erexisti, mentium nostrarum quæsumus elide superbiam, vt neque laudantium ora in vanum attollant, neque vituperantium voces à recto deijciant; sed in humilitatis soliditate fundati, securiùs de tua misericordia confidamus. Amen.

25. LOTIO MANVVM.

Quàm lauet vnda manus, lacrymis priùs ablue mentem:
Sic quoque quem fundis sit tibi sanguis aqua.

Dan. 5 Baruch 3. FACIES tua, Pilate, video, commutata est; & cogitationes tuæ te conturbant. Anima tua in angustijs est, & spiritus tuus anxius non te sinit quiescere. Nunc intras in Prætorium, nunc prodis foras: iterùm intrò te recipis, mox rursum exis in publicum. Quid facies tandem? quò te vertes miser? Velles quidem, quantum aparet, Iesum de manibus quærentium animam eius eruere: sed verè magis nolles eorum incurrere indignationem, Cæsaris iram minantium. Fluctuas animo, iactaris vndis cogitationum in diuersa trahentium, lupum auribus tenes. Quò tandem hæc omnia? Vbi nunc illud, quod dicebas, Numquid habeo potestatem dimittere te? Quæris effugium, & apertam iusti æquique ianuam non ingrederis.

Dic tu nobis, Euangelista fidelis; quid tandem consilij capessiuit? quid egit? Videns Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret; acceptâ aquâ, lauit manus coram populo; dicens, Innocens ego sum à sanguine Iusti huius. Mentita est iniquitas sibi. Iustum testaris, & morte condemnas. Nocentibus tradis innoxium, teque innocentem profiteris. Nefandissimo te contaminas scelere, & lauans manus te immaculatum prætendis. Rectè itaque mentitus es in caput tuum. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculatus es in iniquitate tua coram Domino.

Matth. 27. Ps. 26. Dā. 13 Ier. 2.

Sed, dic quæso, vnde talem hausisti vafriciem? quis tibi talis commenti est auctor? Non id quidem ex vlla

Roma-

LOTIO MANVVM.

Quàm lauet vnda manus, lacrymis prius ablue mentem,
Sic quoque quem fundis sit tibi sanguis aqua.

Pilate Waschtu Wel; maer niet alleen u handen;
Waschtaf dat siel-ghequel, en breeckt der sonden banden.

Ains que lauer tes mains, re-laue en pleurs ton ame;
Ils ne seront pas vains, pour sa souillure infame.

Romanorum consuetudine, alióve Gentilium ritu,
B sed sumto potiùs ex cærimonijs Iudæorum exemplo, feciſti. Sic enim lex ipſis præſcribebat; Inuento cadauere occiſi, &c. venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus ſuas ſuper vitulam, quæ in valle percuſſa eſt: & dicent; Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt. Dum verò ibi ſuper inuento per caſum hominis occiſi cadauere (reo latente) forma quædam expiationis indicitur, quid hoc commune habet cum mortis ſententia in innocentem, eumque adhuc viuum ferenda? Nónne ſolent & alij iudices, etiam Gentiles, alio modo ſuam innocentiam declarare? quando ſiquidem reus ſupplicio dignus, iuxta commerita mortis agitur; tum qui ſententiam eſt pronuntiaturus, ſublatis aduerſus ſolem manibus, ſe innocentem ab illius ſanguine proteſtatur. Nónne communis hæc ferè eſt omnium iudicum rectorum conſuetudo, quando facinoroſorum aliquem morti ſunt adiudicaturi? cortinas obducunt, & expertiſſimos quoſque ad cauſæ tractationem aduocant, multumque temporis inſumunt. Nunc legis rigorem intuentes, nunc naturæ communionem ſuſpicientes, multumque ingemiſcentes, iudicandique neceſſitatem deplorantes, nemini non manifeſtum faciunt, quòd non ex propria libidine, ſed ex neceſſario legis miniſterio, condemnationis inferunt ſententiam. Iſtud tu quidem, Pilate, viſus es velle imitari, per puerilem illam manuum tuarum lotionem: ſed numquid hîc tibi nimis euidens viſa eſt, & iniquitas iudicis, & innocentia iudicati?

Deut. 21.

Plus iam ſemel te nullam in eo cauſam inuenire teſtatus es: quodque etiamnum te ſanguinis iuſti reum fore formides, teſtatur tum friuola lotio, tum parum ſana illa tua purgatio, cùm lauans dixiſti; Vos videritis. Innocentem itaque & iuſtum te iniuſtæ morti traditurum fateris; ſed quòd quaſi inuitus facias,

cias, te culpâ vacuum dicis, omnem in accusatores culpam reijciens. Vos autem miseri & occęcati Iudęi, videntes trepidantem iudicem, vltionisque diuinę nimiùm vestro iudicio metuentem, eum exoneraſtis; clamantes, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vindictam tamen in vos transſumptam, quàm meritò adhuc luatis, testis plaga illa notissima, quâ
Ps. 77. percussit vos Deus in posteriora, opprobrium sempiternum dedit vobis. At nos rectiùs dicamus ex mente tam indigna pro nobis patientis; Sanguis eius super nos, & super filios nostros; à progenie in progeniem, timentes eum. Ita Domine Iesu sit placitum coram te; vt nihil vmquam aut mente voluamus, aut ore proferamus, vel manibus attentemus, quod pretiosi tui sanguinis merito non sit tinctum & insignitum.

Videte nunc, vt Pilatum imitamini, quotquot iniustè iudicatis, iustificantes impium, & innocentem condemnantes. Vos quoque, qui iniqui, scelerati, impuri esse vultis, probi tamen haberi desideratis.
Pro. 30 Numquid & illam imitamini, quæ luxurijs vacans, tergensque os suum, dicit, Non sum operata malum? Numquid & vos Pilati discipuli, bilingues, duplices animo, lites, contentiones, cædesque seminantes, & interim boni viri speciem prætendentes? Lauatis cum Pilato manus, vos in peccatis quoque excusantes; sed conscientias & corda polluitis: quapropter nec mare totum ritè expiandis suffecerit. Manus animæ vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate, quam lympha non abluit. Laua à malitia cor tuum Ieruſa-
Isa. 59. lem, vt salua fias. Vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?

Rememoramini mecum, ô Christiani, quàm salutari diluuio in Christi sanguine aliquando abluti fueritis: mundati estis, iustificati estis, sanctificati estis. Nolite igitur velut sus lota, rursum in volutabro luti sordescere. Nolite pedes affectuum vestrorũ terrenæ cupiditatis sordibus iterùm inquinare. Quòd si verò

vel

vel per infirmitatem greſſuum veſtrorum, vel per viæ lubricitatem, ſeu denique per impellentis turbæ proteruiam, labis aliquid fortè contractum eſt; Pœnitentiæ mox illud fonte, fluentiſque lacrymarum abſtergite. Dic anima mea Domino; Lauabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Lauabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine. Cumque ab omni delicto mundaueris cor tuum; clama inſuper ad immaculatum dilectum tuum: Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & ſuper niuem dealbabor. Quod ſi non feceris, meritò te comminantis exterreat tonitru: Væ tibi Ieruſalem! Non mundaberis poſt me vſquequò adhuc? Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis. *Ier.13. Eze.24*

Oratio.

DEus, qui nos in peccatis conceptos, per regenerationis lauacrum in Filij tui ſanguine miro modo mundaſti, & reliquis vitæ caducæ maculis abluendis, vberes in Eccleſia tua fontes aperuiſti; da nobis ita gratiæ tuæ fluentis abſtergi, vt cæleſti conſortio (quò nihil inquinatum ingreditur) aggregari mereamur. Amen.

26. MORTIS SENTENTIA.

Iudicio ne ſuccumbas damnabilis; Inſons
Fertur damnati Iudicis ore Reus.

Haba.1 *Eccle.3* QVARE non reſpicis, Domine, ſuper iniqua agentes? & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Eheu! Vidi ſub ſole, in loco Iudicij impietatem: & in loco Iuſtitiæ iniquitatem. Dimiſit eis Pilatus Barabbam, quem petebant: Ieſum autem flagellatum tradidit voluntati eorum, vt crucifigeretur. Sed, qua lege iuſtitiæ? qua forma ſententiæ? An indignam putaſtis, Euangeliſtæ, quam veſtrûm cuiuſquam penna deſcriberet? Attamen ſatis ſuperque fraudem detexiſtis, dum indicaſtis, quòd iniquus Præſes, volens populo ſatisfacere, adiudicarit fieri petitionem ipſorum, non tam ſeruata iuris forma, quàm vt populari furori ſeruiret. O facinoris inauditi grauitatem! indignitatem! impietatem!

Pſal.71 *Pſ. 24.* Deus, vel iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis; vel ſaltem dirige manſuetum in iudicio. Ecce, quid agant iſti. Innocens iterùm Naboth, verus inquam Naboth noſter, Verbum tibi coæternum, Prophetarumque ſermo viuus & efficax, Vnigenitus tuus, veræ tuæ vineæ heres, à conſilio malignantium morti adiudicatur. Nullæ ſunt adductæ accuſationes legitimæ, nulla conuenientia teſtimonia, ipſe Pilatus ſcit illos per inuidiam eius mortem expetere, iamque tertiò ipſemet proteſtatus eſt publicè, ſe nullam in eo cauſam inuenire, neque Herodes aliud quàm innocentem declarauit; Vxor Pilati, cùm pro tribunali ſederet, miſit ad eum, atque adeò in publicum prodijt, Chriſtique ceu Iuſti innocentiam eſt conteſtata; & tamen his non obſtantibus, condem-

3 Reg. 21.

natur

Iudicio ne ſuccumbas damnabilis, Inſons
Fertur damnati Iudicis ore Reus.

Wat hoorey-Vry? Vvat iſt? Wordt Chriſtus hier ver-Vroeſey?
O haetelickey tVoist; hoe hoogh sy-dy ghe-vroeſey!

Quoy? venant d'annoncer l'avereè innocence,
Ose tu prononcer vne telle ſentence?

natur ad mortē, mortem autem crucis. Exurge Deus; *Pſ. 73.*
& iudica cauſam tuam: quia cùm verè dixerit ipſe; Ego
& Pater vnum ſumus; etiam cauſam vnam atque eam-
dem eſſe vtriuſque neceſſe eſt.

Vide tu interim, Pilate, quid agas; quia ſi hunc cru-
cifigis, non eris amicus Dei. Deus ſiquidem tuus eſt,
Deus Iſrael, tametſi gentilis eum ignores; qui in hæc
verba te Iudicem informat: Non ſequêris turbam, *Exo. 23*
ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum
acquieſcas ſententiæ, vt à vero deuies. Quod tu ta-
men feciſti. Et ne eum tuam machinationem latere
exiſtimes; Aues cæli portabunt vocem tuam: & qui *Eccle.*
habent pennas, annuntiabunt ſententiam tuam. Ne- *10.*
que vides, infelix, quòd & contra Romanas æquè at-
que Iudaicas leges peccaſti, quando Chriſtum cruci-
figendum tradidiſti? Quando, te quæſo, Romanæ le-
ges crucis ſupplicio innocentes adiudicare conſue-
uerunt? Sin verò, in gratiam Iudæorum, ipſorum
quoque legi te accommodaris: an ignorabas, quòd
etiam cùm iuſtiſſimè Iudæi aliquem ad mortem iudi-
caſſent, eſſet tamen ad decem dies differenda execu-
tio: nónne Senatuſconſultum Tiberij Imperatoris
(à quo tu in Iudæam miſſus es Præſes) ante annos
iam duodecim factum, factum tuum redarguit? Cau-
tum ſiquidem illo fuit, vt ſupplicia damnatorum in
decimum vſque diem differrentur. At, Iudæi, in-
quies, feſtinabant, vrgebant, ipſa quoque acceleratio
illis mora fuit. Credo, vt veloces pedes veſtri ad fun-
dendum ſanguinem; ita ſcilicet numquam aliàs futu-
ra vobis erat aperta ſatis ad interitum via. O inuidia
ſemper edax tui; & rabies proprio inſidians auctori!
Iterúmne igitur innocentis Suſannæ iniuſtum exer- *Dã. 13*
cetur iudicium? iniqua profertur ſententia? morte
condemnant iuſtum, iudices ipſi morte quauis digniſ-
ſimi? Dicat proinde maiori iure Pilatus de Chriſto
quàm olim Iudas de Thamar dicebat, qui illam ipſe *Gen. 38*
quoque reus igni adiudicarat: Iuſtior me eſt.

Sed tempus vt ad te & mens noſtra & vertatur oratio, innocentiſſime Domine, qui hodie ſicut agnus inter lupos accubuiſti. Sententia tua (tametſi iniqua) apud Dei patris tui prouidentiam, tuiq́ue conſilij rationem, iuxta ſalutis noſtrę exigentiam erat iuſtiſſima. Iure ſiquidem Romanorum famoſis furibus Thau ſignum inurebatur, quod crucis figuram exprimebat. Apud Iudæos verò, crux homicidis decernebatur. Supplicium itaque crucis, quod Barabbæ duplici de cauſa, latrocinij & homicidij, debebatur; & nobis, quorum typum gerebat; hoc tibi Chriſte eſt irrogatum: qui, vt in locum Barabbæ Deo diſponente ſucceſſeras; ita quoque omnium noſtrûm peccata ſuſceperas expianda. Huc quidem & iniqua Iudęorum electio, & iniuſta Pilati ſententia concurrebant; ſed abditâ Patris tui æterni ſapientiâ rem totam dirigente, tuaq́ue charitate ſpontanea vices noſtras obeunte, ſic accidit, vt à vobis fuerat conſtitutum.

Vos quidem, Iudæi, tum primùm de cruce cogitare cœpiſtis, quando Chriſti cum Barabba fieri cœpta eſt collatio: ſed tu bone Ieſu, ita ab æterno cum Patre & ſancto Spiritu certa de cauſa præordinaras. Quia, ſicut pro Iudæis ac Gentibus hoc ſupplicij mortiſque genus eras ſuſcepturus; ita vtriſque iam olim ab initio, Crucem ſalutis ſignum effeceras. Quemadmo-
Ezec. 9 dum enim aliquando in ſancta tua ciuitate ſaluandos ſigno Thau in fronte notari mandaſti; ita ſignum hoc apud Ægyptios hieroglyphicum, certam ſalutis & vitæ notam eſſe voluiſti.

Iob 36. Cauſa itaque tua, pijſſime Domine, quaſi impij quidem iudicata eſt: & ideò quoque iudicium cauſamq́ue recipies; vt ipſe iuſtè iudices aliquando: ſed tamen, vt ita fieret, ſalus noſtra poſtulabat. Væ interim illis, per quos ita factum eſt, quod præordinatum erat vt fieret. Sed, an non deterrebit me à peccato ſententia, tam iniquè prolata in caput tuum, pro ſalute mea? an non deterrebit ſententia tam iuſtè per

te

te ferenda contra insensatos? Absit igitur hoc committam, pro quo ipse morti fuisti adiudicatus; absit hanc rem faciam, pro qua me æternæ morti sis adiudicaturus.

Venite peccatores, præoccupemus potiùs faciem eius in confessione, & digna propriæ culpæ discussione, nos ipsos dijudicemus. Vtque inquisiuit diligenter Daniel quam ob causam tam crudelis sententia, occidendorum omnium sapientum, à facie regis Nabuchodonosor esset egressa, tempestiueque sategit, quo à suis suorumque ceruicibus ferrum auerteret; sic& nos agamus, Dei voluntatem ex animo facientes. Venite, inquam, & ante faciem eius procidamus, dicentes; Oramus te Iesu dulcissime per iniquam illam tuam condemnationem, noli nos condemnare; sed miserere nostri, in die illa tremenda: donumque fac remissionis ante diem rationis. Dic quęsumus Domine animæ nostræ, quod illi desolatæ peccatrici dixisti: H Nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo. *Dan. 2* *Ioan. 8*

Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, qui viuorum simul & mortuorum Iudex crederis esse venturus; propitius esto mihi seruo tuo peccatori, à Iudicijs enim tuis timui: & da sic iustitiæ tuæ timere rigorem, vt tuæ me pacis osculum in nouissimo consoletur. Amen.

27. CRVCIS APTATIO.

Quam Christo Iudæe paras, innoxia crux est:
Impie, quam fabricas crux scelerata tua est.

Ezec. 8 EIlI hominis, fili Dei, fili Mariæ, putásne vides tu, quid isti faciunt? abominationes magnas, quas domus Israel facit hîc, vt
Eccle. 11. procul recedant à sanctuario tuo? Iesu dulcissime, fili fabricatoris omnium; ecce, qui te per ignominiam fabri filium appellarunt, ignominiosæ mortis A
Iob 15. tibi fabricant instrumentum. Quid agitis impij, fa-
Isa. 45. bricatores mendacij, fabricatores errorum? Putatísne quòd opus manuum vestrarum intelligitis, dum siderum conditori crucem aptatis? Numquam legistis,
Esth. 5 6. quòd Aman iussit excelsam præparari crucem pro B
Mardochæo, quódque ipsemet in ea suspensus fuerit; Mardochæus verò regio cultu sublimatus? Ita quoque in caput vestrum redundabit hæc machina; & regnabit à ligno Deus, dabiturque ei potestas in cælo &
Nũ. 21 in terra. Non recordamini, quòd, sicut Moyses exalta-
Ioan. 3 uit serpentem in deserto, ita exaltari oporteat filium C
hominis; vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam?

Accurrite, accurrite, quotquot à venturo peccati D
gehennęque diluuio, non sine causa formidatis: Veni-
Sap. 10 te, & saluamini in hoc ligno. Contemtibile quidem est illud, sed salutiferum & diuina sapientia dirigente
Gen. 6. viuificum. Hæc est enim arca, quæ & in salutem cre-
Heb. 11 dentium est fabricata, & per quam mundus in sua incredulitate damnetur.

Sed quas tibi gratias referemus, æterne Pater, E
Deus patrum nostrorum, quòd, quasi resumta renouataque primogenia naturæ nostræ conditione, iterùm lignum vitæ, non iam quidem in medio paradisi,

sed

Quam Chriſto Iudæe paras, innoxia crux eſt:
Impie, quam fabricas, crux ſcelerata tua eſt.

O Wereldlieden onbroedt, onWeerdich alder eere!
Als ghy duò ſonde doet, t'Cruyò maeckt ghy bay den Heere.

Mon ame, a cette croix, tout le bois tu confere;
Quand ſans fin tu accrois (en pechant) ta miſere.

sed in loco morticinorum & horroris pleno plantasti; vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Christum Dominum nostrum? Gratiæ tibi immensæ, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, pro tam singulari morientis mundi remedio, in mortis instrumento recondito. Gratiæ tibi immortales, pijssime Domine, agne Dei, fili Patris, Iesu Christe; cuius morte mortiferum lignum, vitæ datiuum effectum est. Gratiæ quoque tibi perennes, creator Spiritus, tam mirabiliter inuentæ salutis nostræ inspirator & architecte. Impiorum manibus malitiam suam explentibus es operatus: vt quod illi machinabantur ad mortem, hoc piè credentibus prodesset ad vitam.

Peccatores, adeste, quibus iusta pro meritis impendebat damnatio; quibus aditum cæli peccatorum patratorum moles obstruxerat; quos iusta Dei deterrebat offensa; queîs nulla spes veniæ suppetebat. Ecce, iterùm scala Iacob erigitur, & in Christi cruce viuifica renouatur. Videtísne descendentes ascendentesque per hanc Angelos? videtísne Dei filium, misericordiæ viscera, gratiam cælestem, per hanc ad nos placidè delabentem; vt nos per eamdem, ad veniæ, gratiæ gloriæque thronum ascendere faciat? Animæquiores simus; ecce, placatus per hanc Dei vultus inuitat nos, totaque cęlestis curia nos expectat. In hoc igitur ligno gaudete, congaudete, & congratulamini mihi: & tamquam de incomparabili thesauro reperto, exultate in lætitia cordis vestri, magnificantes Deum.

Vultis in hoc quoque mysterio manifestiùs adhuc vobis Scripturas aperiam? Attendite & videte, atque amoris igne cor vestrum exardeat. Quid te loquentem audio, vir Dei, simplex & recte, Propheta Iob? Dic, inquam, & loquere magnificam tuam gloriam, dignitatem, & principatum, quo à cunctis cohonestabaris,

ſtabaris, quando tibi erat iuxta menſes priſtinos, & ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat te: ſaltem partem vnam eorum recenſe; quam in hoc triumphali
Iob 29. crucis throno ſectemur. Quando procedebam ad portam ciuitatis, in platea parabant cathedram mihi. Magnificum reuerà delati honoris argumentum. Eia, eia, quid mœres? quid, anima deſolata, turbaris? quid murmuras, quando aliquid tibi à proximo triſtitiæ doloríſve infertur, vel contumeliæ? lætare potiùs & exulta. Crux eſt quidem: ſed verè cathedra tibi in platea paratur; in qua per patientiam tuam doceas etiam te affligentes, totiſque mundo atque ipſis angelis reddaris adſpectabilis, teſque ipſa tandem ad æternæ gloriæ thronum attollat.

Audite & vos, filiæ Ieruſalem, fideles animæ, contemtus ac vituperij huius mundi triſtitiam atque amaritudinem nimiùm incuſantes; & contra hæc, conſolationis humanæ nimiùm appetentes. Neſcitis verè, quid conqueramini; neſcitis quoque quid petatis. Vultíſne meliorem amaræ mundi dulcedinis dulcorationem, quàm per lignum, in quo ipſa dulcedo pependit? quodque olim Moyſes per vmbram
Exo. 15 in aquas Mara proiecit, fecitque potabiles? Si nec hoc ſatis vobis, & lugetis adhuc, veſtram pulchritudinem, decorem, vt dignitatem ignorantes; venite &
Cãt. 3. videte Regem veſtrum Salomonem, ferculum ſibi de lignis Libani facientem: Sibi quidem, quo nudus, clauis confixus, diſtentiſque brachijs, quaſi in antenna vel cataſta feratur; vobis autem ad conſolationem, ſalutem, & gloriam ſempiternam. Vultis ferculi huius audire deſcriptionem, videre conſtructionem, commoditatem & honorem experiri vobis ſingulari diſpenſatione præparatum? Audite: Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit, propter filias Ieruſalem. In his (ſi quid ſapitis) ſanctæ

crucis

crucis excellentem contemplamini famulatum, honorificum vsum, ex omni parte munificentiam, sapientiam, & bonitatem Salomonis nostri spirantem.

Gaudete vos quoque, qui mœretis & lugetis, quoniam consolabimini. Ecce enim vobis signum salutis & vitæ chirographum consignatur, dum crux illa vera fabricatur, quæ iam olim per signum Thau in frontibus virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiebant in medio Ierusalem, impressa, vitam operabatur & gratiam. *Ezec. 9*

Curre igitur, ô anima mea, & cum Sarephtana, duo ligna colligito: quæque tibi in angustia spiritus, vel aduersitate corporali contigerint, in modum crucis illa cuncta connecte; vt salutaris huius ligni signata mysterio, verè tibi salutis administra reddantur. Vt, si velox & ingeniosa est maligni nequitia, ad tibi fabricandas insidias; tu quoque docta reperiaris, in rem tuam eius machinamenta conuertere. *3 Reg. 17.*

Oratio.

DEus, qui Filio tuo morte sua mundum redempturo, crucis patibulum præparari permisisti, vnde redemptione inuenta illibatum tibi spiritum redderet: concede propitius, vt per huius mundi toleratam malitiam, sacrificium tibi acceptabile, spiritus contribulatus reddatur. Amen.

28. BAIVLATIO CRVCIS.

Quis nouus hic Atlas, cui cùm leuis orbis, iniquum
Orbis onusta malis crux sua pondus habet?

Ioan. 1 ECCE agnus Dei, ecce qui tollit peccata
Leui. 4. mundi. Hic est, de quo dixi; Hircus pro peccato, quem offert Princeps generis nostri, qui peccauit ab initio mundi: imposuitque manum super caput eius, vt pro commissis ipsius, omniumque nostrûm immoletur. Sed, heu! heu! Domine Deus, cuius iræ nemo resistere potest, cuiusque mansuetudinis non est numerus; quid hoc rei est, quod sub fragili ligno, filius tuus dilectus curuatur, qui portat orbem. Quantus ergo sum ego, vt respon-
Iob 9. deam ei; & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo: sed meum iudicem deprecabor.

Loquar itaque, sed pauidus, cùm sim puluis & cinis.
Mat. 11 Domine, nónne tu dixisti nobis; Iugum meum suaue
3 Reg. est, & onus meum leue? Et quare ita, quęso, Pater tuus
12. aggrauauit iugum tuum super te?

Audio, Domine, sic respondes; Quoniam iniquitates vestræ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me; miser idcircò factus sum, & curuatus sum vsque in finem; tota die
Act. 20 contristatus ingrediebar. Impositum est iugum super ceruices meas, quod neque patres vestri, neque vos portare potuistis. Mihi namque, velut agno innocenti & immaculato, vniuersa mundi peccata sunt C
imposita: & vtinam non adderetis ad sarcinam
1 Par. meam, onera super omne pondus & mensuram. Mi- D
23. hi ceu peccatori & hirco, vniuersa delicta atque pec-
Leu. 6. cata filiorum Israel imposita sunt, cruci meæ ceu fasci illigata. Quapropter ô homo, cuius id amore susce-

cepi,

Quis nouus hic Atlas, cui cum leuis orbis, iniquum
Orbis onusta malis crux sua pondus habet ?

O sam Sodtò, die met spoedt onò sondè hebt op-ghenomen!
Maerkt, dat u groot vermoedt onò sy tot een bev-bromen.

De votre croix le fais, Seigneur ne vous accable:
Mes, ce sont les mes-fais, de ma vie damnable.

cepi, attende & vide: paululum de onere subleua; subijce humerum tuum cruci, & porta illam. Ne acedieris vinculis eius: vincula enim illius, alligatura salutaris. *Eccle.6*

Libenter, Domine, & quidem iam nunc, quia non est discipulus super magistrum suum. Sed, quid vos mouit, semen Chanaan & non Iuda; vt ita Iesus Christus baiulans sibi crucem, à vobis palàm, & credo præconis voce præcedente, ad mortem duceretur? O insaturabilem iram, inuidiam, & vindictæ cupidinem! An, quia vos palàm non semel, vt misericors pater, corripuerat; ideò iam vicissim illum, ad maiorem contemtum & infamiam gestare crucem suam palàm voluistis? Ideóne purpurâ exutum, vestibus proprijs induistis? Ideóne exemisse credimini duos latrones ei associatos, à propriæ crucis baiulatione, vt innocens agnus in conspectu populi, sceleratissimus omnium appareret? vt qui tam esset detestabilis, vt nullus eius crucem attingere dignaretur? tamque insignis latro existeret, vt præ omnibus videretur traducendus?

O quàm nihil est, quod non excogitet, non attentet humanum pectus, quando illud contra Deum incipit insanire! Maledictus verè furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura. *Gen.49*

Sed, te denuò contemplemur, mitissime Domine, factique tui rationem scrutemur. Nam, non tam ipsi id te facere compulerunt, quàm tu totum pro nobis sponte suscepisti. Video; figuram adimplesti de qua legimus: Tulit Abraham ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: optimè. *Gen.22*

Fecisti quoque, quod per Prophetam promiseras, dicens; Onera vestra, graui pondere, vsque ad lassitudinem, non potuerunt saluare portantem. Audite me, domus Iacob; Qui portamini à meo vtero: vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos, portabo. Ego feci, & ego ferã: & portabo, & saluabo. Scio, *Isa.46.*

Domine,

Domine, video, & gratias ago bonitati tuæ. in hoc
Isa.53. namque fasce, languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros portasti: portasti nos, sicut aquila in humeris tuis. Agnosco Domine adimpleta mysteria, & ve-
Isa. 9. neror. Virga Regni tui, sceptrum exactoris, & Principatus tuus, super humerum tuum. F

Eia, fideles, Crucis Christi discipuli: apprehendite disciplinam, & imitamini. Vidistis in vmbra Abimelech ramum cædentem, gestantemque humero, G ac socijs suis dicentem; Quod me vidistis facere, citò facite? Iam adimpletum in Christo sequimini. Deuotè crucem eius cum Heraclio portate; ad patien- H tiam armamini, omne gaudium existimate, cùm in tentationes varias incideritis. Quis non gaudeat in sæculo, si pretiosam sibi vestem, torquem aureum, coronámve videat adaptari? Si currus ipsi triumphalis præparetur, vel pons, per quem ad imperij gloriam deducatur? Secretum igitur, ô anima mea, rimemur attentiùs. Nónne crucem, vt in ea gloriemur Dominus suo gestans humero pro virga Regni, nobis commendauit? Verè, quod est grande ludibrium impijs, grande mysterium pijs. Et, vnde Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum inuenit. Quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia & gloria. Imitemur Apostolum, imitemur & Christum.

Numquid huc spectat, quod de arca fœderis legi-
Exo.25 mus? Vectes numquam extrahantur ab eis; annu- I lis scilicet. Quare, nisi vt semper ad portandum parata foret? Numquid nos ita quoque monet ipse Saluator noster, quotidie tollere crucem suam, quam ad hoc nostram faciet? Audite socordes & ad patiendum imparati, tardi ad crucem, ad coronam veloces. Certatim Domini crucem, veræ æternæque gloriæ seminarium, amplexemur: humeros supponamus, succollemus, sempiternæ salutis assertricem veneremur; & cum S. Andrea dicamus; Salue crux veneranda:

randa: ipse per te me recipiat, qui pependit in te, Magister meus Christus. Torpor omnis abscedat, charissimi, in tam glorioſi trophæi præsentia, & spe certa victoriæ consequendæ proposita. Non minùs deuotè atque alacriter eam admittamus, (quocumque tolerandarum rerum velamine fuerit obuoluta) quàm si Dominum Iesum videamus suis eam manibus nobis imponentem, rogantemque vt illam in ipsius honorem amplectamur gestemusque, donec eam iterùm ab humeris nostris dignetur resumere, & nos secum in Regnum introducere sempiternum.

Oratio.

DOmine Iesu Christe, fidelis humanæ salutis amator; qui vniuersa mundi peccata super humeros tuos in cruce portasti: fac nos, per hanc tuam infinitam charitatem & patientiam, in tribulatione constantes; vt, tamquam veri crucis amatores, in hoc signo vincamus. Amen.

29. SIMON CYRENÆVS.

Tûne crucis miserare suæ sub mole gementem?
Tolle tuam, & Christo baiulus alter eris.

Iob 31. QVIS mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse qui iudicat: Vt in humero meo portem illum; & circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi Principi offeram eum. Numquid Domine dixisti, Pulsanti aperietur? Aperi igitur mihi modò sensum, ad intelligendum Scripturam; quia sto ad fores diuinæ tuæ bonitatis, & pulso. Domine, Domine, aperi nobis. Numquid, si velamen abstuleris, preces hîc supplicantis, à te exaudiri desiderantis, audimus? Nónne quasi volumini inscriptum crucis tuæ mysterium, efficaciam, triumphum, & gloriam, contemplamur? Nónne quotidianum quoque in ea ferenda studium, Patri tuo mirificè gratum munus, æternaque corona decorandum, hîc obsignatum tenemus?

Audio, video, teneo, Domine; & auditui meo das gaudium, quia exaudisti me. Dicis siquidem & clamas, & cor nostrum eximio tui cordis alloquio refocillas, misericordissime Domine, nos ad consortium tuæ crucis inuitans, vt & gloriæ tuæ consortes efficias. Loquere itaque Domine, quia audit seruus tuus. Venite ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Adsumus Domine, laborantes omnes & onerati. Laborantes in luto & latere; atque importabile pondus infirmitatis humanæ, peccatorumque nostrorum colligationes portantes. Vincula quæso nostra dissolue, alleua nos, refice nos, & benè nobis erit.

Matth. 11.

Tol-

Tune crucis miſerare ſuæ ſub mole gementem?
Tolle tuam, et Chriſto baiulus alter eris.

Wilt doen dat Simon doet, hy draeght het cruys ond heeren:
Dynckt, dat ghy met ootmoedt verduldixheit moet leeren.

Le veus-tu ſeconder, a porter cette croix?
Rien que t'accommoder a la tienne tu dois.


E
D

Tollite iugum meum ſuper vos : iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue. Ego crucem pro vobis ferendo , ceu iugum , omnem eius aſperitatem proprijs humeris detriui , vt veſtris ſuaue eſſet, & ſalutare : in eadem quoque vt hircus , iniquitatum veſtrarum impoſitum pondus aſſumpſi , atque ita onus veſtrum omnimodis alleuiaui . Tollite igitur iugum ferreum , mundi cultores , amatores carnis , & ſerui diaboli ; importabilem tam duræ ſeruitutis abijcite ſarcinam:& creatori,redemptori,gubernatoríque veſtro ſeruite ; in ſpiritu amoris , & non cum perturbatione timoris:ea lege , qua ſuper vobis cum ſuo Patre eſt proteſtatus;dicens, VoloPater,vt vbi ego ſum,illic ſit & miniſter meus.

Gratiæ tibi,benigniſſime Ieſu,pro tua in nos dignatione & gratia. Sed quid ? an in vobis, Iudæi, miſeri-
C cordiam hîc vllam in mitiſſimum agnum animaduertimus, quod Simonem Cyrenæum angariaueritis , vt ferret crucem poſt eum ? O latentem hîc , ſatis ſe tamen prodentem , ſub velamine pietatis inhumanitatem! Tradito iam Chriſto voluntati veſtræ,vt crucifigeretur,adeò ad ſummam turpiſſimæ mortis ignominiam adſpirabatis ; vt parum ex animi veſtri ſententia vobis ceſſiſſe arbitraremini,ſi in via veſtriſque in manibus exſpiraſſet . Itaque ſubleuandum illum tanto onere iudicaſtis , non pietate ſuadente vel miſericordia , ſed maiori vos ſtimulante crudelitate.

Neque tamen veſtras vos manus adhibuiſtis,vllaſque aliorum veſtri ſimilium ;quia indignum reputaſtis . Sed videte quàm hîc quoque illud impleſtis , quod de vobis iam anteà dixerat Dominus;Imponunt
D onera grauia & importabilia in humeros hominum , &ipſi nolunt ea digito tangere:ſic ſic,adimplete menſuram patrum veſtrorum.

E Venite porrò , fideles , in Simone Cyrenæo obedientes ; non caſu, ſed de induſtria certaque Dei prouidentia diſponente parati occurrite ad ferendam

crucem, quæ se vobis quocumque modo vel loco tandem obtulerit. Sicut enim in Christo summæ fuit signum obedientiæ, crucem tollere; ita & in Christiano. De villa venite, mundum contemnite, & apti eritis cruci ferendæ. Omnes enim, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Accedens itaque, ô fili, ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.

Adimple, Christiane, figuram, Scripturam, & mensuram, in Christo columbæ filio, de Spiritu sancto concepto; quodque de Ionatha legimus, in Saluatore nostro persolue fideliter. Exijt Ionathas (exijt Iesus) ab Ierusalem: & occurrit ei Simon frater eius in adiutorium. Ecce, ecce inquam; Adiutor fortis, auxiliator F nostet, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, lassatur, deficit, & auxilio indiget alieno. Et numquid fratres eius sumus, qui solius amoris instinctu frater nostet fieri dignatus est? Adiuuemus eum igitur: Frater enim qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.

1 Mac. 10.

Pro. 18

Domine Iesu, misereor super te, quia video quòd peccata mea sunt, quæ ita te prægrauant. Impone, Domine, humeris meis tuam crucem; vt tecum sim in labore, qui tecum esse desidero in requie & dulcore.

Venite peccatores, venite otiosi, venite molles, delicati & queruli: venite vos quoque pusillanimes, vanis tentamentis distenti, & vacantes à serijs; quid statis hîc tota die otiosi?

Tolle infirme grabatum tuum, corporisque lan- G guentis crucem, & ambula, post medicum tuum Iesum. Tolle piger manipulum crucis, cum exultatione; H & defer in horreum Domini tui lætabundus.

Tolle, miles ignaue, vexillum, quod primo cælestis I inaugurationis tibi die impositum, in quod etiam conscriptus iurasti: nunc quidem inuolutum est, sed posteà explicandum, vt post bonum certamen, fidemque seruatam, coroneris.

Tolle

K Tolle tu quoque, vir desideriorum, scalam, quam angeli descendentes ascendentesque reciproco suo olim vestigio consecrarunt: quà eò conscenditur, quò Christum sequi desideras.

L Tolle, auare, ambitiose, & iniuste, sed pœnitens, tolle, inquam, clauem Dauid in humeros tuos, crucis mysterijs insignitam, qua tibi thesauri cælestis facultas, & in cælum aditus datur.

Tolle tuam, quisquis es, vt Christi crucem, in qua temetipsum vt ouem perditam ad ouile reportauit; & salua animam tuam in hac hora.

Oratio.

QVandoquidem patientia nobis necessaria est, vt reportemus repromissionem; infirmitati nostræ, quæsumus Domine, succurre placatus; vt crucis mortificationem iugiter in nostro corpore, pro tui nominis honore portantes, non cum damnatis cruciemur in flamma, sed cum amatoribus crucis coronemur in gloria. Amen.

30. PLANCTVS MVLIERVM.

Has vobis lacrymas Solymorum impendite Nymphæ;
Quas velut arentes acrior ignis edet.

Ier.9. AVDITE mulieres verbum Domini, & assumant aures vestræ sermonem oris mei: Et docete filias vestras lamentum: & vnaquæque proximam suam planctum; quia ascendit mors per fenestras, & vita per portam educitur, vt fatali ligno affigatur, mortísque chirographum deleat, quod contra nos scriptum est. O pro- B cessionem inuisam! ô lugubrem pompam! ô indi- C gnam præconis vocem! En, defunctus effertur: quin potiùs, viuus propriùm portans feretrum vrbe egreditur, filius vnicus matris suæ; & turba ciuitatis multa cum illa. Chirographum mortis deleturus? an ipse vitam cum morte mutaturus?

Luc.25 Sed, dic tu, sancte Luca, quod accidit. Cùm duceret Iesum, sequebatur eum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. An immeritò? Non profectò; nam tum iam videbant impleri in Christo, quod ipsis in mundi cunabulis, in Abel iusto figuratum audierant. Quando peruersus Cain D fratrem suum innocentem foras eductum, crudeliter nouo mundi spectaculo, trucidauit, & primum orbi luctum parentibus peperit. Numquid hîc quoque Prophetæ vaticinium complebatur, quo præmonue-
Ier.22. rat vniuersos habitatores Iuda & Ierusalem: Plangite eum, qui egreditur; quia non reuertetur vltrà; nec E videbit terram natiuitatis suæ. Verè siquidem Christus moriturus egrediebatur, non ampliùs in carne mortali rediturus.

Plangebatis itaque, piæ mulieres, quasi super vni- F geni-

Has vobis lacrymas, Solymorum impendite Nymphæ,
Quas velut arentes acrior ignis edet.

O druyck, o groot misbaev! o dvoef ey suchtich claghen!
Vallet het groen soo svbaev, hoe salt het dorre hout dvaghen?

Filles, pleures pour vous : votre ame tarissante
Sentira le courrous, de flame plus ardente.

genitum : & dolebatis ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. Erat ſiquidem æterni Patris vnigenitus, & primogenitus vnigenituſque Virginis matris.

G O Maria, quàm afflictum eſt cor tuum! & quærentem te video. Quem quæris, Domina? quem videre deſideras? Quæro, quem diligit anima mea. Si vidiſtis eum, dicite mihi; vt & ego curram, & inueniam, & videam, & veniens adorem eum. Quid, ô Virgo, videre feſtinas eum, cuius adſpectu, loco ſolatij, grauius tuo cordi doloris vulnus infligetur; quemque tua præſentia magis contriſtabit? Non eſt iam ei ſpecies neque decor, in cuius alioquin faciem deſiderant Angeli quoque ipſi proſpicere. Sed, ſi me audis, Maria; virgo prudens, & mater pia: In cor tuum introrſum reflecte mentis obtutum, affectumque ibi penitiùs contemplare maternum; & fallor, ſi non ibi totum cor tuum afflicti filij tui lineamentis imbutum inuenies.

At, quid audio, te mendax præco clamantem? Pontij Pilati Præſidis Romani decreto, educitur hic homo, Reipublicæ perturbator, Cæſareæ ac diuinæ maieſtatis reus, vt tollatur in crucem. Erras, erras, ô præco: ſic namque tibi clamandum fuit; Dei Patris omnipotentis arbitrio, pro nimia ſua in genus humanum charitate, filius eius vnigenitus & dilectiſſimus, ad mortem crucis educitur; vt ſaluetur mundus per ipſum.

At, agedum Dauid fidelis, & renoua luctum, quem in omni tuo populo, pro Abner ſuſcitaſti: & dic modò, quod olim tactus dolore cordis intrinſe-
H cùs edicebas; Scindite veſtimenta veſtra, & accingi- 2 Reg 3
mini ſaccis, & plangite exequias Abner. Nam pluſquam Abner hic; Patris æterni lucerna, paternæ gloriæ ſplendor, & figura ſubſtantiæ eius, filius eius, ipſi coæternus.

Sed numquid, ô anima mea, mortem hîc peccato-

rum peſſimam meritò deploremus, qua peccati letalis aculeo, in viuis adhuc corporibus animę lancinantur? O miſeram mortem! ô funus dolẽdum! ô ferales exequias! Sed, ô felicem planctum & luctum peccatoris verè pœnitẽtis! Mens ſiquidem infirma, dum ſumptâ cordis contritione per pœnitentiam plorat, ſequitur
Ezec. 8 cum mulieribus Chriſtum, & reportat ſolatium. Eant mentes ſtultæ, deflentes quod nullo vmquam lamento poteſt recuperari. Nónne meritò plangendæ ipſæ mulieres plangentes Adonidem? Sed, cum Propheta dicamus, in luctu peccati, vel quo Deum ipſi offendi-
Ier. 9. mus, vel quo alij coram ipſo ſunt mortui; Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam interfectos populi mei?

O patriam, æquè atque animam, inexplebili lamento digniſſimam, ex qua diſcedit Chriſtus, quaſi ad mortem eductus, in Religione Catholica, dolendo exitu tranſmigrante! O dolendum exitium, quando aufertur Regnum Dei, vt detur genti facienti fructus eius. Vis, ô anima mea, tibi figuram huius ante conſpectum conſtitui? Attende. Quando oppidum Siceleg ſpoliatum & ſuccenſum ab Amalech Dauidi fuit
1. Reg. 18. renuntiatum; Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo, voces ſuas; & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.

Numquid meritò quoque cum Ieremia ſtatum deſertæ ſic patriæ deploremus? Migrauit Iudas, propter afflictionem & multitudinem ſeruitutis. Viæ
Thre. 1 Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem. Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.
Thre. 2 Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius.

Repulit Dominus altare ſuum: maledixit ſanctificationi ſuæ. Cui comparabo te, vel aſſimilabo te, filia Ieruſalem? Cui exæquabo te, & conſolabor, virgo
Iere. 6. filia Sion? Magna eſt enim, velut mare, contritio tua: quis medebitur tui? filia populi mei, accingere cilicio,

cilicio,& conſpergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum; quia repentè veniet vaſtator tuus?

O Domine, quàm in ſe meritò eapropter conuertat peccatrix anima, & terra quam deſeris, quod ad mulieres conuerſus dixiſti: Filię Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas,& ſuper filios veſtros flete. Nam, vnde Regnum Dei aufertur, ſubintrat haud dubiè regnum, ſeu potiùs tyrannis diaboli. Et vnde recedit vita, mors æternùm deflenda ſubſequitur.

Oratio.

DEus, qui tantam lacrymis doloriq; prærogatiuam indidiſti, vt iratum te placent, & veniam peccatorum obtineant: concede propitius, vt eò doloris omnem & luctus copiam conuertamus, vbi ſicut maximè eſt opus, ita & vberrimus eorum fructus exoptatur; quò tandem, qui per peccatum cecidimus, per veræ pœnitentiæ lamenta ſurgamus. Amen.

31. VERONICA, SEV BERENICE.

Hac facie, faciem cordis dispunge; suumq;
Mens agitet IESVM, *det manus, ora sonent.*

Dã. 10 ECCE, quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea: & aperiens os meum, locutus sum, & dixi ad eum qui stabat contra me; Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ: nihil enim in me remãsit virium. Vtinam, Domine Iesu, viri huius desideriorum spiritus, spiritum meum languentem exsuscitet, suoque calore accendat, ad aliquid sentiendum gustandumque tam reconditæ dulcedinis, quâ ipse, ad deliquium vsque, satur apparuit. A

Video quidem vultum tuum in velo expressum, sed vtinam tangeres labia cordis mei! Aperirem os meum, & eructaret cor meum verbum bonum: verbum laudis, verbum desiderij, & Verbum æternum quod caro factum est; qui es tu, Dominus meus, & Deus meus. Neque vel tanti facerem, etiamsi tum de cetero dissoluerentur compages meæ, nihilque in me remaneret virium; sed totus in te, qui salus & fortitudo mea es, colliquescerem. Quia, dicere, immò cum pleno dierum & rerum Simeone exultabundus cantare possem; Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum; quod parasti ante faciem omnium populorum.

O te felicem, Berenice, quam notiori nomine Veronicam nuncupamus! & grauis victoriæ titulo insignem interpretamur! Egregium illud illius heroinę Plautillę factum suspicimus; paribúsque encomijs, & ipsius in Diuum Paulum charitatem, atque audax facinus in fidei coram hostibus professione laudamus; B C

quando

Hac facie, faciem cordis diſpunge, ſuumque
Mens agitet IESVM, det manus, ora ſonent.

Dv aen-ſchyn, o Jeſu; vvilt in myn herte prenten;
En veſtight-my in u, alſo ſchemelo firmamenten.

Façonnés votre cueur, aus trais de ce visage;
Lui faisant cet honneur, qu'il en soit seul l'image.

quando pergenti ad mortem Apostolo, velum rogata concessit, quo feriendus gladio, oculos ex more obduceret; quod & ab eodem sibi post mortem apparente, recepit. At, tu, Christo sub trabali cruce gementi, præque laboris, itineris, doloríque molestijs extremè fatigato, sudarium pietate permota obtendisti; quo vultum illum superbenedictum, sanguine sudoréque conspersum, abstergeres. Neque te sexus tui conditio, tali reuocauit ab opere; neque iuratorum hostium, Christum ad necem trahentium, furor absterruit. Proinde quoque, ô quàm splendido tuum factum testimonio collustrauit Altissimus! quàm stabili firmauit argumento! quàm inuiolabili sigillo muniuit! Velum siquidem illud tuum, venerabili faciei Dominicæ applicitum, effigiem eiusdem ad viuum impressam retinuit; quod in hunc vsque diem, magno mortalium solatio spectabile asseruatur.

Sed, numquid & te, ab ista heroina, felicem prædi-
D cemus Abagare, Rex Edessenorum pijssime? De te siquidem veterum Patrum scripta commemorant; quòd, cùm eo nomine pictorem misisses, vt Domini nostri, adhuc tum in carne viuentis, imaginem adumbraret; neque id pictor, ob splendorem ex ipsius vultu
E micantem consequi posset; Dominus ipse, diuinæ suæ ac viuificæ faciei linteum admouerit, imaginémque suam eidem impressam reddiderit; sicque illud ad te miserit, vt piæ tuæ cupiditati faceret satis: cuius quoque efficacia, tu ad Christi fidem conuersus sis, & insignes victorias sis illius virtute & præstantia consecutus. Personam eius humaniter inuitaras; & fidem eius suscepisti.

O felices & nos Christiani, super quibus lumẽ vul- *Psal. 4.*
tus huius signatum est! atque eapropter, ô Domine, dedisti lætitiam in cordibus nostris. Sed, quòd facies tua, velo Berenices impressa, mœstitudinem & dolorum acerbitatem prætendat, quibus tum temporis eras plenissimus; meritò nos ad cordis compunctionem

nem emolliat, peccatorumque nostrorum & fœditatem & acerbitatem ante oculos statuat. Talem te namque contemplamur, qualem te per Prophetam
Iob 16. depingis, dum sic ais; Facies mea intumuit à fletu; & palpebræ meæ caligauerunt: hæc passus sum absque iniquitate manus meæ. Verum est, Domine: quia hæc est iniquitas mea, quæ speciosum prę filijs homi-
Ps. 81. num sic deformauit. In similitudinem hominum factus, faciem peccatorum sumpsisti, eamque Patri obtulisti, qui pro nobis eam sic percuti fœdarique permisit.

O interim felicem commutationem! faciem tuam nobis, pijssime Iesu, dedisti, pro nostra quam assumseras: vt, dum illam sibi semper gratam & complacentem Pater intuetur, nos quoque illi reddamur amabiles.

Respice igitur, sanctissime Deus, omnipotens Domine, ac pijssime Pater, Respice, inquam, in faciem Christi tui; siue quam veluti peccatoris afflictam & confusam ostendit, in qua nostram suscepit miseriam, vt eam beatificet; siue illam, quam ipse nobis per suam
Ps. 83. gratiam indidit. Respice itaq; in faciem qualemcumque Christi tui, & miserere nostri.

Et tu, iustissime, atque idem misericordissime Domine, qui Iudex viuorum & mortuorum es constitutus à Patre, (hanc enim ob causam tibi dedit iudicium facere, quia filius hominis es) obsecro, ne iniquitates nostras obseruaueris; neque inde feras sen-
Ps. 16 tentiam: quod si feceris, quis sustinebit? Sed de vultu hoc tuo iudicium prodeat, quem pro nobis reconciliandis assumpsisti. Et oculi tui videant æquitates, non nostras, sed quibus tu abundasti, pro eo quòd in nobis abundabat iniquitas.

Vide propterea, ô anima mea, ne perdas pretiosum thesaurum, quem à sponso tuo accepisti: vt signatum super te lumen vultus eius asserues, & sis veluti velum hoc, effigie dilecti tui sponsi signatum. Idcircò, ne vllo

vmquam

vmquam tempore obliteretur, frequenter faciem terræ cordis tui renouare memineris. Fixis interim interioris hominis obtutibus, benedictam veri Salomonis effigiem deuota quotidie contemplare: passionem ipsius, amorem, & humilitatem meditare; vt assiduitate illius, vultum eius quàm efficacissimum in cordis tui tabula contrahas, eique quantum licet assimileris. Tu igitur, ô amica mea, si sapis, dilecto Iesu tuo quotidie spiritualis Veronica efficiaris; & benè tibi erit, talique facto beatam te dicent omnes generationes. Scire desideras, quid interim hinc tibi proueniet commodi? Facies tua coram Achis Principe mundi & tenebrarum harum mutabitur, sicque eludetur astutia quærentium animam tuam. Dicetque tibi pro mundo toto Rex Tyri; & cæli tibi ciues applaudentes: Tu signaculum similitudinis, plena sapientiâ, & perfecta decore: in delicijs paradisi Dei fuisti. Si terrenæ conflictationis te puluis vel sudor infecerit; angelus Domini, vt beatum olim Theodorum, cælesti linteo tergens refocillabit. Consiste cum Propheta in ostio speluncæ mortalitatis præsentis hoc velo contecta, & veniet tibi instar sibili auræ tenuis Dominus, qui ex hoc ergastulo eductam cælestibus choris aggregabit.

Eze.28

3 Re.19

Oratio.

DEus, qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renouas & præceptis; da nobis ita quæsumus in vtrisque charismata meliora sectari, vt vultus tui lumine, quod super nos signatum est, conseruato, ad faciei tuæ tandem conspectum in cælestibus admittamur. Amen.

32. GOLGOTHA, SEV CALVARIÆ LOCVS.

Golgotha mons quantum crucis exaltare trophæo;
Tantum præ reliquis tollis ad astra caput.

Gen.19 SALVA animam tuam; noli respicere post tergum; nec stes in omni circà regione: sed in monte saluum te fac. O Domine, quandoquidem mstdus hic in maligno positus,
Rom.9. sicut Sodoma & Gomorrha horrendo vitiorum flagrans incendio factus est; gratias tibi ingentes ago, quòd consilium, exemplum, & auxilium præbes, tam præsens euadendi periculum. Gratiæ, inquam, tibi,
Ps.14. quòd non perijt fuga à me; dum multiplicati sunt, qui requirunt animam meam. Conuertam itaque pedes meos in fugam, & in monte me saluabo.

Ier.51. Fugite, fugite, de medio Babylonis, ô charissimi: & saluet vnusquisque animam suam. Nemo vestrûm retrò respiciat, ne quem visa delectent, atque à cœpto remoueant. Neque stemus in omni circà regione; quia impij in circuitu ambulant, vt trucident in occulto rectos corde. Nemo descendat tollere tunicam, sed tradat & pallium, & ascendat in palmam. Nec ab agro solitudinis sanctę reuertatur in domum suam luteam, caducam, perstillantem, fumantem, multisque refertam miserijs; sed cupiat dissolui ab hoc tabernaculo, & esse cum Christo.

Eccli. 16. Ita sumus, Domine, te iuuante facturi; quia consilium tuum fons vitæ: tantùm oramus te, vt non fiat fuga nostra hieme vel sabbato: nihilque nos, in hac fuga spirituali contemptus mundi, remoretur. Educ, Domine, manu tua benigna animam meam de hac custodia; & captiuos de carcere tenebrarum eripias, quo circumdati sumus, in hoc sæculo nequam, & corpore peccatis obnoxio.

Venite

Golgotha mons, quantùm crucis exaltare tropæo;
Tantùm præ reliquis tollis ad astra caput.

O schroom bay plaetó ey grondt; daer voot ó tormentey leuey!
Siet, vvat hy voor u vondt, die u syn Kyck vvilt gheuey.

Tout autant, que ce mont sur les autres s'esleue;
D'autant d'honneur le front cette croix luy re-leue.

Venite, venite, ad ſpectaculum, admiramini, & exemplum ſalutis accipite, mundi pereuntis amatores. Vineæ luxuriantis heredem in Chriſto videte, quem infideles coloni apprehenſum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Figuram iſtis apponi depoſcitis, vt vmbrâ ſubiectâ quod lucis eſt magis eniteat? Paulum
B adumbrantem illuminantémque attendite. Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem; horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem, populum; extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra; improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Da nobis, Domine, per tuam gratiam, quod nos tam piè doces per tuum exemplum.

Matth. 21.

Heb. 13

✝ Neſcis, ô anima mea, neſcis, quæ & qualia, per hunc ſponſi tui è ciuitate progreſſum, & in montem Caluariæ aſcenſum, doceamur? Nónne ſatis dilucidè nobis ob oculos ponitur terrenarum rerum fuga, honoris & pompę contemptus, deliciarum voluptatumque faſtidium; amicorum, ſodalium, amoris proprij, atque adeò tuiipſius pro Chriſto deſpectus, & abnegatio? Nónne prouocaris è contra ad mortificationem affectuum, & ad veram antiqui hominis exinanitionem? Sed, ardua eſt, dices, iſta ad Caluariæ montem conſcenſio; atque corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Ita eſt, vt dicis: ſed, Conſilium quæris? parum hîc cogita, ſed multum facito. Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.

Sap. 9.

Audin' clamantem, conquerentem, ſuámque deplorantem in hoc anxio deliberandi ſtatu miſeriam? Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Quare dolor tota die perſeuerat in corde? quia bona conſilia ſolùm ponuntur in anima, &

Pſ. 12.

ma, & non in manu. Cogitantur, sed non practicantur. Si tu quoque tuam infirmitatem, reique arduæ difficultatẽ curiosiùs incipis æstimare, nihil vmquam efficies. Difficilè ęstimamus, quæ in terra sunt; & quæ in conspectu sunt, inuenimus cum labore; quæ autem in cælo sunt, quis inuestigabit? *Sap. 9.*

Deus in adiutorium meum intende, & ostende mihi viam in qua ambulem, vt me doceas facere voluntatem tuam. Audiam itaque, spe fretus bona, quid loquatur in me Dominus Deus meus; & videbo in quã viam deducat me: dicit etenim; Ponam omnes montes meos in viam: & semitæ meæ exaltabuntur. Rectè, ô Domine; iuisti siquidem tu, saliens in montibus, transiliens colles; & semitæ tuæ sic exaltatæ sunt, vt in crucem tu quoque per eas fueris exaltatus. Fac quoque respectu nostri, quod promisisti: vt & nobis montes in viam sint. Et quia non solùm manus nostræ graues sunt, sed & pedes & caput; immò & graui corde deorsum delabimur; tu verò exaltatus es: trahe nos ad teipsum. Trahe fortiter, Domine, & attrahe; quia, vt vides, iterumque fateri non piget, graues, terrestres, deorsum tendentes sumus, & tarda est valdè voluntas nostra. *Isa. 49.*

At tu si traxeris nos Domine; montes excelsos peccatorum virtutumque sublimium, quos in viam tibi tuisque posuisti, transcendemus; & semitæ pedum nostrorum post te currentium, vsque ad excelsa tabernacula tua nos exaltabunt. Et te in primis mons Gelboë, sterilis, infecunde, & maledicte calcabimus: te Munde immunde, superbe, & desperationis incentor, virtutum vestigijs transcendemus. Te autem mons excelse superbiæ, vanæ gloriæ, & ambitionis; omnem mundi gloriam pollicens, satanæ tentatori notissime, supplãtabimus, docti per humilitatis campestria tutò procedere. Te verò, ô mons Thabor, placide, admirande, testis diuinæ gloriæ in mortali adhuc Christi corpore resplendentis, te veneramur,

teque

teque à longè contemplantes ad montes priùs passionis accedimus: nam oportebat & Christum pati priùs, & ità intrare in gloriam suam.

G O mons Oliueti, te suspicio, te reuereor; tu vestigia mea dirige, vt gratia stillantis olei cælestis adiutus, ad montem Caluariæ veræque mortificationis merear
H peruenire. Salue mons sancte, mons Dei, mons nostræ salutis. In te, credo, caluaria primi parentis nostri Adæ quieuit; in te secundus Adam, cum Elisæo conscendens, à pueris, insensatis Iudæis, calui suscepit
I opprobrium. In te, saluato Isaac, immolatus est aries.
K In te sparsæ iacentes caluariæ mortuorum, Christi morte cohonestatæ, spem vitæ sunt consecutæ. In te vita nostra mortem obiuit, vt dux vitæ mortuus regnaret viuus; & morti mortem inferens, inferni morsus fieret, & mortuos viuificaret. Habeto me, & me posside: vt mundo mortuus, illi viuam, qui in te mori dignatus est. Vtere, ô anima mea, tot tantísque præsidijs. Portæ inferorum obsistunt? Confractas humeríque impositas, in hunc salutis tuæ montem, cum Samsone per crucis victoriam deferemus.

Oratio.

AVxilium tuum, Domine, supplices deprecamur; vt qui in hac valle lacrymarum ascensiones in corde nostro disponimus, quibus in montem sanctum tuum pertingamus; benedictione tua repleti, de virtute in virtutem ire possimus, donec te videamus Deum deorum in Sion. Amen.

33. VINVM MYRRHATVM, FELLE MIXTVM.

Ipse tibi edulcans, calicem sibi miscet amarum;
Virus ab aurata ne Babylone bibas.

Pro. 31 DATE siceram mœrentibus & vinum his qui amaro sunt animo : bibant & obliuiscantur egestatis suæ ; & doloris sui non recordentur ampliùs. O magnam diuinæ bonitatis in miseros mortales benignitatem, paternè vniuersa gubernantis ! O magnam priscorum hominum in se mutuò charitatem, tam benè ordinata obseruantium, vt ne quidem extremè desolati, omni destituantur solatio? Vinum enim vt lætificat cor hominis, ita tũ maximè propinari deberet, quãdo iustus est metus, ne mœrentis animus tristitiâ absorbeatur. A

At vos, ô Iudæi, inueterati dierum malorum! & vos milites inhumani, Iudæorum administri, qui sicut spinæ vos inuicem complectimini, & eumdem planè funem trahitis ! quid facitis ? quam humanitatem afflicto mortique acerbissimæ proximo exhibetis ? quidnam ei, solatij gratiâ propinatis, cui debetis quod estis ? Dedistis ei vinum cum felle mistum: & cùm gustasset, noluit bibere. Myrrhatum ei quoque vinum porrexistis, sed non accepit. O solertes bonarum consuetudinum obseruatores ! Non sufficerat vobis, quod Amos de vobis vestrique similibus; Amos 2 Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui ; nisi etiam illud qualecumque, quod ei dabatur, felle permisto corrumperetis, redderetisque impotabile? B

Sublimius tamen in tuo facto, piissime Domine, nobis exemplũ propinasti. Venite peccatores, venite iusti, & quotquot vestram sititis salutem ; accedite, bibite, & inebriamini chariſſimi. Quia dulcis amaror, qui ex Christi patientis amore potatur, miro modo mentem diligentis inebriat ; vt & ipse de calice

passio-

Ipſe tibi edulcans, calicem ſibi miſcet amarum;
Virus ab aurata ne Babylone bibas.

O bitter ſap, en vryn, bergalt, alò bloedt van draken!
Mochter yet bitterò ſyn, dan t'ſondich ſap te ſmaken?

Afin que la poison de Babel tu n'emboive;
Il faut que la boiſson de fiel lui-meſme il boive.


A
B

passionis Dominicæ, quando offertur, cum gaudio bibat; & quando differtur, siti magna desideret. Con-
C sideremus itaque sponsum animarum nostrarum, Dominum Iesum, gustantem & non bibentem; nos autem admotis animi labris reconditum hîc salutaris documenti mysterium delibemus.

Quid est, pie Domine, quòd gustasti quidem vinum felle mixtum, sed cùm gustasti, noluisti bibere? Nónne post tam arduos labores, sudorem sanguineum, pœnas, longamq; fatigationem, sitiebas? haud dubiè. Nónne vires corporis valdè elanguerant? omninò. Numquid & animus inexplicabili mœstitudine pressus refocillatione indigebat? planè. Accepisti oblatum, labra admouisti, gustasti; hæc omnia sitim egestatemque solatij testabantur: sed fellis immistio bibere, sitimque restinguere prohibebat. An id ignorabas, Domine, vt gustare debueris? vel an hoc facto declarasti, te vinum synagogæ fastidire, atque aliud elegisse nouum, quod biberes in Regno Patris tui, in Ecclesia Gentium?

Agnoscamus, miseri mortales, peccatorum nostrorum acerbitatem. Gustauit illa quidem Filius Dei, debitam illis pœnam luendo; sed dum noluit bibere; communicationem omnem aliam, in peccatorum malitia & culpa detestatus est. Videamus itaque diligenter, & hæc duo curemus: tum, ne nos eum in siti salutis nostræ vino felle misto potemus; tum, vt vinum quod ipse nobis propinat, non auersemur.

Heu! quàm varia vina præbemus Christo sitienti dicentiq́ue nobis; Da mihi bibere! An ignoras, ô homo, quòd mandatorum obseruatio cibus & potus est ei, atque esca qua libenter vescitur? quodque illum in siti potamus, quando salutem nostram operamur? Quid si vinũ quoque ei propinare credamur, quando plura præstamus, quàm præcepta nouerimus? At, quàm variè mistum est vinum nostrum, & opus quodcumque, quod illi exhibemus? Nonne tunc vi-

Isa.1. num noſtrum miſtum eſt aquâ, quando gratiæ ipſius & donis vim omnem atque efficaciam, omnemque ſaporem adimimus, propriam ſapientiam admiſcendo, *Ioel. 2.* quæ frigida & inſipida eſt? Et quid aliud ipſi quàm turbidum & confuſum vinum propinamus, ex vinea noſtra confuſa; quando ſacra profanis permiſcemus; tantáve eſt raritas ipſum colentium & facientium benè, vt ſit pudor iuſtaque facierum confuſio?

Nónne id tali modo Propheta deplorat, dum ſe explicans, dicit; Perijt ſacrificium & libatio, de domo Domini. Luxerunt ſacerdotes, miniſtri Domini. Confuſi ſunt agricolæ: vlulauerunt vinitores ſuper frumento; quando perijt meſſis agri: Confuſum eſt gaudium à filijs hominum?

Sed eheu! peſſimum eſt vinum, quod tibi Domine propinamus, felle miſtum; de quo per Moyſem ita *Deut.* conquereris; De vinea Sodomorum vinea eorum, & *32.* de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua felliş, & botrus amariſſimus. Et quò grauiſſima quæq; peccata deteſtando magis modo deſcribas, addis; non qualecumque fel, ſimplex & commune; ſed, fel draconum vinum eorum, & venenũ aſpidum inſanabile. O Domine, quàm amarum tibi vinum profert tua vinea, qui ſumus nos: pro omnibus quæ retribuiſti nobis! vt dicas meritò; Quid eſt, quod vltrà debui facere vineæ *Iſa. 5.* meæ, & non feci ei? An quòd exſpectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?

O anima mea! ô fideles, Domino noſtro parum fideles! ceſſet iam manus noſtra à tanto facinore; & deinceps viciſſim, vinum quodcumq; ipſe nobis porrexit libenter bibamus. Pota nos in primis, Domine, vino compunctionis; immittendo dolorem peccatorum, ſalutarem afflictionem, amaritudinem, tribulationem, ſed paterno condîtam affectu. Da metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus: ſicque euadamus calicem furoris nouiſſimi. Scimus, Domine, ſcimus; bonum eſt hîc pati; atque eapropter inclinas

nas calicem ex hoc in hoc; verumtamen, fæx eius non
est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Nam
quantumuis parum hîc bibitur, prodest tamen non
parum. Audimus, Domine; prouocas atque animas
F nos, dum ais; Potestis bibere calicem, quem ego bibi-
turus sum? Et quid aliud respondeamus, quàm vt illi,
Possumus? sed, da vt possimus: quia sine te nihil pos-
sumus, neque facere neque pati. Sique nimis exterret
calix passionis, compassionis saltem bibendus est: qui
etiam à te innocentissimo agno non pertransijt, nisi
biberes illum.

G Bibamus, amici; & pro Christo libenter aliquid pa-
tiamur (ipso præsertim nobis propinante, & tam ami-
cabili haustu prębibente) quacumque de causa proue-
nerit quod feramus. Id si fecerimus; bibemus in Re- *Marc.*
gno eius vinum nouum, quod Deum, Angelos, & ho- 14.
mines recreat. Omnis quidem homo primùm bonum
vinum ponit, & postquam amore voluptatis inebriati
fuerint, tunc id quod deterius est; Tu autem, Domine,
bonum vinum seruasti vsque adhuc. Bonum quidem
vinum tribulationis & pœnitentiæ, melius euangelicę
gratiæ, sed optimum ęternę glorię. Eamus igitur ami-
ci, & fratres, alacres ad montem myrrhę, passionis Do-
minicæ, & fasciculum inde desumamus, quod cum
vino nostro, sensu compassionis, misceamus; salutari-
que felle piscis vtamur, vt conglorificemur.

Oratio.

DEus, qui peccatorum nostrorum acerbitatem, in vino felle misto, fastidiuisti, primorumq; parentum & filiorum gustatum, inobedientiâ de-prauatum, passionis tuæ acerbitate reformasti: da nobis quæsumus, calicem, quem bibisti, ita per pœni-tentiam & patientiam degustare, vt vini tui noui dulcedine, in Regno tuo satiemur. Amen.

34. MALLEVS.

Mallee per ſæuos adigens pia vulnera clauos;
Eia mihi edurum cor pietate doma.

3. Re. 6 MALLEVS & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo ſeu templo Salomonis, cùm ædificaretur. Quid igitur nobis, Angele Dei, Malleum Paſſionis Dominicæ repræſentas? Nónne ipſe pluſquam Salomon fuit, corpuſque ſuum templum appellauit? Si conceptum eius de Spiritu ſancto, ſine viri ſemine, de Virgine, eiuſque natiuitatem admirandam, ſine partus doloribus, vt lapidem de monte ſciſſum ſine manibus, tacita illa templi Salomonis ædificatione expreſſam reſponderis; dicam in Chriſto paſſo, temploque corporis deſtructo, exſtructam fuiſſe Eccleſiam, cuius templum Salomonis figura fuit: cur hîc igitur auditus eſt malleus? A B

O admirandum mallei myſterium, meritò nobis ab Angelo inſtar rei ſacræ venerandæque repræſentati? Te ſuſpicio, veneror, exoſculor. Nam veluti lego, C

Gen. 4. quòd Sella, vmbram ſignificans, genuerit Tubalcain, qui primus fuit malleator, primuſque mallei vtendi inuentor & faber, in cuncta opera æris & ferri; qui nomine ſuo idem ſonat, quod confuſionem poſſidens, aut ignominiam æmulans; ita hîc conſidero, primum noſtrum parentem, ex nihilo velut vmbra progenitum, confuſionis atque ignominioſæ labis auctorem, primi peccati patratione, primam crucifigendi Chriſti peperiſſe occaſionem, atque adeò primum mundi malleatorem exſtitiſſe. D

Sed, quid hoc monſtri nobis ingenerat, quod Sa- E

Pro. 19 pientem audimus inſonantem? Parati ſunt mallei percutientes ſtultorum corporibus. Ah, quàm verum iſtud,

Mallee, per sæuos adigens pia vulnera clauos,
Eia mihi edurum cor pietate doma.

Comt-hier, ghy hamer fel, vbien slaghen Christum wuysten:
Myn hert doet my ghequel, hen-smedet, en doett wuysten.

Marteau, frappe l'acier, de mon rebelle cueur:
Qu'il ne soit plus si fier ans coing de son Seigneur.

istud, & nobis quadrans per omnia! Nam fatuitas nostra, quam peccando commisimus, neque ad incudem reuocata, neque vllis malleorum ictibus pulsata corrigi poterat. Ad nihilum redigi, sed nequaquam
F ad rectum primæuum statum reuocari quibat. Verùm, pro nobis stultus, ridiculus, contemptibilis, & maledictum factus Christus, æterna Dei sapientia, tulit in semetipso, quod nobis insipientibus & stultis debebatur.

Numquid istud apertè per puerum tuum, mitissime Domine, prædixisti? Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Quid, ô Domine, sunt fabricati? Heu, heu, scio: peccata grauissima, & in inuicem compacta, quæ quotidie perpetramus. Sed numquid aliud fabricati sunt, ô bone Iesu, malleatores illi, fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum, populum in necis tuæ conspirationem concitantes? Agnosco, benignissime Domine, beneficium, tua bonitate ex malo fonte promanans: dum, vt verus Samson de comedente producis cibum, & ex forti inuasore exire facis dulcedinem. Ipsi quidem sic fabricando, prolongauerunt iniquitatem suam; sed nostrum interim, æquè ac suum, si conuerti voluerint, reatum abbreuiarunt, & salutem sunt fabricati. *Psal.* 128 *Iob* 15.

O stupendam Dei, quid dicam, sapientiam, an bonitatem? vtrumque suspicio. Videte, filij Adam perditi; videte filij perditionis, in Christo secundo Adam redemti. Attendite, admiramini, gaudete, gratias agite, mallei sacrosancti virtutem expendite. Dum
F super incudem hanc, malleis suis, instigante diabolo ceu Vulcano quodam ad opus, fabricati sunt peccatores; ad nihilum redactum est peccatum nos opprimens, incentorque malorum protritus diabolus. Testare Propheta, quod dicimus, quodque hinc elici-
G mus; & spem istam re ipsa consolida. Quomodo con- *Ier.* 50.
fractus est & contritus malleus vniuersæ terræ! quo-

modo versa in derisum aduersarij astutia & malitia! Numquid de te iam olim diabole dictum audiuimus,
Iob 41. præ terribili tua ferocia ; Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam ? Vide nunc, vt viceuersa, de tua potentia ridet Christianus, tuumque malleum mirandamque machinationem, vt stipulam æstimat.

Sed, tui nequeo obliuisci, Dei genitrix, Virgo, Maria, dum mallei vibrantis ictuumque sonantium memini. O quàm tristis fuerit malleorum sonitus in auribus tuis, quas Deus olim angelico alloquio de cælo dignatus est. Verùm & hinc, ô dilecta, solatium elicere liceat, tametsi cor tuum iterata pænè verbera dolore contriuerint. Dic tu nobis aliquid, ô Sapiens, quod ictus emolliat, & contusum Mariæ
Eccli. 38. pectus instauret. Quid inquis de fabro ? Vox mallei innouat aurem eius : & contra similitudinem vasis, oculus eius. Optimè, optimè. Sicut enim auditu mallei sonantis iuuatur & gaudet, etiamsi non assiduè cudat aut faciat opus ; quique, dum operatur malleo, oculum in exemplar operis conijcit defigitque, vt illud idem affabrè imitetur : ita sonitus hic malleorum, in filij tui crucifixione, tametsi mœstus fuerit, intimosque cordis tui recessus penetrarit; possumus tamen, ô Maria, non immeritò tibi prædicta applicare.

Quis neget, qui te Prophetissam magnique consilij consciam norit, quin in hoc tristi auditu auris tuæ, mentis oculum ad excellens illud opus redemptionis humanæ reflexeris, eoque obtutu malleorum ictus æquanimiùs tuleris ; Deoque vniuersorum conditori gratias egeris, pro tanto opere eousque producto, quod tot antè sæculis ingemiscens orbis exoptarat ?

O felicem incudem ! ô beati mallei ! ô opus admirandæ virtutis, hac tam diuina fabricatione procusum ! Scitis, charissimi, quid hinc boni præterea profectum sit ? Non solùm hîc machinatoris diaboli vasa

con-

confracta sunt, visque eius omnis contusa; verumetiam vincula & catenæ charitatis confecta, quibus & homines inter se, & cum ipso Deo connecterentur; quæ nec mors ipsa, nec infernus possit dissoluere. Fortis namque vt mors dilectio; dura vt infernus æmulatio. Profer huius rei diuinum oraculum Isaia, testis angelice. Confortauit faber ærarius, percutiens malleo, dicens, Glutino bonum est. Charitatis amicam connexionem ex duris malleorum ictibus innuens emanasse. Numquid non verba mea, (dico & verbera) sunt quasi ignis, dicit Dominus; & quasi malleus, conterens petram? Tunde, tunde, Domine Iesu, cor meum, quod sicut petra obduratum est: & recude illud; vt molle & flexile ad omnem charitatis normam reddatur; sicque in templum sanctum hinc transferamur, vbi (postquam hîc fuerint tunsionibus, pressuris, expoliti lapides) nullius mallei serræve strepitus amplius audietur.

Isa.41.

Ier.32.

Oratio.

PRopter multitudinem iniquitatis nostræ, dura facta sunt peccata nostra, Domine, & ideò plaga inimici percussisti nos, & castigatione crudeli: corda igitur nostra, quæsumus, igne tuæ charitatis emolli, vt malleo tuæ virtutis petras conterente recusa, diuinæ tuæ voluntati conformentur. Amen.

35. CLAVI.

Figite me claui; minus hoc; sed fixa potenti
Mens sit amore Deo, fixa timore caro.

Isa. 41 VNVSQVISQVE proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet; Confortare. Confortauit faber ærarius percutiens malleo, eum qui cudebat tunc temporis, dicens; Glutino bonum est. Et confortauit eum clauis, vt non moueretur.

Nónne hîc vinculorum tuorum, clauorum, & glu- A
tinis charitatis tuæ, mitissime Domine, virtutem & efficaciam contemplamur; quorum meritis hoc sumus consecuti, vt inuicem in omni difficultate confortemus, virtuteque constantiæ reddamur immobiles? Numquid illud effectum hîc cernimus, in Ecclesiæ tuæ sanctæ mysteriis ac sacramentis, velut certis quibusdam salutis consequendæ firmamentis? quod per os Prophetæ iamdudum antè monueras;
Isa. 54 Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum B
tuorum extende; ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida? Quis namque mysterio carere crediderit, humillime atque idem sapientissime Domine Iesu, quòd vinculorũ, clauorum, & glutinis charitatis in acerbissima tua passione vsum esse voluisti? Et quidem seruato interno arctioris atque arctioris connexionis ordine & gradu, quemadmodum efficacior horum trium per certos gradus externa coniungendi facultas esse dignoscitur. Nónne funi- C
bus ligatus fuisti multis vicibus & modis Domine; in horto, per viam, in domo Annæ, ad columnam & ad crucem, vt manus & pedes in eam extenderetur, donec clauis affigereris? At, quia durabilis non est, tametsi dura satis & fortis, funium alligatio, ideoque

non

Figite me claui; minus hoc, sed fixa potenti
Mens sit amore Deo, fixa timore caro.

Ney t'vruyó vbaert ghy ghehecht, met naghelò, tónser bate:
Tió Christe meer dan recht, dat ick u niet en late.

Gluës, fichés, liés, d'amour, d'espoir, de crainte,
Mes sens humiliés d'une douce constrainte.

non manſiſti in vinculis funium. An ita fortaſſe tibi quidam alligantur, qui te vel honeſtatis gratiâ, vel ſpe ſola promiſſionũ, aliáve de cauſa huiuſcemodi inci-
D piunt amare & ſequi? Aſt, claui connectunt duriùs & fortiùs, ſed nec hoc eſt adeò longi temporis; quia ſicut funes vſu deteruntur, vel putreſcunt tempore; ita nullum quoque violentum perpetuum. Eapropter etiam, non diu manſiſti clauis affixus cruci, ſed eodem veſpere depoſitus fuiſti. Anne tibi Domine ſic adhærent, qui alioqui damnari timent, & pœnæ formidine tibi ſeruiunt, plus tuam iuſtitiam gehennamque timentes quàm te? Non eſt hoc delectabile, non
E eſt durabile, neque ſecurum. Verumtamen bonum eſt, ad tertium modum inducendum, qui longè eſt optimus: vt faber ille dicebat; Glutino bonum eſt. Numquid ita videmus fabros ligna glutino compingentes, funibus, clauiſque connectentes, ſed, quòd funes & clauos ſubinde tollant, ſoli glutino fidentes?

Gratiæ tibi, Chriſte Saluator & amator animarum noſtrarum, quòd Eccleſiam tibi glutino charitatis adſtrinxeris; vt nos omnes dicere poſſimus; Mihi adhærere Deo, bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. *Pſ.72.*

Obſecro te itaque, clementiſſime Domine, Pater Domini mei, trahe me funibus ad Filium tuum, vt ad eum veniam; in funiculis Adam, vt promiſiſti, trahas me. Et confige timore tuo carnes meas, vt attractum funibus, clauis affigas. Sed glutino charitatis adglutina; quia bonum multoque melius eſt, ita tibi adhærere. Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum: attractus affigar; affixus adhærebo? adhærens, amoris glutino ſolidatus, dicam, clamabo, & perſonabo exultabũdus, cum mille ſimi-
libus; Quis nos ſeparabit à charitate Dei? quis nos ab hoc glutino dimouebit? Non diſcedimus à te: vi-
uificabis nos; & nomen tuum inuocabimus. *Oſee 11* *Pſ.118* *Rom. 8* *Pſ.79.*

O vos interim infelices mundi carniſque amato-

res,

res, ſtulti cæciq́ue iudices, & iniqui rerum æſtimatores! Numquid felices vos arbitramini, quòd affectui veſtro ſeruitis? quòd carnis concupiſcentijs indulgetis? quòd brutales animi & corporis paſſiones ac motus liberè euagari permittitis? quòd nullo neque loro, neque repagulo conſtricti laſciuitis? O inſenſati miſeriq́ue felices! horretis, fugitis, & deteſtamini clauos timoris Domini, quibus confixi Chriſto cruci, cuncta illa infanda facere prohiberemini; & miſeriam veſtram non attenditis, quòd ignitis diaboli clauis transfixi, miſeram ei duramq́ue ſeruitutem ſeruitis, dum ſecundùm carnem ſic inſanitis. Senſus, affectus, paſſiones & carnis concupiſcentias domare ac mortificare non vultis; vos interim audite Prophetam miNu. 33 ſerandum veſtrum ſtatum depingentem: Qui remanF ſerint (vt ex Gentibus ita ex malis affectibus, internecioni dandis) erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus: & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ.

Numquid igitur immeritò tot vitiorum aculeis, tot carnis ſtimulis tentamentiſq; lancinamini in hac terra corpuſculi lutei vitaq́ue mortalis? Carnem igitur G tuam, ô homo, potiùs clauis timoris Domini configi precare; vt ipſum quoque tentatorem, mundi maligni principem, in tuæ carnis tentorio proditoriè latentem conficias, & adhæreas Chriſto. Exemplar in ſpeculo Iud. 4. cupis, quod imiteris? Confugit Siſara (figura diaboli) in tentorium Iahel, ibiq́ue delituit, plus mali ſi euaſiſſet, perpetraturus. Iahel autem tulit clauum tabernaculi, & malleum; & poſuit cum ſilentio ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſiumq́ue malleo defixit in cerebrum, vſque ad terram. Hanc imitare, & de hoſte domeſtico triumphabis, timore Domini illum in tua carne interimente.

Huc, huc igitur, filij hominum, graui corde, contendite; hiſce Domini clauis configi ſatagite; ad hoc ſtudete, ad hoc orate, hunc in finem diuina

verba

verba peruoluite, monita ſalutis & amici monentis eloquia menti infigite. Nónne Sapientis id teſtimonio comprobatum eſt? Verba ſapientum ſicut ſtimuli (ad virtutum ſemitam capeſſendam pungentes) & quaſi claui in altum defixi; quibus ad perfectionis amorem, ſublimioríſque viæ cupidinem prouocemini, & confixi enitamini euincere? *Eccle. 10.*

Quòd ſi, ô homo, clauis Chriſti confixus, ei glutino charitatis adhæſeris; non adhærebit tibi ſedes iniquitatis, non adhamabit te mundus, neque viſcus illecebrarum carnalium te ſibi diuinciet: ſed clauorum Chriſti virtute, & perſecutoris tui caput confringes; &, etiamſi mundi totius clauis terræ affixus fores, velut alter Samſon, clauum cum licio & crinibus extrahes, & victor euades. Inſuper clauis aureis eximij tui Regis Salomonis, in domo Dei, in cælis, Sanctorum cœtui coniungêris, indiſſolubili charitate toti ſtructuræ impingendus. *Iud. 16*

Oratio.

DEus, qui ſemen Abrahæ apprehendiſti, & in carnis noſtræ ſubſtantia cruci clauis affixus fuiſti; ita nos, quæſumus, glutino tibi charitatis innecte, vt amore tibi ſtabili ſeruientes, numquam à te ſeparari permittas. Amen.

36. CRVCIFIXIO.

Fixus Adam nouus est, vetus vt sit liber Adamus;
Hinc nouus vt fixo liber eat vetere.

Ps. 8. DOMINE, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! quoniam prostrata est magnificentia tua super eam. O quàm verè respondisti Domine tecum colluctanti Iacob, rogantique Manue quonam appellareris nomine; Cur quæris nomen meum, quod est Mirabile? Verè Mirabile nomen tuum, quia tu es Dominus Deus, faciens mirabilia in cælo sursum, & in terra deorsum. Itáne nos igitur facto doces, quod verbis antè decreueras; Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur? Itáne nobis clarum testatumque reddis Domine, quare Propheta in ortu tuo exultans (Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis) ex tot tamque magnificis tuis titulis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, quasi præcellentem præmiserit, dicens, Vocabitur nomen eius, Admirabilis?

A

Gen. 32 Iudic. 13.

Isa. 9

Sed numquid satis te iam humiliaueras, Domine Iesu, quando de summo cælo descendens, carnem humanam in vtero Virginis assumpsisti? quãdo Deus immensus pusio paruus effectus es? quando, qui mundum gubernas, infantilibus te fascijs colligari siuisti? quando dependens ab vbere, paruo lacte pastus es, qui manum tuam interim aperis, & imples omne animal benedictione? quando fortis Deus infirmatus es; & Rex angelorum, ab angelis & hominibus ministrari tibi permisisti? quando magister ac Dominus, ad tuorũ te discipulorum pedes abiecisti, linteo

Fixus Adam nouus est, vetus vt sit liber Adamus;
Hinc nouus vt fixo liber eat vetere.

Hier Woordt den heere veen, aen t'cruys om u ghesaghen:
Sy Wilt van hem niet scheen, t'cruys sal u beyde draghen.

Ton Dieu s'attache icy, pour te rendre deliure,
A tel pris affranchi, veus tu le monde suiure?

linteo te præcinxisti, aquam in peluim misisti, pedes abluisti, extersisti, atque in medio eorum fuisti, vt qui ministrare venerat, non ministrari? Quid igitur opus tanta tamque acerba humiliatione, qua in terram profligatus, cruci compor ris affigendus?

B Intoleranda quidem, ô immites Iudæi, Christique crucifixores, vestra crudelitas; obstupentque cælum & terra tanti sceleris indignitatem; sed traditus est vobis, quia ipse voluit: neque vllam haberetis in ipsum potestatem, nisi vobis esset datum & concessum desuper. Ab ipso est, quòd vires habetis, ad nefas hoc infandissimum perpetrandum; quod innata vobis malitia parturiuit.

Considera, Lucifer, quid feciſti, quando supra sidera sublimari voluisti; & propterea in profundum inferni excidisti. Quia namque te exaltasti in vanitate, humiliatus es in veritate: & è contrà, quia se humiliauit omnipotens Deus, ideò supra omnes cælos exaltatus est homo. Accessit namque homo ad cor altum, non per superbiam, sed per humilem filij Dei incarnationem, cùm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; atque ideò exaltatus est Deus. *Isa.14*

Non sic, tu, Pater Adam, ab initio, non sic; sed vestigiis incentoris insistens, accessisti ad cor superbum, volens esse sicut Deus; atque eapropter, ex paradiso voluptatis eiectus es: ideoque filius Dei, secundus Adam, in loco Caluariæ ac horroris, se in prostratum humi patibulum permisit extendi.

Vbinam estis, angeli, throni, principatus, potestates, virtutes cælorum? Non mouemini, non turbamini, non percellimini in cælis; cùm fortitudo vestra in terram eliditur? Vbi es, mater dilecti Domini nostri, Maria? vbi anima mea, soror eius, sponsa? vbinam estis vniuersæ filiæ Ierusalem innixæ super dilectum vestrum sicut columnæ? Ecce, ecce; iam iacet humi, qui sustinet æthera: ecce cruci configitur, qui gubernat vniuersa. O Maria, quali sensu, qualique cordis affectu

affectu hæc vel vidisti, vel audisti, quæ clauis configendum, de Spiritu sancto concepisti!

O peccatores! ô superbi, elati, fastuosi, nihil humiliter sentientes, sed animam vestram exaltantes in magnis & in mirabilibus, super vos ipsos ambulantes! Videte, & discite, quæ sit via, quæ ducit ad vitam. Si sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam, non alienam, sed suam; quomodo per fastum in ipsius gloriam introibitis; cùm nec fastuosis illic existentibus manere licuerit? Videtis? vt sapientia mundi, stulta est Deo; ita stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. *1 Cor. 1*

Numquid sapienter, ô Philisthæi, scandalum & stultitiam crucis in Samsone signatam vidistis, quando illum erutis oculis, vt fatuum nefariumque hominem, clausum in carcere molere fecistis? Sed vt molæ trusatilis forma, formam infamis crucis expressérat; ita & postrema eius de vobis victoria, crucis victoriam victricemque triumphum non obscurè præsignauit. *Iud. 16* B

Et vos quidem, ô Iudæi, sicut Isaiam lignea priùs serrâ secuistis medium, ita diuinam Creatoris & Saluatoris animam, à virgineo corpore, crucis mediante mysterio, separastis: sed, vt serra corpori Prophetæ transuersim infixa, crucis figuram repræsentauit; ita ipse futuræ figuratæque crucis triumpho, in ligno gauisus est. C

Venite fideles, infirmi, filij Adam, Christoque cruci configimini: ipse enim est virtus, salus, & vita nostra. Dignum est, iustum est, nos sic esse. Nam qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quòd vetus homo noster, simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati; vt vltrà non seruiamus peccato. *Rom. 6* D

Tuis, ô mitissime Iesu, membris in cruce protensis,

me

me ſupplex aduoluo, ac veniam omnium peccatorum meorum, præſertim ſuperbiæ me contra te toties extollentis, imploro. Tolle, tolle, benigne Redemtor Domine, omnem ex me peccantem affectum, & crucifige eum: vt deinceps anima mea ab hoc homine iniquo & doloſo liberata, gloriabunda tibi decantet;

E Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal. 6.*

Habeam itaque Deus meus crucifixe, deinceps mundum, vt reum ſuſpenſum patibulo; & pro tali quoque me mundus agnoſcat.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui mundo ſingulare remedium in ligno crucis conſtituiſti, eámque attactu corporis Vnigeniti tui ſanctificaſti; da nobis ſic in eadem gloriari, vt veram mortificationem iugiter in noſtro corpore, pro tui nominis honore portemus. Amen.

37. DVO LATRONES.

Dum calet & pretium, & sceleri medicina parata est,
Huc, nisi queîs morbus seruitiumq́ placet.

Isa.53. DE angustia & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? De hoc quæris & quereris Propheta, vir Dei? & non magis inquiris atque scrutaris; Crucifixionem eius quis enarrabit? Nam, quàm simpliciter tam sublime natiuitatis eius mysterium (nõ æternę dico ex Patre, sed & temporalis ex matre,) describitur, (peperit filium suum primogenitum) tam abbreuiato nobis verbo depingitur, abyssus illa secretorum excessus eius; Et crucifixerunt eum ibi.

Heb.7. Quid igitur? Nónne rectè multifariàm multisque modis, Iesus sacerdos secundùm ordinem Melchisedec? primùm quidem qui interpretatur Rex iustitiæ, deinde verò & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei? Per omnem modum. Sed nunc, quod præsentis est argumenti, expendamus.

Isa.53. Dic nobis, Isaia, quod in spiritu futurum cognoueras. Pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, cum sceleratis reputatus est. Narra, Luca, quod

Luc.23 audisti. Crucifixerunt eum, & latrones: vnum à dextris, & alterum à sinistris. At tu prædilecte discipule, quem diligebat Iesus, recense distinctiùs, quod oculis ipse præsens adspexisti: quomodo duos latrones

Ioã.19 & Christum crucifixerunt? hinc & hinc; medium autem Iesum.

O Iudæorum malitiam! ô Diuinam bonitatem! ô admirandum miseriæ nostræ medicamentum! Vos quidem,

A B C

DVO LATRONES.

Dum calet et pretium, et sceleri medicina parata est,
Huc; nisi queîs morbus seruitiumq3 placet.

O Weereldt Heel ont-keert, hoe siet-mey u bey-stvanghey!
Hier siet-mey Godt ont-eert tuschey tWee' moordero hanghey.

Pendant qu'a ton salut les bras tu le veois tendre;
Cherce-tu autre but, auquel tu te veus rendre?

quidem,ô Principes Sacerdotum & Populi, voluistis hoc facto toti mundo conspicuum reddere, ac si Christus Princeps latronum existeret, eum in medio, inter duos latrones, vtque est verisimile, excelsiori cruce statuentes; sed, non solùm ipse innocens, vt agnus inter lupos, verumetiam vos ipsi potiùs principes latronum esse, deprehendimini, in scelerato hoc vestri machinamenti facinore.

O indignum facinus! ô caput nequius super caput serpentis, quod tam execrandum excogitauit
D consilium! Si Dauid Rex indignatus est, quòd duo 2. Re. 4.
viri, Principes latronum, Baana & Rechab, occiderint Isboseth innocentem, in domo sua, super lectum suum, eosque ob hoc scelus interfici iussit; quantâ dignum indignatione credatis, quòd vos impij latrones, Christum Dei filium, Regem vestrum, infami morte damnatum, inter duos latrones suspendistis? Vobis vestra nequitia in caput hoc vestrum, tam sceleratam excogitarat astutiam; sed Dei ipsius consilium fuit, vt qui vtraque vnum facturus aduenerat, & vbique deligere medium hucusque consueuerat; nunc quoque in medio figeretur. Non solùm, vt mediator inter Deum & homines; verùm etiam inter homines ipsos, velut omnium reconciliator & glutinum charitatis fraternæ.

E Gaudete latrones, gaudete meretrices; & quotquot estis peccatores; & gloriamini in hoc vestro Principe. Is est nempe, qui vos inuitauit, vos recepit, manducauit vobiscum, & amicum se publicanorum effecit. Non enim iustos sed peccatores venit vocare ad pœnitentiam; docturus nimirum meliorem viam, & ducturus ad vitam.

F Salue, bone Iesu, pie ac gloriose latronum Princeps: salue agne innocentissime, luporum antesignane, vt in agnos conuertas. Salue fili Dauid, Rex Is- 1. Reg.
rael, verum refugium, verumque (vt ille) solatium 22.
omnium, qui in angustia sunt constituti, ære alieno

pressi,& amaro animo. En,factus es eorum Princeps: non vt latrocinentur vlteriùs, sed vt in locum pascuæ deducantur,& collocentur in Regno.

4.Re.6 Numquid huius mysterij dedisti nobis Elisæe pro- G
totypon, quando latrunculorum Syriæ dux factus, in Samariam magna ciborum præparatione pascendos pacificè deduxisti,& in pace abire permisisti? Sed nobis peccatoribus longè felicius accidit; quibus non solùm manducare,& quidem cum ipso Rege Christo manducare;verumetiam ipsummet manducare,atque cum ipso in æternum regnare conceditur. Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam; & noli eum qui nascens & moriens se tibi in salutem socium dedit, noli inquam tu illum in tuam perniciem inter latrones collocare. Ne committas, vt innocens Dominus solo H
tui amore descendens ab Ierusalem in Iericho, incidat in latrones; qui ipsum despolient, & abeant semiuiuo relicto. In corpus enim eius solùm potestatem habent. Numquid hoc scelus committunt, qui corpori & sanguini ipsius indignè communicant? Nónne Christum in speluncam latronum intrudit, qui illum in conscientiam peccato letali obnoxiam recipit? Nolite, dilecti Dei, Christum Domini segregatum à peccatoribus, excelsiorem cælis factum, cum iniquis & impijs deputare. Nónne hoc agitis, quando à peccatis mundati, malorum consortia sectamini? quando vobis vt Christi membra commissos noxijs sinitis permisceri? Quid Christo ad Belial? quid Christi fidelibus cum periculis latronum? nónne qui talia agũt, Christum in medio latronum ponunt?

Absit hanc rem faciamus: sed potiùs si nos ipsi fortè per contemtum in medio latronum,hoc est peccatorum, ab hominibus reputamur, & patienter id opprobrij cum Christo feramus; certi quòd cum illo regnabimus. O ita felix Nemesi, qui pro Christi fide I
variè excruciatus, cum latronibus iussus es incendi, Saluatoris referens similitudinem, qui vnà cum latronibus

tronibus pertulisti crucem: factus cum sponso animę tuæ, sicut lilium inter spinas.

Ad te me conuerto, pijssime Domine, qui miro in te modo legendum nunc exhibes, quod per virum secundùm cor tuum prædixeras; Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Iam adimplesti promissum; Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis. Adimple & illud in me, bone Magister, in quo mihi spem dedisti, cùm diceres: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Trahe me Domine: confige me tibi: vt totus mihi figaris in corde, qui pro me totus fuisti fixus in cruce. *Ps.* 24.

Oratio.

DEus, angelorum mediator & hominum, qui pro nimio erga nos pietatis ardore, inter duos latrones in cruce pendere non erubuisti; respice super hanc familiam tuam; nosq; à malignorum sortibus erutos, tibiq; in cruce confixos, inter choros cælestium iubeas aggregari. Amen.

38. VESTIMENTORVM DIVISIO.

Matris opus, ſpolium heu vitæ pignuſq; peremptæ,
Fors rapit & ferrum mortis in obſequium?

Iſa.8. SVME tibi librum grandem, & ſcribe in eo, ſtylo hominis; Velociter ſpolia detrahe; citò prædare. ¶Quid nobis Domine per Prophetam inſinuas? Numquid librum A grandem ſatis, expanſum in Cruce Chriſtum habemus? Nónne mirabilia, & magnalia, in eo ſcripta conſpicimus, ſtylo hominis, ferreis ſcilicet clauis manus eius & pedes, vera membra veri hominis penetrantibus? At, vbi quod illic ſcribi iuſſiſti; eùm ipſimet detracta ſpolia, deprædataque cuncta videamus? Numquid adeò verum quod dico, vt ipſe meritò cum humano genere (quòd eum è cælis, ceu ſponſum ſanguinis, euocarit) expoſtulare iam poſſit, voce illa *Iudic.* ſociorum Samſonis; An idcircò vocaſtis me ad nu- *14.* ptias (ad humanæ naturæ conſortium) vt ſpoliaretis?

Verè in ipſo illud quoque videmus impletum, *Exc.31* quod legimus; Vidit Moyſes populum quòd eſſet nudatus: ſpoliauerat enim eum Aaron, propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat. Spoliaſti enim eum Domine, Apoſtolorum ſolatio, veſtimentorum ornatu, virtutiſque tuæ præſidio; propter ignominiam peccatorum noſtrorum: vtque charitate eius, multitudinem ſordium noſtrarum obtegeres, inter hoſtes nudum conſtituiſti.

Agnoſcimus interim, vereque confitemur, & gratias agimus; quòd, iuxta Prophetæ vaticinium, puer hic nobis natus, & filius datus nobis, antequam ſciret vocare patrem ſuum & matrem ſuam, fortitudinem *Iſa.8.* Damaſci abſtulerit; & ſpolia Samariæ, fortiſque armati, cuſtodientis atrium ſuum, diripuerit.

Adam,

Matris opus, ſpolium heu vitæ pignuſq; peremtæ,
Sors rapit, et ferrum, mortis in obsequium.

De liefde heeft u, o Godt, ſiel en lyf doen ver-panden:
D bloedt vorst deur het lot, comt in der boosen handen.

Ah! quel eſtrange accord! De ſa mere l'ouurage,
Et par fer, et par ſort, vient icy en partage.

Adam, vbi es? Veni, nec dicas ampliùs; Timui, quòd nudus essem, & abscondi me: quia, ecce, qui te creauit ac redemit, nuditatem tuam, peccati testem & pœnam, innocentiæ suæ nuditate persoluit; & te, nosque omnes, indumento charitatis contexit. Omnia benè fecit, dum talis in cruce pependit, quales nos ipse formauit; qualis in paradiso homo primus habitauit, & qualis ad paradisum homo secũdus intrabit.

B Sed, quid actum est? quid fecistis, milites, Christi crucifixores? quid hac de re, Domine, per Psalmistam prædixeras? Diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam miserunt sortem. Itáne? quid igitur iam factum narratis vos ipsi Euangelistæ? Legamus, audiamus, videamus verbum quod factum est, & in C corde nostro conferamus. Diuiserunt vestimenta eius; feceruntque quatuor partes, vnicuique militi partem: & miserunt sortes, vt viderent, quis quid tolleret. De tunica verò inconsutili, & contexta per totum, dixerunt ad inuicem; Non scindamus eam; sed sortiamur de illa, cuius erit. *Ps.* 21.

Mirabilia opera tua Domine, quæ fecisti; sed non minùs mirabilia, quæ passus es & permisisti: ideò scrutabitur ea anima mea. In vestimẽtis tuis duobus, Domine, quæ diuisa sunt, non obscurè naturam tuam humanam, ex anima & carne constantem, animaduertimus: in tunica verò inconsutili, non diuisa, indiuisibilem tuam Diuinitatem. In quatuor denique mundi plagas viuifica tua passio (quasi vestis tua) per Apostolorum prædicationem distracta est. Sed nónne per milites, tui crucifixores, rectè præfiguratos videmus hæreticos? quibus non tam curæ & cordi est, D quid de te sanctaque tua Ecclesia credant & sentiant, quàm vt spolijs ecclesiarum ditentur. Sed, quid ad hoc respondebunt nefarij? quid ad hoc dicetis hæretici? quòd nec discretio, nec pietas illa in vobis reluceat, qua vsi censentur hi milites? Isti siquidem tunicam Christi noluerunt diuidere; vos verò non solùm eam

in eius Ecclesia scinditis, dum vnitatem diuiditis; verumetiam pretiosissima quæque in illa, ita frangitis, dissipatis, pessumdatis, ac sine vllo iudicio comminuitis, vt nulli sint in posterum vsui; merum tantùm odium & furorem exercentes. Nónne, ô hæretici, E vnitatis osores, hoc vnum omnia vestra & dicta & facta sonant, quod impudens illa meretrix & dura
3. Reg. mater clamabat; Nec mihi nec tibi; sed diuidatur?
3. Recordamur, Iesu mansuetissime, quòd cuidam amico tuo, scissa veste per visum apparens, Arium hæreticum illam discidisse testatus sis.

Sed ad vos iterùm conuertimur, milites. Sortem quidem super partes quatuor, & super inconsutilem Christi vestem misistis; sed, quàm longè feliciùs, nobis in hac partitione sors ipsa ceciderit, testatus est ipse, qui iam olim rem totam præuiderat, Propheta
Ps. 15. Regius; Funes mihi ceciderunt in præclaris; etenim
3. Reg. hereditas mea præclara est mihi. Non enim hîc ex F
11. Prophetæ cuiusquam pallio, in duodecim partes di-
4. Re. 2 uiso, decem scissuras, vt ille, recipimus; neque cum G Elisæo pallium Eliæ, tametsi totum, accipimus; sed & ipsummet Dominum, Dei filium, mundi totius Redemtorem. Nónne se nobis nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium?

Gaude, gaude, anima mea; & exulta præ gaudio, in hac die tua, pacis tuæ, felicitatis tuæ, coronationis tuæ. Dubitas, hæresque anxia in his omnibus præ stupore? Dic liberè, dic audacter & confidenter illi, cum tuo sponsore; In manibus tuis, ô Domine, sortes meæ; adeò & in illis descripsisti nos. Vulnera siquidem in manibus tuis, salutis nostræ sigilla sunt. O sortem regiam! sortem misericordem, & æquam! quæ nulli facit iniuriam, & omnibus dignam asserit retributionem. Tam maiores, quàm minores; omnes sors
2. Par. ista æqualiter diuidet. Dubitat aliquis? Præconis at-
14. tendat vocem, qua liberalem hanc Domini nostri

parti-

partitionem promulgat; Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine. Col. 1.

Veni iuste, veni peccator, veni pauper & inops, fragilis & nude; Velociter, spolia detrahe, citò prædare: nam multiplices Christi gratiæ, vt vestimenta, nobis sunt optima sorte attributa: tunicam eius inconsutilem, Ecclesiæ vnionem seruantes; polymitam quoque, singularem Christianorum amictum & ornatum, varietate donorum Spiritus sancti contextum, Christum induentes, assumite. Et, quando esset de illibata animæ salute periculum; corpoream hanc potiùs vestem cum Iosepho dimittite, quàm Christi veste frustremini.

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus Domine, perpetua pace custodi, vt qui renatos fonte baptismatis, Christum induisse cognouimus; indiuisa sit nobis, & fidei vnitas, & illibatus perduret charitatis amictus: vt donorum Vnigeniti tui facti participes, Sanctorum quoque in cælis sorte lætemur. Amen.

39. TITVLVS CRVCIS.

Hoc titulo, Christi benè dignorabere miles,
Mundus sub sua cùm signa vocandus erit.

Matth. 22. CVIVS est imago hæc & superscriptio? Vbi- A
nam nunc es, ô munde versute, cum omni tua sapientia, quæ stultitia est apud Deum? Introducantur magi, Chaldæi, &
Dan. 5. aruspices, omnesque sapientes Babylonis: quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam fecerit, purpura vestietur, & torquem aureum habebit in collo, & magnus vocabitur in Regno cælorum. Scrutamini cælum, terræ profunda rimamini, maris abyssum consulite; quid aliud erue-
1. *Cor.* 1. tis, quàm Christum crucifixum scandalum esse Iudæis, Gentibus verò stultitiam? & eapropter, titulum quidem poteritis legere; ad hoc enim tribus linguis descriptus est, Hebraicè, Græcè, & Latinè, vt nemo non legeret: sed interpretari nequibitis: neque vmquam nisi credideritis intelligetis. Attendite, & vide- B
te; quid vobis videtur de Christo crucifixo? quem dicitis esse Filium hominis? Cuius est hæc imago & superscriptio? In lege quid scriptum est? quomodo legis? quomodo, obsecro, his concordant scripta Prophetarum? quænam scripti & maledicti concordia?
Gal. 3. Maledictus siquidem omnis, qui pendet in ligno. Imaginem video quasi despecti, leprosi, nouissimi virorum; & lego titulum Saluatoris & medici: Iesus etenim saluatorem significat. Video imaginem pauperis, infirmi, & decidentis; & lego titulum Nazareni, floridi, & vernantis. Contemplor imaginem seruilis mancipij, hominisque miserrimi; & lego magnificum titulum Regis. Imaginem video sceleſti contemtoris Dei, ac blasphemi; & titulum lego Iudæi,

confi-

Hoc titulo, Chriſti bene dignorabere miles,
Mundus ſub ſua cum ſigna vocandus erit.

O ſtandaert triumphant, o titel alder eeren!
Weeſt my tot vaſtey ſtandt, en ſalicheitò ver-meeren.

Arme ton front, ſoldat, de ce titre de gloire;
Si l'enfer te combat, tu en auras victoire.

confitentis, collaudantis, perhibentisque testimonium Veritati. Cuius est ergo hæc imago infirmi, & inscriptio medici? Imago miseriæ, & beatitudinis titulus? imago mortis, & vitæ triumphus? Venite Christiani, venite fideles, venite docti in Christi schola discipuli: vobis enim datum est, nosse mysterium Regni; ceteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & scientes non intelligant.

O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius! Quis consiliarius eius fuit? immò, quis tuus fuit Pilate consiliarius, vt titulum talem conscriberes, cruci Domini nostri crucifixi superponendum? Profectò, non procul eras à Regno Dei, si in lumine solis iustitię tibi adstãtis ambulasses, potiùs quàm tam fastuosè in tua potestate præsumsisses: si veritatem quam quærere videbaris, iam tum habitam tenuisses; & lumen quod in te erat dum titulum scriberes, tenebræ factæ non fuissent. Tria te credo mouerunt ad titulum eiusmodi concinnandum: sed, ne nescias; ipse cuius manus ligno affixeras, scribentis manum direxit. Causam affecti supplicio de more scribendam non dubitasti: quò & nomen personæ, patria, & mortis causa notescceret. Vt autem taliter istud efficeres; Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ, hinc te partim Iudęorum stimulabat inuidia atque in eos indignatio, qui te ad id quod noluisses adegerant; partim aucupatio gratię apud Cæsarẽ, vt qui dignitati eius insidiantem sustulisses è medio: & demum in tui purgationem, si te fortè traduci contingeret, quòd innocentem morte coactus condemnasses. Hæc tu quidem Pilate, sed longè pręstantius spectabat prouidentia diuina consilium, quo sibi titulum hunc præelegit.

Dixistis, Iudæi, Pilato, Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia dixit, Rex sum Iudæorum. Bona Pilati responsio; Quod scripsi, scripsi: nam titulus hic fuit immutabilis. Non quia Pilatus scripsit, sed quia Veritas

ritas dixit, Rex sum Iudæorum. O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nónne occulta quædam vox intùs, quodam (dici potest) clamoso silentio personabat, quo tacitè antè in Psalmorum litteris prophetatum est; Ne corrumpas tituli inscriptionem? Ideò enim Pilatus, quod scripsit scripsit, quia Dominus quod dixit, dixit. Immobilitas siquidem tituli; immobile Regnum significat Christi.

Gratiæ tibi Christe, qui non frustrà brachijs in cruce expansis attingis à fine vsque ad finem, fortiter & suauiter vniuersa disponis. O quàm luculenter effectum sortita est modò, tametsi nec tunc optato euétu caruerit, figura illa, qua per virgam Aaron, inter aliarum tribuum aridas germinantem, ostendisti quem elegisses; quando & vnicuique virgæ nomen familiæ pro titulo inscribi mandaras! Nónne benè dicimus nos, quòd crux tua Christe, virga hæc est admirandæ potentiæ, frondens, florens, germinans, fructumq; proferens in salutem omni credenti? Arida in se, & sterilis licet appareat, ex fructibus tamen eam agnoscimus; titulumque eius cum ea conferentes, magnificam illi meritò laudem concinimus; Crux fidelis, inter omnes, arbor vna nobilis: Nulla silua talem profert, fronde, flore, germine. Vereque titulus hic ostendit, Domine Deus, quem elegeris; quodque hic sit filius dilectus, in quo tibi complacuit: qui ex matre Virgine genitus, stirpem Regiã in se stabiliuit.

Num. 17.

O titulum triumphalem, regium, & omnem magnificentiam præcellentem! ô librum inuolutum scriptum intùs & foris, nunc in cruce velut expansum in pulpito, toti mundo legibilem! Lege, hauri, inebriare mysterijs, ô anima mea. Sit instar tituli huius, cor meum, tali typo conscriptum, ad gratitudinem, ad imitationem, ad certæ salutis indicium. Immolem phase quotidie, in tanti beneficij memoriam, tinctoque hyssopi fasciculo in sanguine agni, aspar-

Ezec. 2

ſpergam ſuperliminare & vtrumque poſtem domus meæ; corpus & animam, & ſuperliminare adoptionis, vt vitam habeam, & abundantiùs habeam.

Quis mihi det igitur, vt ſcribantur ſermones hi mei (mihi inquam ſcripti, fixi, & dati mihi) in libro cordis mei? Da Domine, & fac quod promiſiſti; dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas. In fronte quidem numiſmatis mei, per te ſignati, foris inſcriptum eſt, Chriſtianus; ſed imago non congruit, dum nihil minùs, quàm quod Chriſtiani eſt, facio. O peccatorem immemorem, ingratum, tam excellenti titulo indignum! Nónne Domine, ſponſe ſanguinis, Samaritane animæ meæ; nónne inquam delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tuliſti de medio, affigens illud cruci? Iam pendebat edictum in Suſan, & ſententia mortis æternæ ceruicibus noſtris impendebat.

Iob 19. *Ier. 31.* *Heb. 8.*

Coloſ. 2.

Quare non igitur in hoc titulo & trophæo gloriabor? quare non gaudebo in Deo Ieſu meo? & quare non magis glorioſum videbitur, cruce, titulo, paſſioniſque ſtigmatibus inſigniri, quàm potentes in ſæculo, titulis ſuis bullatis & ventoſis gloriari? Nónne hac velut teſſerâ, liber in Regnum cælorum ingreſſus aſſeritur? Nolo itaque ego ſeruus in terris ſine hoc titulo viuere, quia te video Dominum meum hac nota ſignatum.

Oratio.

DEus, qui dilectum Filium tuum, redemtorem noſtrum, in ſignum poſuiſti, cui contradiceretur; & eumdem titulo triumphali decoraſti: da nobis ita Chriſtiano noſtro nomine reſpondere; vt fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Amen.

40. SEPTEM BLASPHEMIÆ.

Excipis & moriens blasphemæ spicula linguæ:
Omnis nempe mali tunc scopus vnus eras.

Ps. 10. ECCE, peccatores intenderunt arcum; parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectum corde. Quoniam quæ perfeciſti, destruxerunt; Iustus autem quid fecit? Iesu bone, Domine, vt video, aggrauatum est prælium contra te, inueneruntque te sagittarij, & vulnerauerunt iaculis. Ita est: sed, nisi priùs amore salutis vestræ sauciatus fuissem, numquam me malignantium iacula feriissent. Nunc autem in gratiam vestri, memetipsum Patri cælesti obtuli, qui hanc eis in me fecit potestatem; vt vermis sim factus, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Hinc, omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Hinc quoque sagittæ Domini in me sunt; quarum indignatio ebibit spiritum meum: & terrores Domini militant contra me.

1. Par. 10.

Ps. 21.

Iob 6.

Gratiæ tibi Domine, redemtor noster; auxiliator in tribulationibus, & adiutor fortis. Gratiæ tibi, Pater cælestis: qui sic dilexisti mundum, vt Filium tuum vnigenitum dares. Sagitta tu quoque cor nostrum charitate tua; vt acutas linguarum dentiumque sagittas, pro nomine dilecti filij tui libenter feramus. Amore siquidem tuo saucios, tela mundana non sauciant; sed delectant potiùs quàm affligant. Dignare eapropter, mitissime Domine Iesu, diuinæ tuæ gratiæ lumen mentibus nostris infundere, vt tam acerba blasphemantium iacula penitiùs expendentes, in gratiarum actione, tuique amore crescamus.

Contemplamini vos itaque mecum, filiæ Ierusalem, quomodo sit impletum, quod Propheta prædixe-

rat

SEPTEM BLASPHEMIÆ.

CHRISTI POTESTAS.
CHRISTI HEREDITAS DIVINA
CHRISTI REGIA MAIESTAS.
A.
B.
CHRISTI DIVINITAS.
CHRISTI PIETAS IN PATREM
CHRISTI HVMANITAS.
DIGNITAS MEDIATORIS
Si Rex Israel est, descendat.
Confidit in Deo, liberet eum.
Si tu es Christus, salvum fac temetipsum.
Si filius Dei es, mitte te deor. etc.
Alios fecit, seipsum non potest salvum facere.
Alios fecit, seipsum non potest salvum facere.
Si filius Dei es, descende de cruce.
Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce.
Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult eum.
Si filius Dei es, mitte te deor. etc



rat; Pharetra eius, quasi sepulcrum patens: & alter accommodatiùs; Sepulcrum patens est guttur eorum: quando nimirum ex infami gutture, ceu pharetra, virulentas blasphemiarum sagittas, in Christum eiaculati sunt. O cæcas mortalium mentes! Quemadmodum enim ab omni hominum genere, dependens è cruce Saluator, blasphemis vocibus fuit impetitus; ita nihil eorum, quæ vel essentiam ipsius, vel attributa concernunt, remansit intactum. *Ier.* 5. *Ps.* 13.

Ecce, venisti, anima mea, ad locum iaculi: ecce, ibi est sagitta; porrò vltra te; captum quidem tuum excedens, sed confide; qui dedit quærere, dabit etiam inuenire, & colligere, & intelligere. Festina igitur velociter, ne steteris: collige sagittas, & adfer ad Dominum tuum. Omnia quidem ad tuæ salutis augmentum; sed tum præcipuè ad eius laudem & gloriam, qui pro te pertulit vniuersa. *1. Reg.* 20.

Numquid in primis acuta tibi sagitta videtur, quâ Christi humanitatem glorioſamque eius resurrectionem stringendo, transeuntes blasphemant, mouentes capita sua, & dicentes! Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud! Da nobis Domine, per hanc tuam patientiam, tranquillè tolerare, quando naturæ vel conditionis obtentu, ferendum est improperium. 1. Blasphemia

Sed perge in colligendo. Numquid penetrabile quoque est spiculum hoc, quo Christi Diuinitatem lancinantes dixerunt; Si filius Dei es, descende de cruce? O Domine, quantum nos homines nostramque salutem diligis; nos potiùs exaudi, voce concordi clamantes; Si filius Dei es, non descendas de cruce; sed ibi morere: quia morte tua tali sumus redimendi, sicut Prophetarum oraculis, de Dei filio saluatore mundi, decretum & conteſtatum est. 11.

Perge, anima mea, perge & tela recollige, quibus vulnerata curaberis. Tertium ecce occurrit, & illud virulentum, sed medicinale. Non agnoscis? Illud est,

quo

quo Domini tui, veri Samaritani miracula, toti mun-
do salubria, Principes Sacerdotum suggillant & con-
uellunt: illudentes cum turbis & Senioribus, vocife-
III. rantesque; Alios saluos fecit, seipsum non potest sal-
uum facere. Sit telum hoc, Domine, certo mearum
infirmitatum remedio, bona fide cunctis applicitum
& sanabor.

Quartum quærimus blasphemiæ iaculum? En tibi
quàm exitiale, quàm liuidum! quo Regiam ipsiu-
IV. maiestatem eleuare contendunt; Si Rex Israel est
descendat de cruce, & credimus ei. Ne feceris Domi-
ne: quia si de cruce descenderis, non credimus tibi
scriptum est enim; Regnabit à ligno Deus, Et tu di-
xisti; Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto; ita
exaltari oportet filium hominis. Et, si nemo nisi qui
perseuerauerit vsque in finem, saluus erit; quomodo
tu, nisi perseueraueris, eris Saluator?

O quintam virulentam sagittam, qua pietatem
Messiæ, rectumque eius virtutis statum lacessunt:
anchoram ipsam spei luxantes, in ipsum Deum Pa-
V. trem blasphemi, dum clamant; Confidit in Deo: li-
beret nunc eum, si vult. Te Domine, per hanc iniuriæ
tolerantiam deprecamur, vt numquam spe veniæ de-
stituti, in tua semper misericordia confidamus. Sed,
heu! idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo,
improperabant ei. Spero, vnus dumtaxat; aut si am-
bo, alter ilicò resipuerit; vt solùm ab vno iaculũ blas-
phemum emissum credamus: quod stridens & acer-
bè impactum, non obscurè Christi ceu Mediatoris
VI. officium dignitatemque perstringebat; Si tu es Chri-
stus, saluum fac temetipsum & nos. O Domine, quid
hoc est rei? Nónne igitur satis erat, quòd Principes
Sacerdotum & populi, cum Scribis & Pharisæis, to-
taque spectantium turba, tibi illuderent; statum,
personam, conditionem, naturam, doctrinam, mi-
racula, nihilque non, lacerarent; nisi & hic homo
vilissimus, & perditissimus latro, in eadem tecum
damna-

damnationis pœnâ constitutus, scorpiacâ te linguâ confoderet?

Quin igitur & diaboli telum adiicimus (qui & reliquis sua tela procudit) his affine per omnia; quod in te olim contorsit? Si filius Dei es; mitte te deorsum. VII. Non non, bone Iesu: sed & persistendo, & in cruce moriendo, & mirabilia faciendo in cælo & in terra, testare quod res est; vt testes veritatis fiant, & iudices, ipsi qui te crucifigunt; dicentes; Verè filius Dei erat homo iste.

Nunc, nunc, anima mea, fasciculum tibi ex sagittis istis conficito; cuius odore solo, vel tactu, contra ignita diaboli tela muniaris: & non solùm, tu numquam Deum blasphemes, vel cuiquam occasionem præbeas blasphemandi; verumetiam (è contrà) Dei honorem & gloriam vbique promoueas; & tu toleranter opprobria illata sustineas. Nónne sic dignum & iustum est, æquum & salutare? Si enim patrem familias *Matth.* Beelzebub appellarunt, quo iure domesticus in- 10. dignetur ad verbum? Numquid & salutis tuæ sunt promotores, maledici & detractores? Flatus siquidem iste sic obtrectantium, & æstum prauum vanæ gloriæ in nobis refrigerat; ignem charitatis languentem exsuscitat; & nauem nostram nosque ipsos in remigando laborantes, ad portum optatæ salutis vehementiùs incitat; atque vniuersa nobis bona felicia-que afflando, beatos facit.

Oratio.

SCuto bonæ voluntatis tuæ corona nos Domine, ac veritatis tuæ nos scuto circumda; vt ab ignitis maligni telis protecti, salutaris patientiæ merito, tela linguarum nocentium, inoffensè feramus. Amen.

41. SEPTEM CHRISTI VERBA.

In Cruce, Dius olor, ſeptem diſcrimina vocum,
Sanguineis moriens immodulatur aquis.

1. Reg. 16. QVANDOCVMQVE ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua; & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Quæris & tu, ô anima mea, hominem ſcientem pſallere cithara; vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus (tentatio eſt enim vita hominis ſuper terram) pſallat manu ſua, & leuiùs feras? Chriſtum, filium Dauid, Bethlehemitem conſidera; qui tibi hodie in cruce extenſus, & cithara, & citharœdus, & melos effectus eſt: & dulciſonis modulis in cantico & cithara, verba nouiſſima decantauit, egregius Pſaltes Iſrael, benè pſallens in vociferatione. Tantùm, ne tu inſtar aſpidis ſurdæ obtures aures tuas, ne exaudias vocem incantantis ſapienter: quia citharæ huic, de ſeptem vocum diſcriminibus, nihil deeſt. Septem ſunt item hæc verba, ceu folia ſeptem, ſemper virentia, quæ vitis noſtra electa, in crucem eleuata, emiſit; & in ſalutem ſunt omni credenti. Vide eapropter, quàm pretioſus hic ſermo Domini tibi debeat eſſe; ex quo ne verbum vnum in terram cadere conuenit. Tametſi enim oleum effuſum ſit nomen eius; pretioſum tamen eſt, & redemptionis pleniſſimum. Nónne quoque ſeptemplex tibi in iſtis candelabrum proponitur, ex vno culmine procedens, ſeptiformis in Eccleſia gratiæ dona diffundens?

Pſ. 32. 2. Reg. 23. Pſ. 57. Exo. 25

A B C

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, vt hac luce perfundar, vt mel ſugam de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo; vt verba vitæ conferam in corde meo, vtique iuxta citharæ ſonum, me totum componam. Audite, tacete, quieſcite, ecce, dilectus noſter loquitur. Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.

1. Verbum.

SEPTEM CHRISTI VERBA.

In cruce, Dius olor, SEPTEM DISCRIMINA VOCVM
Sanguineis moriens immodulatur aquis.

Hoovt-toe myn ſiele, hoovt; de ſnaeyen ſtaeyen ghe-ſpannen.
Neemt hier uyt u tonfoovt, gh'en Vvevdt niet vin bev-mannen.

Ce cigne ſus la croix meurt dans une eau ſanglante;
Et de-coupant ſa voix, ſept motets il nous chante.

faciunt. Quid audimus? Numquid hoc est, Sacerdotem agere, dum in ara crucis stans, pro suis crucifixoribus intercedit? Domine, quod anteà verbis docueras, nunc facto nos instruis & inimicos diligere, & pro persequentibus nos, orare. Libenter hîc ego quoque meam culpam agnoscam (quòd dum te offendo nesciam quid faciam) vt interpellationis huius tam efficacis efficiar particeps. Quis enim recogitet, quantum boni peccando perdamus, quantumque damni incurramus? Sed, secundum iam verbum solatij plenum attendamus.

Audi Domine latronem fidelem, contra blasphemi tela te protegentem; proque misericordia deprecantem exaudi. Amen dico tibi, hodie mecum eris in pa- II.
radiso. Optimè, pie Iesu; ô factum benè! consolaris afflictum, pœnitentem absoluis; & larga tua benedictione, supplicis preces excedis & vota. O Domine, quàm felix latro, qui glorioſus martyr effectus, tecum fuit per totum illud hodie, & omni pòst tempore! Nam, tecum esse, est esse in paradiso. O peccatores, raptores, latrones, & meretrices, attendite; quique estis imitati peccantem, imitamini & pœnitentem. Quis namque desperet, latronem hunc cogitans in extremo saluatum: sed, quid viciſſim præsumat, aut ad extremum pœnitentiam differat, vnicum in hoc genere perpendens exemplum? Sed, ecce pium, pie Iesu, spectaculum: matrem scilicet tuam chariſſimam, iuxta crucem stantem; & discipulum quem diligebas. Mœstos solare, & nobis omnibus signum in bonum, dulce verbum eloquere.

Mulier, ecce filius tuus. Et tu dilecte discipule; Ecce III.
mater tua. O mysterium! Sicut Eua sub arbore scientiæ boni & mali, facta est mater omnium peccatorum morientium; ita, ô Maria, sub sycomoro, & arbore stultitiæ, facta es mater omnium Christianorum, mater viuentium. Vtque nos omnes in Ioanne comprehensi fuimus, tibique testamento legati; ita te

meritò omnes Christi fideles in nostra susçipimus.

Verùm, quid audio Domine? ô dulcissime Iesu, quã asperè sonat hęc quarta tuæ citharæ chorda; dum
IIII. magna voce clamasti; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Sine dubio, Domine, numquam vidi iustum derelictum: & tu iustus es, vt agnus immaculatus. Sed, voluntas tua fuit, vt ita derelinquereris, cùm non tuam, sed Patris voluntatem fieri postulasti. Scio Domine, non murmuras, non indignaris, multoque minùs desperas. Sed indicasti, te nihil commeritum, grauiora tamen omnibus hominibus tulisse pro nobis supplicia; nihilque accepisse consolationis, qualem Sancti de cælo in suis agonibus acceperunt.

Desolatio itaque tua, piissime Domine, magno est tuis solatio, dum in angustias rediguntur. Voculam aliam audite, quæso, de labris Christi, licet arentibus,
V. manantem; Sitio. Credo Domine, nam multas habes sitiendi causas. Multum laborasti, passus es multa, longum habuisti sermonem, durũ iter emensus es, in meridie soli expositus quasi agnus paschalis in ligneo veru torreris, meritò itaque dicis, Sitio. Curre Ioannes, & potum præbe sitienti Domino, super cuius pectus in cœna quiescens, cælesti rore potatus fuisti. Festina Magdalena, lacrymisque effusis, arentis humecta caput & labra, cuius pedes tam grato illi olim officio irrigasti. O Maria, ne tu tardaueris pendentem de cruce natum lympha reficere, quem à collo pendulum, toties virgineo tuo lacte potasti. Auditis clamantem Iesum, Sitio! ô peccatores! ô Samaritana! ô mulier, da mihi bibere! Ignosce Domine mihi tardo famulo tuo, quòd non magis propero, vt sitim tuam leuem. Scio, Domine, scio; sitis conuersionem meam, & lacrymas veri pœnitentis. O anima mea, ecce dicit sponsus tuus, sedens super puteum abyssi peccatorum tuorum, Sitio: ô soror, ô sponsa mea, da mihi bibere.

Bibe Domine, quin & camelis tuis, iumentis & seruis potum dabo, sed de fontibus tuis, Saluatoris animarum

marum noſtrarum. Heu, heu, ſextum interim verbũ, lugubre quid (attamen reflexu iucundum) inſonat in aures meas; Conſummatũ eſt. Quid Domine? Finem facis eloquiis vitæ, mortiq́ue vicinæ cedis? O commiſeratione dignum epilogum! Verè conſummata nequitia eſt, dum excreuit in ſummum; nec parcens auctori vitæ, nec futurum iudicem exhorreſcens. Vtinam ſic Domine conſummata ſit peccatorum in nobis malitia, vt & conſumta numquam repullulet. Solatium eſt autem tuis fidelibus, conſummatum id totum hucuſque, quod de te ſcriptum fuerat, & à Prophetis prædictũ; in quo & pro redemtione noſtra inuenienda, omnis conſummationis finis inuẽtus eſt. VI.

Septimum, omniumq́; nouiſſimum, iterùm magna voce proclamãs, piiſſime Ieſu, nobis intonaſti; Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite, ſpiritum tradidiſti. Spiritus tuus immaculatus, inſtar columbæ ex arca emiſſus eſt, vt ſub vitæ noſtræ veſperam, ramũ oliuæ, reconciliationis teſtem, obtenderet. Emiſiſti Domine ſpiritum tuum, vt illum nobis infunderes, & recrearemur: ac renouata facie terræ, ſpiritum adoptionis filiorum Dei reciperemus. Spiritum tuum in manus Patris commendaſti, vt noſter ſpiritus de manibus eius amplam benedictionẽ acciperet, & cum ſpiritu tuo comitatus, apud eumdem acceptior eſſet in cælis. VII.

Oratio.

DEus, qui infinitum ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis theſaurum in nouiſſimis Vnigeniti tui Domini noſtri verbis mundo pandiſti: da, ſic illa mente concipere, & concepta cuſtodire, vt nouiſſimum illud audire poſſimus; Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum, à conſtitutione mundi. Amen.

42. HYSSOPVS, SPONGIA, ACETVM.

Felleus ille calix, & pocula tristis aceti,
Quid, Paradisiacæ fæx nisi amara gulæ?

Ruth 2 QVANDO hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem: & tinge buccellam tuam in aceto. O passionis Dominicæ in- A exhaustum thesaurum, inexplicabile sacramentum! Cade cum Ruth in faciem tuam, ô anima Christo deuota, desideriis plena, & amore dilecti tui inebriata; & adorans super terram, ex abundantia cordis, præ multitudine beneficiorum eius exuberans lacrymis, dic ad eum; Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos? Quia, verè non est cibus adeò aridus, qui non efficiatur sapidus, si illius aceti (quod Christo propinatum est) condimento fuerit temperatus. Quæ enim passio & tribulatio tam amara, quæ passione Christi condita, non fiat amabilis?

Venite itaque, filij hominum, graui corde, mundani spiritu, & in opere vani, qui potum vestrum cum fletu miscetis, & sicut cinerem panem manducatis; sed, dum cibum qui non perit non operamini, insipidus est totus labor vester. Venite inquam; & omnem vestram solicitudinem ac laborem, studia & actus vestros, vt buccellam vitæ mortalis, in aceto laborum & dolorum Saluatoris intingite; & mira
Rom. 8 perfusi dulcedine, dicetis, lætique cantabitis; Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Siqué ratio quippiam pro aliis faciendi patiendíve spectatur; nulla res officiorum laborem ad portanda onera alios ita facit libenter impendi, nisi cùm cogitamus, quanta pro nobis pertulerit Dominus.

Si de voluptatibus, malisque carnis affectibus edo-

Felleus ille calix, et pocula triſtis aceti,
Quid, Paradiſiacæ fęx niſi amara gulæ?

O lerkev aet ey dvanck, al vnſev quade luſtey;
Shy hebt dey heeve dvanck, met eerk ghelaeſt iy r duurſtey.

Te veus-tu deſcharger, du chancre, qui te ronge?
Il faut pour le purger: vinaigre, hyſſope, eſponge.

edomandis agitur; certum est huic agoni ex Christi passione præsidium. Nam, postulat ratio, res ipsa sic loquitur, vt qui Crucifixi passionem recolimus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus, atque de omni contra mentem insurgente motu, dicamus; Tolle, tolle, crucifige eum.

B Sed, quid egistis cum hyssopo, spongia, & aceto,
C Iudæi, siue Iudæorum administri, profani milites?
D Euangelista testatur, quòd cùm Dominus clamasset, Heli, Heli, Deus meus, Deus meus; quidam de circumstantibus audientes, & non intelligentes, vel irridentes, dixerunt, Eliam vocat iste: sed quid sibi vult, quòd vnus ex vobis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere: ceteri verò dicebant; Sine, videamus, an veniat Elias, liberans eum? An timentes ne Elias eum liberaret, mortem eius aceto porrecto accelerandam putastis? An verò expectandum & videndum, maioris irrisionis gratiâ, an Elias veniret, quem aduocatum existimastis? An potiùs, quemadmodum morti adiudicatis vinum dari consueuit; ita ad manum & acetum habebatis, ad sanguinis vulnerumque refocillationem? Dum autem ex Domini ore verbum illud audistis, Sitio, dicit alius Euangelista; Vas aceto plenum illic positum; & vos spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes obtulisse ori eius: iuxta illud; Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

O solers & in malum prona semper nequitia! Crediderim facilè, nihil in his fingi posse malitiæ, quod in vos non quadret; ita erga insontem, liuore plenis sponte venit in mentem, quidquid in maiorem eius despectum & tormentum acerbius possit excogitari.

Nos interim, ipso qui patiebatur, cuncta sic ordinante, non paruam hinc accipimus in miseriis nostris
E consolationem. Venite, qui peccatorum lepra re-

Ps. 50. spersi, & cum Psalmista clamate; Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: hoc enim signabat in Leuit. veteri Lege, quæ hyssopo fiebat, leprosi mundatio. F 14. Nónne etiam immundus à contactu cadaueris, aspersione cum hyssopo mundabatur? Ita quoque mortifero peccato obnoxius, Pœnitentiæ sacramento purgatur. Nónne etiam (quod narrat Apostolus) quando in veteri Testamento populus, & omnia, sanguine aspergebantur, hyssopo cum aqua & lana coccinea; cuncta Christi passionem referebant?

Verùm, quid ad hæc audita formidas & trepidas miser & pusillanimis peccator, quasi reus morti adiudicatus? Confundi erubescis? mori times? & spon- G giæ, cùm de rupe cui adhæret detrahitur, palpitando figuram exprimis? Ne metue: sicut spongia, virtute sua naturali, præsertim aceto intincta, sanguinem sistendi vim habet; ita nunc ori benedicto Saluatoris admota, saluandi virtutem, ritè meditata & peccatis applicita, obtinere dignoscitur: mundi verò spongia Iob 15. & consolatio, inanis & vana; quæ bibit quasi aquam, iniquitatem.

Libet itaque Domine (vt cum amico quodam tuo fideli loquar) vt spongiam per hyssopi arundinem ori meo porrigas; & aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet, inquam, vt per Scripturas tuas, rationi meæ conferas gustare & videre, quoniam florens hic mundus, tamquam spongia inanis est; & omnis concupiscentia eius aceto amarior.

Gustasti Domine; sed postquam gustasses, noluisti bibere. Absinthij, fellis, & aceti tuæ passionis, nos esse memores æquum est, atque etiam tecum aliquid pati. Sed peccata, pro quibus hæc passus es, auersari nos Iob 6. hac tua auersione docuisti. Quis enim gustabit prudens, quod gustatum adfert mortem? Si mundi peccatique amaritudinem, peccatoribus & mundo labanti succurrendo, peccatisve digna luendo supplicia, degustamus; sic degustasse sufficiat, nihil inde voluptatis

luptatis admittendo, neque malos peccatorum humores & mores imbibendo vel incorporando.

Sed quid hoc mali facitis impœnitentes, animum desponden tes; quòd Christum, iterùm spongiam aceto plenam, arundini coaptantes, in extremo vitæ potatis? Itáne, post longam pœnitentiæ procrastinationem, & spem conuersionis Deo & hominibus datam, tandem sub finem vitæ, acetum desperationis quasi in cauda apponitis, atque amaricatam sic animam Deo offertis? Meliorem, ô amici, modũ arripite.

Extremo vitæ saltem (si non anteà) vt longæ arundini, spongiam aceto pœnitudinis plenam apponite; & peccatorum vestrorum in amaritudine animæ vestræ recordamini: quandoquidem nemo tam sanctus, quem sine peccatorum pœnitentia mori conueniat. Tinge tu sic, ô anima mea, nouissimam tuam buccellam, in veræ pœnitentiæ, ac Dominicæ passionis aceto, vt fructus eiusdem dulcedine posteà perfruaris.

Oratio.

DOmine Iesu, qui peccatorum nostrorum amaritudinem, in passionis tuæ acerbitate gustasti, sed reatus eorum culpam non bibisti, quia peccatum non fecisti; da nobis amaræ tuæ mortis antidoto, & à peccatorum gustatu desistere, & pro commissis libenter pati. Amen.

43. SEPTEM SIGNA STVPENDA.

Dum tremit & tellus, & petra dehiscit; homo stat:
Et terrâ & petris est mage brutus homo.

Iudic. 19. CONCLAMABANT; Numquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, vsque in A
præsens tempus. Ferte sententiam & in commune decernite, quid facto opus sit. Ideò hæc dicit Dominus: Interrogate gentes: Quis audiuit talia
Ier. 18. horribilia, quæ fecit nimis, virgo Israel? Ecce, ego in-
& 19. ducam afflictionem super locum istum; ita vt omnis, qui audierit, tinniant ambæ aures eius.

O anima mea, infirma viri huius vidisti, & miserta es: nunc maiestatem eius attende, & miraberis. Qualis enim est hic, quia & cælum & terra compatiuntur ei; cuius & mors mortuos viuificat? Considera amica mea, hic est Dominus Deus tuus, Iesus Christus: qui solus sub sole sine macula inuentus est, & ecce, cum iniquis est reputatus: sed cuncta illum elementa te-
Apoc. stata sunt, suum esse auctorem. Nam, qui vt angelus
10. fortis de cælo descenderat, mortalitatis nostræ nube amictus, cùm iam iris coronæ spineæ, titulo regalis imperij linguis omnium Nationum descripto, in capite morientis radiaret; clamauit voce magna, quemadmodum cùm leo rugit; & cùm clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. Septem hæc signa sunt in Christi sponsi tui morte, deuota tibi mentis attentione expendenda. Pone Domine cor meum super pectus tuum, & signa illud mysteriis; vt recenti semper eorumdem memoria, dicere possim;
Deut. Numquid hæc recondita sunt apud me; & signata in
30. thesauris meis? Stupenda quidem hæc sunt, & septem tubarum phialarumque plagis grandiora; sed

spe



Dum tremit et tellus, et petra dehiscit; homo stat;
Et terrâ et petris est mage brutus homo.

O hert, harder dan steen, tot vaulb niet ons be-vloeghen!
Daer t al ió, groot en kleen, in Christi doot ver-sleghen.

Terre, tremble d'horreur, rochers croulès vos cimes:
Car votre createur meurt icy pour nos crimes.


B
C
A

ſpe tuæ magnæ miſericordiæ ſibi præſagit animus, ſigna hæc nobis futura in bonum. Primum horum ſit iſtud; A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam: Et obſcuratus eſt ſol. Maiúſne eſt hoc in ſole miraculum, quàm cùm tempore Ioſue conſiſtere iuſſus eſt, vel tempore Ezechiæ retrocedere? Verè, tenebræ denſæ corda impiorum operuerant; quando ſic excæcati creatorem ſuum blaſphemabant. O quàm tunc prudenter præelectus tuus ſtupens vaticinabatur, qui exclamabat; Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur! Extendebas ſiquidem manum tuam in ligno crucis, & factæ ſunt ſuper terram palpabiles tenebræ, in Ægypto præfiguratæ. Et (dictu mirabile!) cognouerunt in tenebris mirabilia tua, qui in te credentes, poſt tenebras ſperauerunt lucem; & per Spiritum ſanctum charitas in cordibus eorum diffuſa eſt. Sed, ô cariſſimi, quid miramur hunc ſolem occumbere in meridie, cùm illius conditor Sol iuſtitiæ, iam nunc tendat ad occaſum?

Matt. 27. *Luc.* 23 1. Signum. *Exo.* 10

Poſtquam ſiquidem in cruce cum clamore valido, & erecto capite, ſpiritum ſuum illibatum in manus Patris ſui commendaſſet, circa horam nonam, inclinato capite eumdem emiſit. O ſignum admirandum! Cui namque vox in extremo ſpiritu non deficiat? Quis ita dormit quando voluerit; ſicut Ieſus mortuus eſt, quando voluit? Quis ita veſtem ponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit, quando voluit? Quanta ſperanda vel timenda eſt poteſtas iudicantis, ſi tanta apparuit morientis?

II.

Ecce, ecce, mirandum aliud voluntariè morientis indicium: Et velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum. Sed, quid mirum tamen, templi velum ſcindi medium, quando viuum Chriſti templum, ipſo exſpirante ſolutum eſt? Gratiæ tibi, ſacerdos magne, atque animarum noſtrarum Pontifex, Chriſte: ita ſiquidem per te velum hoc ſciſſum eſt, vt

III.

te per

te per corpus tuum, tamquam per apertum iam velum, ſequentes, in æternum cæli tabernaculum introeamus. Et vt amoto iam velamine, quod ſuper Moyſi facie, eiuſque volumine, ſed potiſſimùm ſuper corda parentum noſtrorum, poſitum erat; vſque ad interiora velaminis, etiam viſcera miſericordiæ intuendo, penetremus: ſperantes, quòd aliquando in Sancto ſanctorum, reuelata te facie ad faciem contemplabimur, videndo te ſicuti es.

Sed, quis non expaueſcat, ad quartum ſignum,
IV. quo terra mota eſt? Aſt, benè habet, quòd & corda commoueris Domine. Centurio ſiquidem, & qui cum eo erant, viſo hoc terræmotu, & quæ fiebant, compuncti dixerunt; Verè filius Dei erat iſte. O quot, quantique terræmotus quotidie in me fiunt, dum re minima moueor, Domine! Obſecro, moue cor meum ad te, motuſque prauos tranquilla: vt particulam terræ meæ, quam de manu tua regendam accepi, pacificè in tuo ſeruitio valeam gubernare.

V. Sed & petræ ſciſſæ ſunt. O validum, quem emiſiſti ſpiritum Domine, qui petras quoque confringit, & conterit naues Tharſis! Petra ſit potiùs modò cor meum, vt ſcindatur, quàm vt immotum in ſe permaneat. Percute illud virgâ directionis tuæ, vt fluant aquæ, & ſicut cera liqueſcat, atque in formam tibi placentem refundatur; vt fiam vir ſecundùm cor tuum: ſcio namque quod cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, ſed mirando modo reficies.

VI. Verùm, quid amplius? Et monumenta aperta ſunt. Videte nunc, qui in ſepulcris fœtentium viuentiumq; cadauerum habitatis; & in viuis corporibus, demortuas animas circumfertis. Accedite & illuminamini, facies veſtræ non confundentur; ſed ad mortuum in cruce appropinquantes, viuetis. Terræmotum morborum, corporaliumque afflictionum attende ô homo, & ſedulò conſcientiæ tuæ trepidationem obſerua. Nam Deus eſt, qui ſic in te mouet cælũ

& ter-

terram, vt cordis tui monumentum & oris aperiat; erque veram peccati confessionem, mortui resurgant, quin & latentia ibidem dæmonia egrediantur.

Vos autem, filij pharetræ, columbæ filij, filij aquilæ, & generosa Matris Ecclesiæ soboles, veri Christiani, accedite & admiramini; gaudete gaudio magno valdè. Ecce, dum vnus militum lanceâ latus agni penitentis aperuit, continuò exiuit sanguis & aqua. Verè, VII. sacramentum hoc magnum est, in Christo & Ecclesia. Mira, mira: vides, anima mea? Adam dormit, & ex costa eius ædificatur Ecclesia. Arca in altum tempestatis euehitur, & Spiritus sanctus (vt columba) ex eius emittitur latere, Ecclesiam sanctificaturus & recturus. Petra virgâ percutitur, & effluit sanguis & aqua: aqua in baptismum, sanguis in potum. Ecce, dilecti, quàm nunc actum nobiscum feliciter, in hac fossione terræ promissionis? Lætabundi clamabant olim illi, dicentes ad Isaac; Inuenimus aquam. At *Gen.26* nos inuenimus & aquam & sanguinem; & ignem & spiritum; aquam calidam, & feruentem sanguinem. Inuenimus insuper altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, & thesaurum cæli absconditum. Gratissimus; vtamur, vt æternùm ditemur.

Oratio.

DEus, vniuersi conditor ac redemtor, qui admirandis cæli terræq; prodigiis, te voluntariè pro nobis mori testatus es; concede propitius, vt qui nihil pro nostra fragilitate valemus, dexteræ tuæ roborati potentia, per veram mortificationem voluntariè tibi sacrificare possimus. Amen.

44. LANCEA.

Lancea quæ Martis fueras mortisq; ministra,
Amodò quæ facies vulnera, pacis erunt.

1. Reg. 19. DECLINAVIT Dauid à facie Saul; lancea autem cassò vulnere perlata est in parietem. Dilectus æterno Patri Filius à facie persequentium Iudæorum euasit incolumis, quando animam suam Patri commendauit atque emisit spiritum: & lancea in demortui latus impacta est; cassò quidem quoad ipsum vulnere; sed quoad nos neutiquam inani nec infructuoso. Sed, quid actum? Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.

Eccli. 7 Itáne Iudæi in mortuum quoque fuistis iniurij & ignominiosi? Numquámne igitur legistis; Mortuo non prohibeas gratiam? multo igitur minùs inferas iniuriam. At, quis militum ille fuisse perhibetur? Longinus, cui nomen licet non à lancea sumtum, non minùs tamen sic conuenit, quàm à corona protomartyri Stephano. Fecit hoc ille quidem ad securitatem, Iudæorumque complacentiam, mortem Christi certam desiderantium; sed æternæ beatitudinis thesaurum sibi, Deo miserante, patefecit. Nam lanceâ Longinus latus Saluatoris aperuit; & non tantùm veniam inuenit, sed & episcopatus honorem, & martyrij coronã promeruit. Exultate charissimi pro vestra omnium in hac apertura felicitate; & magna cum gratiarum actione, vnusquisque in se magnalia Dei agnoscens, dicat; Congratulamini mihi, omnes qui diligitis me; quia Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intraui; ibi requiesco securus. Claui &

lancea

Lancea, quæ Martis fueras mortisq; ministra;
Amodo quæ facies vulnera, pacis erunt.

O siele, Wilt u verght met dese lanxie pavey;
Soo moogh-dy t'eender vverght in t'hevrte Christi vavey.

Lance, qui autre-fois fustes outil de guerre,
N'abaisse-plus ton bois, que pour la paix acquerre.

ncea clamant mihi, quòd verè reconciliatus ſum Chriſto, ſi eum amauero.

Vbi nunc eſtis, ſemen Abrahæ, de petra deſerti & apidibus ſuſcitati, veri Iſraëlitæ, Iudæi ſecundùm piritum, fideles in deſerto mundi huius peregrinantes, & ad terram in cælis promiſſam tendentes. Ecce, ompletum in petra, qui Chriſtus eſt, quòd olim Moyſes petram percuſſit & fluxerunt aquæ. Ecce, quomodo Ionathas aliquando extremitatem virgæ auo mellis intingens, abundantem Chriſti gratiam, x eius labris & aperto latere, ceu fauo deſtillante, ibarit. Accedite, guſtate, & videte, quòd ſuauis eſt Dominus, & illuminabimini vehementer. Ecce quoque triplicem lanceam, quâ Ioab transfixit cor Abſalom, hîc meliùs expreſſam, quàm illic per Ioab vſurpatam. Quæritis, quæ ſint iſtæ tres lanceæ, cùm vnam tantùm teneamus? Numquid dolor ille propriarum pœnarum, quas tota paſſione ſuſtinuit, pro vna meritò lancea videtur computandus! Dolor autem ille penetrabilis dolorum matris, quos ipſe efficaciùs in ſe ſentiebat, quídni pro ſecunda lancea cenſeatur? Tertiam verò lanceam an negauerit aliquis, dolorem illum, quem ſuſtinebat, ob peccatores illos, quibus præuidebat paſſionem ſuam minimè profuturam? Sed, Nónne tribus quoque lanceis vulneratum te dicimus, amabilis Abſalom, patris pax, & conſummator Ieſu; quando te primùm Longinus lanceâ, deinde boni amore, & mali peccando dolore afficiunt? 2. Reg. 18.

O Domine Ieſu, quàm ſæpè hac te lancea lancinaui, dum afflicto afflictionem peccando addidi; & quem Pater pro nobis percuſſerat, perſecutus ſum, & ſuper dolorem vulnerum tuorum appoſui! Sed, ſcio quid faciam; Vbi abundauit delictum, abundabit & gratia: atque inde remedium petam, vnde dolor emerſit. Per apertum tuum latus in miſericordiæ viſcera penetrabo, ac pietatis arcana rimabor. Lanceæ huic ſuperbenedictæ me ſociabo, totum me illi immi-

immiſcebo; vt illâ ſaltem illice & traduce, illuc intrò recipiar, quò propter indignitatem meam adſpirare non auſim. Ad hoc me animat, Domine, quòd priùs amore mei fueris vulneratus, quàm lanceam vllam externam admiſeris. Quid aliud enim ſonant hæc
Cant. 4 verba quibus dixiſti animæ meæ; Vulneraſti cor meum, ſoror mea, ſponſa; vulneraſti cor meum: ſemel amore, & lancea ſemel. Atque etiam bis me vulneraſti, quando ſummè te diligo vt ſponſam; & caſtè vt ſororem.

Sed attendite inſuper, Chriſtiani, myſterium, quod ab initio mundi monſtratum eſt. Iam verè immiſit Dominus ſoporem mortis in Adam ſecundum, & ex latere dormientis nouam Euam, Eccleſiam, ædificauit. Videte eapropter, quàm efficaci verbo Euangeliſta ſit vſus; vt non diceret, latus eius percuſſit aut vulnerauit, ſed aperuit: vt innuat, quòd ibi quodammodò oſtium vitæ apertum eſt; quia inde Eccleſiæ Sacramenta manauerunt, ſine quibus ad veram vitam non intratur. Hoc porrò prænuntiauit, quod Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, per quod intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia.

Verùm, ô dulciſſime Ieſu, amor animæ meæ, cruci confixe, vbi tunc eras, quando tali lancea ſic oſtium tui cordis pulſaretur, vt aperiretur? Scio, mi Domine, vulnus illud non ſentiebas, quia ſenſus omnis cum vita receſſerat, cùm ſpiritum emiſiſſes: audiebas tamen pulſantem, & aperuiſti ei. Quídni namque faceres, cùm anteà tanto cum affectu dixiſſes; Pulſate & aperietur vobis? Attamen credo quoque verè, quòd ſenſeris, non in illo corde tuo quod vulnerabatur, ſed in illo corde tuo, quod in corde matris dolentis ſauciabatur.

Ad vos autem me conuerto peccatores; qui peccatis intrepidi, & in peccatis veſtris gloriamini; ad vos inquam me conuerto, vt reſipiſcentes, ad Chriſtum, quem

quem vobis extinctū lancea insuper sauciatis, & cor eius transfigitis, conuertamini. Quæritis, quando & quo pacto id faciatis? Quando post letale peccatum, de commisso facinore exultatis. Quando sic absq; vllo timore proceditis, atq; si Deus sit mortuus, qui non videat quid agatis. Quando instar imbellium animalculorum leoni mortuo insultatis. Quem quæso persequimini? quem inquam persequimini? canem mortuum & culicē vnum? Scitote, quia veniens veniet ad iudicium; tuncq; vt leo rugiet, quis non timebit? Nisi enim conuersi fueritis, acuet diram iram in Lanceam; *Sap. 5.* & pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Desideras verò nunc, ô anima mea, cognoscere, quonam modo tu quoque cum dilecto tuo crucifixa, post mortem queas vulnerari? Attende quid dicam, nam duo sunt modi planè diuersi: vnus quem desideres, alter quem angue peius & colubro fugias. Prior est ille optabilis, vt Christo commortua, peccato & mundo, cum eodem tunc cuspide charitatis saucieris; vt tamquam dilecta dilecti tui sponsa dicere possis; Amore langueo. Detestabilis autem est ille, tibi vitandus, ne postquam carnem tuam cum vitiis & concupiscentiis crucifixeris glorieris, & radicali illo superbiæ vulnere per inanem gloriam lancineris: quod serum quoque & postremum in nobis vulnus, nouissimo hoc Christi vulnere curandum fuit. Vnde quidam de se plus æquo præsumens ac dicens; Mortuus sum mundo, non immeritò à Sancto quodam audiuit; Attamen diabolus adhuc viuit.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui secreta cordium rimaris & renes; animæ nostræ medullis spiculum tuum charitatis infige; vt sicut ex aperto tuo latere Lancea produxit Ecclesiam; ita mihi vulnus amoris sit ad salutem. Amen.

45. APERTIO LATERIS.

Quæ mala cumque premant, latus hoc citus occupa, vbi te
Viſceribus pietas nutriet ipſa ſuis.

Ier. 48. RELINQVITE ciuitates, & habitate in petra, habitatores Moab: & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis. Nónne, Moab, idem quod (de patre) ſonat; quoniam eum de patre filia genuit? ſed nos Chriſtiani meliori iure, Moab, de patre, per filium geniti, nuncupamur. Quid igitur nos hortatur Propheta? Ciuitates mundumque relinquere; immò & nos ipſos abnegare; atque inſtar columbæ in ſumma rupis ſciſſura nidificantis, in apertum Chriſti latus, non ſolùm veloci deſiderio inuolare, quieteque pacifica immorari; ſed ibidem & habitare, & nidificare, & fructum ſalutis producere: ſicut paſſer, qui inuenit ſibi nidum, vbi reponat pullos ſuos. A B

Expergiſcere, dormitans, & dormiens anima, deſideriorum pleniſſima; ſed languidà nimis, ad gnauiter & efficaciter opus exantlandum. En, voce præconis inuitaris, te tuus ipſe ſponſus inuitat, tua te trahit neceſſitas; quin etiam à tergo, mortis & inferni te terror impellit. Tibíne extinctus eſt ignis deuotionis; perge ad montem Caluariæ, & collige ibi de lignis crucis, & igniculum tuum iterùm per illa reſuſcita. Leua ſaltem oculos tuos in montem, vnde veniat auxilium tibi, vt in funiculis Adę & vinculis charitatis attraharis. Surſum oculos, furſum corda, & brachia in altum extende, deſiderium aſcendendi teſtantia. Ecce, Chriſtus ſua quoque brachia extendit in cruce, manuſque ſuas expandit, vt te in miſericordiæ ſinum admittat. C

Quid tardas? Fixus latro in cruce, Chriſto erat à latere,

APERTIO LATERIS.

Quæ mala cunq; premant, latus hoc citus occupa; vbi te
Viſceribus Pietas nutriet ipſa ſuis.

Dey nieuwen Adam ſlaept, ende uyt ſyn wpen ſyde,
(Jc̃ dit niet wel ghe-vaept?) ſpruyt vnd ſyn herte blyde.

Lors que batu des flôs d'une roide tempeſte,
Tu veus chercher rẽpos, prens icy ta retraite.

latere, sed hærebat ei in corde; & tu liberata tergiuersaberis anima? Ecce, caput inclinat ad veniæ nutum, latus aperit ad refugium. Dubitas? Dauid clamat; Ecce hasta Regis; transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam. Tu vna de puellis eius es, & de virginibus Regi adductis & addictis. Surge itaque, amica Christi, sponsa Christi: stet Regina à dextris Salomonis, & lancea tibi ingressum faciet, vt affluas bo- 3. Reg. 26.
D nis. Ascende scalas de ligno crucis tibi paratas; arripe truncum, repe per pedes, & nitere clauis; os tuum aperi, ori lateris aperti appone, & attrahe spiritum. Quare enim in vanum audiueris; Quando exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum? Exaltatum vides, ascende, intra; & esto ibi, vsquedum dicam tibi. Ibi namque vt passer inuenies domum: ibi tamquam turtur casti amoris pullos absconde; ibi os appone, vt haurias aquas salutis, de fontibus Saluatoris. Ipse est enim; tene eum, nec dimittas, donec benedixerit tibi; quod quò magis obtinueris, eò securior illic futura es. Si dulci illic amoris somno corriperis; vigilabit pro te, qui non dormit nec dormitat, qui custodit Israel. Quin & in gratissimi somni argumentum, dicet, & edicet omnibus; Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Et quando te quæso suscitari desideres, ô dilecta sponsi tui candidi & rubicundi; quando? numquam: sed tranquilla cantabis; In pace in idipsum, dormiam & requiescam: requiescam in requiem æternam. Hoc fac, & viues in æternum. *Cant. 2*

Venite, accurrite iusti, peccatores, salutis egentes. En salus nostra in altum suspensa est; vt procul videatur; nudata est, vt cognoscatur; aperta est, vt omnibus effluat. Clamate, vocate, exaltate per turbam mundanam, vocem vestram; & resonet terra, à clamore vestro; atque inuicem prouocate ad hoc spectaculum, tutumque miserorum receptaculum. Dicite pariter;

Isa. 2. riter; Venite, ascendamus ad montem Dei, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas; intentionem, voluntatem, affectum, & omnia interiora cordis sui. Eo ego, meque itineri tam sancto accingo. Curæ interim, solicitudines, anxietates, labores, pœnæ, seruitutes, expectate me hîc, cum asino tardi corporis huius & seruilis: donec ego, cum puero (ratio nempe cum intelligentia) vsque illuc propetantes eamus; & postquam adorauerimus, reuertamur ad vos.

Gratiæ tibi Iesu, quia te verum Isaac (qui risum nobis in salutem per tuum fletum fecisti) video in altari crucis immolatum. Saluus resurgens euasisti; sed aries, dux gregis, implicitus spinis, in carne tua virginali, oblatus est. O amanda, ô admiranda dignatio! Deus immensæ gloriæ vermis contemtibilis fieri non despexisti; quia nos oculis misericordiæ respexisti. Quis igitur, ô pusillanimes, non rapiatur ad spem, & ad impetrandi fiduciam, qui eius attenderit corporis in cruce pendentis dispositionem? Videte caput inclinatum ad osculum, brachia extensa ad amplexum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedum affixionem ad nobiscum manendum, totiusque corporis extensionem, ad se totum nobis impendendum.

Inuola igitur, ô homo, & rue in amplexus te in finem amantis: & dic ex toto corde tuo, cum vera totius anteactæ vitæ pœnitentia, dic inquam; Inter brachia Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cupio.

Ruth 1 Dic cum Ruth fideli, & illuminata; Quocumque perrexeris, pergam, & vbi moratus fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar; ibique locum accipiam sepulturæ. Quis det mihi Domine, vt totus carne & spiritu transfigar, crucique tecum affigar; vt deinceps nihil aliud sciam & sentiam, quàm te Iesum Christum, & quidem crucifixum!

Ad

E Ad te nunc me conuerto, virgo castissima, virago fortissima, mater Redemtoris nostri Maria; vt me pergentem adiuues in hac bona via. Nam, tametsi tuam animam gladius doloris pertransierit; fortis es tamen ad adiuuandum. Scio, scio, Domina; magna est velut mare afflictio tua, quodque amaritudine te repleuerit omnipotens. Scio, stabas modò iuxta crucem corpore, sed in crucem & in cor filij tui mente migraueras. Duo siquidem tu & filius altaria faciebatis; tu vnum in pectore, alterum Christus in sua carne. Dilectus tuus filius carnem, tu verò animam immolasti: immò corpus & animam; & denique omnia Christus in se & in te pro nobis obtulit.

Magnam interim præ omnibus, ô Maria, creatis, obtinuisti prærogatiuam, miseros peccatores in salutis auctorem respicientes adiuuandi. Dico igitur, supplex & deuotus precator, tametsi magnus peccator; Virgo virginum præclara, mihi iam non sis amara: sed, Inflammatus & accensus, per te virgo sim defensus, in die iudicij.

Oratio.

VT multæ sunt Domine miseriæ corporis, ita multæ sunt quoque misericordiæ tui cordis; da nobis quæsumus, ita nostræ miseriæ tibi ostendamus abyssum, vt abyssum misericordiæ tuæ nobis vicissim ostendas, & salutionis tuæ experiamur effectum. Amen.

46. QVINQVE VVLNERA.

In manibus pedibusq; tuis scripsisse redemtos,
Magnum erat; at maius cordis in ære tui.

Isa.55. OMNES sitientes, venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac. Quare appenditis argentum, non in panibus? & laborem vestrum non in saturitate? Qualia, & quanta, mirabilia sunt ista? Sitientes vocantur, & iubentur comedere. Emere monentur, & absque pecunia, vinum & lac. A

Credo Domine, totum ex mente tua sic intelligendum; vt per sitim, desiderium omnium rerum necessariarum intelligatur: per lac autem & vinum, quidquid paruis æquè ac magnis ex vsu sit: & per emtionem sine argento, pretiosam quidem, sed gratis vnicuique parabilem esse mercationem. Merito igitur per Prophetam arguimur, quando quæ ad gratiæ vitæque æternæ acquisitionem, nobis tam in dotibus animæ & corporis, quàm fortunæ largitus es; illa in vanitates & res quoque nocituras expendimus.

Venite itaque prudentes negotiatores; venite humiles mendici, & inopes; venite fragiles & infirmi;
Zach. venite peccatorum sanguinibus & lepra sordidati:
13. Ecce iam hæc dies est à Propheta promissa, in qua
Isa.12. fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ concessus est. Venite, hauriamus aquas, vinum, lac, & mel, de fontibus Saluatoris. Hauriamus in gaudio, hauriamus in copia, hauriamus incessanter. Quia ecce, Deus Saluator noster, fortitudo nostra & laus nostra Dominus, factus est nobis in salutem. Non solùm dixit, fecit, & pertulit omnia in salutem nostram,

In manibus, pedibusque tuis scripsisse redemtos,
Magnum erat; at maius cordis in ære tui.

Deur u vyf wonden rodt, voor vnd uyt liefde vntfanghen;
Vergheeft vnd sonden groot, daer vby met gaen behanghen.

Ces plaies sont les seels de la rançon du monde;
Sur lesquels (o mortels!) votre salut se fonde.

ſtram, ſed & ipſe totus factus & datus eſt nobis, non tantùm in Saluatorem, verumetiam in ſalutem. Si Dominus igitur illumiñatio mea, & ſalus mea; quem timebo? Fiducialiter agam, & non timebo.

Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideò ſcrutabitur ea anima mea. Præterquam quòd innumeras ſordes, infirmitates, & vulnera animarum noſtrarum, in antiquæ legis expiationibus figurata, per innumeras ſacrati tui corporis afflictiones & vulnera curare dignatus es; quinque inſuper inſignia quouis lapide pretioſo præſtantiora vulnera ſuſtinere voluiſti, in manibus, pedibus, & in corde; quibus abundans vniuerſo terrarum orbi (quaſi per quatuor plagas & medium expanſo) remedium contuliſti.

Annon, cariſſimi, nobis impletum videtur, quod à mundi præludiis in vmbra præceſſerat. Fons aſcen- *Gen. 2.*
debat è terra, irrigans vniuerſam faciem terræ. Sed,
C an fons ſolus? Et fluuius (ex fonte) egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor partes. Ecce nobis iam fons iſte, quatuor fluminibus inde profectis, in quinque Chriſti vulneribus ad viuum expreſſus, qui in corda deuota diffuſus, irrigat vniuerſam terram humanitatis noſtræ.

Contemplare ſimiliter hîc, ô anima mea, in quinque ſponſi vulneribus, quinque limpidiſſimos lapi- *1. Reg.*
D des, quos ipſe verus noſter Dauid, è torrente procel- *17.*
loſæ paſſionis ſuæ collegit; tibique colligendos exhibuit, ad profligandum ſuperbum Goliath, in carne tua, & in tentatore diabolo, contra te inſurgentem.

E Concurrite debiles, omnique genere morbi affecti: pateſcit hîc vobis piſcina illa admirabilis, quinque porticus habens. Nec opus, vt exſpectetis aquæ motum per angelum; iam enim mota eſt, & permota, ſemperque ſaluti ferendæ accommoda. Commota ſunt quippe omnia interiora eius, qui vos vt pupillam oculi dilexit.

Venite famelici, & esurientes, egestatem ac inopiam vestram agnoscentes, & implemini bonis: quia ecce vobis puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, abundans & superabundans vniuersis pascendis edulium. Aspera quinque, videlicet clauorum & lanceæ vulnera, instar hordei aculeata; attamen cibantia & viuificantia: atque duorum instar piscium, corpus & animam, solatio nostro ac saluti impensa. F

Luc.19 Tollite, sumite, ditamini, quia talenta quoque vobis quinque efficientur, quibus & alia quinq; lucrari poteritis: potestatemq; supra quinque ciuitates eorúdem vsufructu accipietis. Hasce quis fortè prænominari desideret? Nónne quinq; ciuitatum instar, quintuplicia tibi illa gaudia videntur reputanda, quibus in cælo Beati donantur? Gaudium in Deo, gaudium in Angelis, gaudium in Sanctis, gaudium in anima, & gaudium in corporis dotibus? O quinarium numerum, in quinque Christi vulneribus mirè sublimatum! G H

Ad quinque ergo huius petræ foramina, & cauernas maceriæ, ô miselle peccator, trepidans, pusillanimis, stude nunc & in die exitus tui recurrere: in illis latita, vt ibi valeas pascua inuenire, & ora leonum euadere. Montes enim excelsi ceruis, petra refugium erinaceis, formidolosis, imbecillis, de se nihil fidentibus. Quia apud Deum misericordia, & copiosa apud eum redemtio. Prorsus copiosa; quia non gutta vna, sed vnda sanguinis largiter, per quinque corporis partes effluxit. Et quidem non sine causa, quinque tibi præcipua vulnera infligi, ô Domine, permisisti; vt nostri nimirum corporis quinque sensus, à diabolo captos redimeres; læsos curares, deprauatosque restaurares.

Denique, me felicem! Super hæc omnia, clauis referans, clauus penetrans, factus est, vt videam voluptatem Domini. Cogitabat enim Christus cogitationes

pacis,

pacis, & ego neſciebam. Quídni igitur videam per rimas corporis bonas cogitationes cordis? quídni reſpiciam per feneſtras, & introſpiciam per cancellos, quos dilectus meus aperuit mihi? Clamat clauus, clamat vulnus, quòd verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Vnde conſtat hoc tibi? Patet arcanum cordis per foramina corporis. Patet magnum illud ſacramentum; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus nos viſitauit oriens ex alto, vt eriperet eximo.

Quis te Domine ſic vulneratum non diligat? quis te amantem non redamet? Nolo ſine vulnere viuere, quia te video vulneratum. Quocumq; enim me verto, quocumque aſpicio, te Ieſum meum in cruce pendentem video. Rogo te ergo, benigniſſime Domine, per hæc ſalutifera tua vulnera, vulnera quoque hanc animam meam in ciuitate peccatricem, pro qua etiam in cruce orare & mori dignatus es. Vulnera eam igneo & potentiſſimo telo tuæ potentiſſimæ charitatis. Confige cor meum iaculo amoris, vt dicat tibi anima mea; Charitate tua vulnerata ſum; ita vt ex ipſo amoris tui vulnere, vberrimæ fluant lacrymæ, die ac nocte. Percute, obſecro Domine, hanc duriſſimam mentem meam, valida cuſpide piæ dilectionis, vt altiùs ad interiora penetret virtute potenti, ne ibi vlla ampliùs hæreat virtus inimici.

Oratio.

ANimarum noſtrarum amator & ſponſe, qui pretioſi tui ſanguinis virtutem & pretium, in Eccleſiæ tuæ Sacramentis condidiſti; da, quotieſcumque illis vti contigerit, veram vitiorum mortificationem, vitamq; virtutum vbertim ex illis referamus. Amen.

47. DEPOSITIO DE CRVCE.

O dolor! ô pietas! Hic Natus, & ipse peremtus,
Mucro est, maternam transadigens animam.

Num. 1 CVM proficiscendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum, & cùm castrametandum, erigent. Rectè, Domine: sic enim quando venit hora tua, transiisti ex hoc mundo ad Patrem, profectus in cælum; & velox (sed benè ordinata tamen) fuit depositio tabernaculi tui; non solùm quando animam tuam posuisti, verùm etiam quando corpus tuum fuit de cruce depositum, quod per resurrectionem erigetur, & per quod in cælis castra sumus metaturi. Sic enim, narrante Euangelista didicimus; Cùm serò factum esset; venit quidam homo nobilis Decurio, diues, vir bonus & iustus, qui & ipse erat expectans Regnum Dei, & discipulus, sed occultus, propter metum Iudæorum, nomine Ioseph, ab Arimathia ciuitate Iudææ, & deposuit corpus Iesu. A B

Hanc tui tabernaculi, piissime Domine, depositionem, animus est, nunc deuotè recolere. O sollennes exequias! ô prouidam rerum omnium dispositionem! ô non minorem mortui, quàm viuentis adhuc, operationem! hac enim occasione constare voluisti omnibus, te verè exspirasse; vt ita certior clariorque esset tua resurrectio. O magnam interim viri fidelis audaciam, & constantem fortitudinem, in flagranti adhuc odio Iudæorum, te & deuota postulatione & venerabili de cruce depositione, atque glorioſa sepultura honorare velle mortuum, quem illi tam ignominiosè & atrociter, ad mortem vsque, persecuti fuerant viuum! Gratulor tibi, pro generoso hoc tuo facinore, & ego, vel sola facti commemoratione, mi Ioseph, congratulor inquam & conglorior. Sensisti, sensisti,

quàm

DEPOSITIO DE CRVCE.

O dolor! o pietas! hic natus, et ipſe peremtus,
Mucro eſt, maternam tranſadigens animam.

Ont-ſpant-u, ſtvanghen boom, en Vvilt u armen ſlaerken:
Dat Chriſtus ſonder ſchvoom, ſoetkens marh af-ghevaerken.

O croix, permets tes bras doucement ſe deſtendre;
Que ce cors puiſſe en bas ſans ſecouſſe descendre.

quàm efficax esset vis Christi, quæ ne tantillum remisit in mortuo. Iam ipsa mors eius operabatur; te tuique similes, ad pietatis officia, realemque fidei professionem trahendo; vt quem priùs occultè tantùm, ob metum Iudæorum, colebas viuum, nunc intrepidè coram omnibus profitearis occisum.

Agnoscite vestram vicissim Iudæi dementiam, dum non nisi diuina eius operante virtute sit factum, vt à viris honoratissimis & venerabilibus personis sic defunctus cohonestaretur; quem vos hominum vilissimi, tanto cum vituperio spreueratis adhuc viuentem. Vos quidem eum eratis deposituri de cruce sub vesperam, quemadmodum duorum latronum corpora sustulistis; non autem deuotionis vel honoris gratia, sed lege vos ad illam ceremoniam vrgente, quæ sic habet: Quando homo adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur. Nónne sic regem Hai suspendit Iosue in patibulo vsque ad vesperam & solis occasum; præcepitque Iosue, & deposuerunt cadauer eius de cruce? Numquid idem ita suspendit quinque reges in quinque stipitibus; fueruntque suspensi vsque ad vesperam: cumque occumberet sol, præcepit sociis, vt deponerent eos de patibulis? Ita lex præceperat; ita seruassetis Iudæi; sed quâ gratiâ? Ipse sibi longè melius prospexerat, qui cuncta ita præordinarat.

Deut. 21. *Iosue* 8. & 10.

Equidem, cùm te contemplor, mi Domine, de cruce depositum, Patriarchæ Ioseph exemplo, totus commoueor: qui cernens patrem suum Iacob collegisse pedes suos super lectulum & obiisse; ruit super faciem eius flens & deosculans eum. Quia tametsi corpus tuum (summo cum dedecore cruci priùs appensum) magna cum dignitate & reuerentia fuit depositum; lamentabilis tamen censeri potest hæc depositio; eò quòd cùm corpus tuum, animâ quidem priuatum, diuinitati tamen coniunctum, quasi merum

Gen. 50

merum cadauer, in deponendo tractatum est.

Quis nihilominùs reuerentiam illam mente concipiat, qua sacrosanctas illas reliquias, corpus inquam Dominicum licet inanimatum & exangue, in virgineo tuo sinu deposuerint viri illi honorabiles ac Religiosi, ô Dei genitrix virgo Maria? Quis etiam contempletur, quo tu animo fueris, quando illud in maternum tuum gremium accepisti? libet tamen expendere, quod res ipsa testatur. En, mater, filium tuum, quem de Spiritu sancto concepisti: en corpus de purissimis tuis sanguinibus, in tuo corpore virginali formatum: en fructum ventris tui, quem benedictum, & te per eum benedictam, Elisabeth exclamauit: ecce filium tuum, de quo, magnis per turbã encomiis, mulier illa euangelica vocem extollens testata
Luc. 11 est; Beatus vẽter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

O pretiosum depositum! ô sacrum pignus! ô thesaurum inexhaustum, in nostram salutem exhaustum & consumtum! ô opus admirabile Excelsi! ô creatum nouum super terram! ô mortuum mortuos viuificantem! Amplexare mater filium in sinu iacentem, quem toties amplexata es in eodem vagientem. Defunctus est vita, sed immenso opere ac labore perfunctus. Cadauer effectus est, qui mundum cadentem releuauit. Inanime est corpus, sed in quo tamen
Col. 2. inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Deum gestasti in vtero, nunc eumdem tenes in gremio. Eia mater, fons amoris; vince virgo vim doloris; sis patrona peccatoris, apud tuum filium. Fasciculus quidem myrrhæ dilectus tuus tibi; sed ita expediebat nobis.

Et tu Magdalena, ad pedes indubiè depositi Domini te proiecisti, apud quos iam anteà veniam peccatorum & gratiam inueniisti; & nobis hoc facto spem magnam atque animum addidisti. At, videte fideles, quibus eum vos quoque modis de cruce dignè deponatis. Nónne inprimis, quando corpus

ipsius

ipsius dignè de altari sumitis? nã & crux altare summi fuit holocausti. Nónne vos quoq; peccatores, quãdo à peccatis conuertimini, vel peccatorem conuertitis? Quamdiu siquidem in peccato quis viuit, tam diu Christum in cruce distentum tenet: laxat autẽ quando resipiscit: deponit, quando per pœnitentiam ei reconciliatur, iamque vlnis charitatis eum amplexatur.

Conformamini Christo de cruce deposito, deuotæ & fideles animæ; & estote per veram obedientiam, ceu mortui tractabiles, & per omnia obsequentes. Quinque sensus, vt reges vobis dominari volẽtes, per Iesum vt verũ Iosue, virtute crucis mortificatos deponite; in antra sua, ceu spelũcas, retrudite & sepelite.

Deponite vos secundùm pristinã conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Deponite ergo vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Cauete verò carissimi, ab infami illa Christi depositione per mortem in peccatis. Numquid ita pro typo de cruce depositus est rex Hai, vt diximus, proiectusq; in ipso ciuitatis introitu, congesto super eum magno aceruo lapidũ in perpetuam facti memoriam? Quis non videat, ita peccatorem infami fine defunctum ad portas mortis abiectũ; qui si aduigilasset, iam in ciuitatẽ Dei habuisset introitum?

Eph. 4. *Col.* 3.

Iosue 8.

Oratio.

O Sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, & futuræ gloriæ nobis pignus datur! Da nobis quæsumus, Domine, B. Maria semper virgine intercedente, præsidium; quo & dignè sanctissimum tui Filij corpus suscipere, & congruam tanta dignatione vitam traducere mereamur. Amen.

48. INVNCTIO CHRISTI.

Gratia si fuerat, Dominum condire sepultum;
Regnantem in membris vngere, maior erit.

Exo. 30 FACIES vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij; & vnges ex eo tabernaculum testimonij. Domine, qui solem & lunam, cælum & terram, diem & noctem fecisti sibi mutuò debitè subseruire; fecisti etiam vmbram veteris Testamenti, rei atq; corpori, Testamento nouo, quàm optimè conuenire. Figuram in tabernaculi vnctione, vnguenti compositione, audiuimus, iam itaque ipsissimam rei veri-
Ioã. 19 tatem videamus. Venit & Nicodemus (qui venerat ad Iesum nocte primùm) ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperũt ergo (Ioseph & Nicodemus) corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.

O facinus Heroicum, & inuictæ constantiæ argumentum! ô funus excellens & honorificum, in virum tam ignominioso affectum supplicio impensum! Non indigebat quidem, ô sancti Principes, Christi corpus tali contra putredinem munimento;
Ps. 15. (nam scriptum erat stabatque ratum; Non dabis sanctum tuum videre corruptionem) voluistis tamen debitum Christo exhibere officium vt mortuo; veluti apud Iudæos honorabilibus personis fieri in more erat. Quod enim ipse Dominus in Magdalena adhuc viuens tantopere commendauit; dum ait; Mittens hoc vnguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Ac si diceret: quod non erit ei integrum post mortem ex officio facere, iam præueniendo facit.

Denique, ô deuoti religiosique viri, tametsi fortè, vt adhuc imperfecti, de fide resurrectionis iusti non cogitaretis; fuit tamen hic actus vester, summæ dilectionis;

INVNCTIO CHRISTI.

Gratia ſi fuerat Dominum condire ſepultum;
Regnantem, in membris vngere, maior erit.

Wieȝ wilſt Chriſtum, nu doodt, helpen met ſalue ſtruȝken?
Helpt ſyȝ leden iȝ noodt, eȝ ſact u lieſde blyȝken.

Veus-tu aprés la mort aider ceus-cy a l'oindre?
Sois des siens le ſuport: la grace n'eſt pas moindre.



ctionis; atque eapropter summè laudabilis, & Deo gratus: vt qui mortuus pro nobis esset, obsequium quoque, quod mortuis debebatur, à viuis acciperet. Quis enim addubitet, quando iam præuisum prædictumque fuerat, sepulcrum eius fore glorioſum; quin non solùm de sepulcro ipsius, sed de omnibus quoque, quæ ad sepulturam spectabant, fuerit intellectum?

Numquid, ô filiæ Sion, adimpletum hîc videmus & illud, quod Dominus olim patri nostro Iacob dicebat; Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi? Numquid hîc montem, numquid hîc lapidem, & scalam erectam videtis? Et quid dixit sanctus Patriarcha, de sua illa visione? Verè, Dominus est in loco isto; & ego nesciebam. Pauensque; Quàm terribilis est (inquit) locus iste? Non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Verè verum & veriſſimũ dixisti, & verius vero, in typo eius, quod in monte Caluariæ, Christiq; vnctione peractum est. Nam ibi adimpletum est in Domino, quod in te velut eius fideli seruo in figura præcesserat: quando enim tu in Ægypto, completa consummataq; filiorum benedictione, obiisti, & appositus es ad populum tuum; præcepit Ioseph seruis suis medicis, vt te aromatibus condirent: qui mos erat cadauerum conditorum. sic iam serui fideles, viri Principes Ioseph & Nicodemus, Christi corpus aromatibus condierunt.

Gen.31

Gen.28

Gen.50

Nobis autem, ô Christiani, in Christo Saluatore nostro vncti, more nostro Christus vngendus est. Exemplar expetitis? dabitur. Audite quid de Iudith habeamus, quando se iam ad præclariſſimum illud trophæum, ab Holoferne reportandum præparabat. Vnxit se myro optimo. Numquid ita, qui Christi gratia, velut vnguento præstantiſſimo, se suaque omnia, ceu Christi membra inungunt: fortes, constantes, & inuictos exhibent, ad Holofernem infernalem debellandum, eiusque caput obterendum?

Iudith 10.

Alium

Alium adhuc modum vngendi corporis Christi requiris? secundum adijciam; immò tertium, & plures. Si de substantia mundi huius (quam tibi Dominus dederit) pauperes refocillaueris; tum, si mœstos fueris consolatus, afflictis succurreris, animaueris pusillanimes, ignorantes docueris; & denique (quod in hoc genere maximum arbitror) si in adducendis ad pœnitentiam peccatoribus, hæreticisque conuertendis, impenderis operam; nónne tibi egregiè Christum in membris ipsius vnxisse videberis? Numquid ipse futurus iudex, hæc pietatis officia sibi impensa, coram toto mundo fatebitur, quæcumque vni ex minimis ipsius præstiteritis? Quis enim illud optimum myrum, præstantissimumque vnguentum neget, quo nisi quis vnctus fuerit, Christiani, siue vncti, nomen non obtinet; cùm nec ab alio ipse Dominus, Christus fuerit appellatus? Numquid enim quod Christus spiritali hac vnctione quotidie in nobis efficit, illud nos quoque in alijs eius auxilio exercemus, quod ipsius in laudem non infimam sacra Scriptura commemorat, dum inquit; Qui vngis Reges ad pœnitentiam? Nam, sicut Christi corpus mortuum vnctum fuit, etiam expectatione resurrectionis glorioſæ, cui ob id meritò tantus honor impendebatur; ita peccatores gratiosis sermonibus, ac salutaribus monitis, tamquam labiorum vnguentis, emolliuntur ad pœnitudinem, & vitam meliorem.

Eccli. 48.

O quàm id excellenter illa myrrhæ & aloës mixtura signabat! quod fit, dum prudenter, ex veteris nouæque Scripturæ auctoritatibus, suauis & asperæ, quasi vini mordicantis, & olei lenientis temperie, fit in hunc vsum commistio.

Nónne Samaritani moderatio, vinum & oleum in semiuiui vulnera fundentis, id prætendebat? Numquid Ecclesia multiplicium eiusmodi vnguentorum occasione, verè domus aromatum est; cuius vmbram tantùm habuit Ezechias rex, quam Babyloniis tanto

4. Reg. 20.

cum

cum apparatu oſtendit? Vtque vnguentum tantò pretioſius eſt, quantò de melioribus compoſitum eſt ſpeciebus; ita quoque ſtudioſiùs conficiendum, diligentiùs aſſeruandum, maiorique cum charitate præſtandum: nam ex ipſius donis ac beneficijs hoc vnguentum conficitur, cuius manus in paſſione myrrham deſtillauerunt.

F Numquam, ô anima mea, tibi deſit excellentiſſima hæc vnctio, tum in vſus proprios; tum, ſi quid potes, in proximorum auxilium; quæ, ſi ſapis, numquam alios vnctionis huius miſericordiæ indigos adiuuare detrectes. Curre igitur, feſtina, propera amica mea, ſpecies tibi aromaticas ex Chriſti paſſione atque vbere gratia ſollicitè collige; eaſque in vaſculo pectoris tui, piſtillo crebræ meditationis contuſas, igne ſancti deſiderij ſimul decoctas, oleoque lætitiæ impinguatas, ad vſus iam dictos applica. Quoad te, tota Chriſto deuota, dicito; Dilectus meus mihi, & ego illi. Quoad proximum, clama præ zeli feruore; Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quotidie morior, propter veſtram gloriam & ſalutem. 2. *Cor.* 11. 1. *Cor.* 5.

Oratio.

DEus, qui tuorum corda fidelium inflammaſti, vt pretioſum Vnigeniti tui corpus ad ſepulturam reuerenter inungerent; da nobis indignis famulis tuis, numquam in vitæ noſtræ decurſu, gratiæ tuæ vnguento deſtitui; atque ante mortem, Vnctionis extremæ Sacramento muniri. Amen.

49. CHRISTI SEPVLTVRA.

Incidat hoc quamuis generosum in marmora granum,
Lætius at germen gleba nec vlla dabit.

2. Reg. 2 BENEDICTI vos Domino, qui feciſtis A miſericordiam hanc, cum domino veſtro, & ſepeliſtis eum. Sed, numquid hæc verba Dauidis ſunt Regis, ad viros Iabes-Galaad, poſtquam nuntiatum eſt ei, quòd ſepeliuiſſent Saul? Omnino. Aſt, quid hoc officij tam impio præſtitum homini, commune habet cum pia venerabilium virorum deuotione, circa Domini noſtri Dei ſepulturam? Magno reuerà argumento verba illa hîc vſurpamus, velut ad iſtam functionem meliori iure pertinentia. Nam, ſi viri Iabes-Galaad tantopere à Dauide laudati ſunt, quòd virum alioqui iniquum, ſuiſque interfectorem, ſolùm hoc titulo, quòd chriſtus Domini, hoc eſt, Rex vnctus eſſet, ſepeliuerint; quantò magis hoc elogio decorandos exiſtimabimus honorabiles illos viros Ioſephum & Nicodemum, quòd illum, quem vnxit Pater oleo lætitiæ præ participibus omnibus, & verè Chriſtum Dominum, qui pro nobis omnibus ſe voluntariè in mortem dedit, ſepulturæ mandarint? Benedicti igitur vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro, & ſepeliuiſtis eum. Sed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud. Vnxerat procul dubio corda veſtra priùs ipſe gratia ſua, cuius corpus vnxiſtis aromate; & largam vobis poſteà largitus eſt benedictionem, quòd eum tam honorificè ſepeliuiſtis.

Sed narra Matthæe, quod actum eſt hac in parte.
Matth. 27. Accepto corpore Ioſeph inuoluit illud (vnà cum Nicodemo) in ſindone munda; & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra. Luca, quid B addis?

CHRISTI SEPVLTVRA.

Incidat hoc quamuis generosũ in marmora granum;
Lætius at germen gleba nec vlla dabit.

Lecht dit gheſtoruen graen, ſeer vruchtbaer in d'eerde:
Want, t'moet eer-langh op-ſtaen, met bruchte hoogh vã Weerde.

Or que ce noble grain tombe ſus un dur marbre
Il doit apres demain ſ'esleuer ſur tout arbre.

addis? Posuerunt illum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Optimè, & honorificentissimè omnia; sed numquid hîc paupertatis species se nimiùm prodit, cùm in alieno sepulcro reconditur? Et quid hîc quæso mali? quid non eximij, & imitatu dignissimum; cùm in hoc venerit, vt abiectam despectamque mundo paupertatem, tamquam Regni cælestis heredem, nitori suo restitueret? Numquid à primo natiuitatis exordio, vsque ad extremum vitæ spiritum, paupertatem vnicè coluit & amplexus est? *Luc.23*

Ringatur intereà mundus, quòd paupertate non obstante, Christi pauperes, Deo sic disponente, non egeant; quin immò eiusmodi interdum habeant, quæ solorum diuitum esse videantur. Quo pacto namque aliter actum est, vt Dominus noster, exactissimus tota vita paupertatis amator & obseruator, quin & cõtemtibilium studiosus rimator, post tam enorme supplicij & mortis genus, tam glorioso, atque in viri Principis vsum aptato monumento conderetur? Magna quidem paupertas, alieno sepulcro tumulari; sed magna profectò honorificentia, tali tumulo taliter, à talibus, ac tantis sepeliri.

Numquid hoc quoque ritè consummatum est? sicut prædictum, sic adimpletum. Rectè tu sanè Isaia prędixeras, non autumando, sed per spiritum prophe-
C ticum vaticinando; Et erit sepulcrum eius glorioſum. *Isa.11.*
Rectè vos quoque feciſtis, viri iusti, religiosi, & sancti, Christum sepulcro tam splendido ac glorioso
D condentes. Abraham patrem vestrum & nostrum estis *Gen.23*
imitati, qui tanto cum affectu planxit & fleuit Saram coniugem suam, tantaque diligentia ac veneratione à Principibus terræ speluncam duplicem dato pretio comparauit, vt illam, ad perpetuam posterorum memoriam, honorifico loco, magna cum funebri pompa sepeliret; iuxta quod ei honorificè Seniores populi responderunt, dicentes; Audi Domine; Princeps Dei

es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum.

Gen.25 Sed & Iacob Patriarchæ secuti exemplum (ô viri E benigni) laudis quoque ipsius vos consortes fecistis, & præmij. Mortua siquidem Rachel & honorificè sepulta, iuxta Bethlehem; erexit titulum super sepulcrum eius: Hic est titulus monumenti Rachel, vsque F in præsentem diem. Ioseph autem non æquastis modò, verumetiam multis nominibus superastis; qui cernens patrem Iacob iam è viuis excessisse, ruit super faciem eius, flens & deosculans eum: quem aromatibus condîtum, expleto planctus tempore, sepeliuit in eadem illa spelunca duplici, quam emerat Abraham in possessionem sepulcri. Sed quid non magnificentius per vos est præstitum, qui non seruorum vestrorum sed vestrismet manibus condîtum, in nouo, proprio, & honorifico monumento, vt thesaurum pretiosissimum recluisistis?

Sed, adeste, salutis vestræ amatores, adeste cuncti bonæ voluntatis mortales, venite docibiles Dei; sitque vobis hoc Christi monumentum, munimen & monimentum. Quidnam vobis, præter audita, existimatis in singulis, Spiritu sancto ductore & doctore, esse animaduertendum? Lubet percurrere? Monumento igitur Saluatoris assidentes, attendite cuius nos moneant vniuersa. Nouum illud fuisse meministis? quare? Fidem id fecit, nullum alium inde surrexisse à mortuis, quàm qui in eo primùm conditus fuerat, Christus Dominus. Excisio è solida petra, quid innuit? Certitudinẽ dedit, non fuisse suffossum vmquam parietem vel solum, ad furandum corpus, fraudémve vllam faciendam. Num quid amplius altiusq; ista significant, discere cupientibus? Planè; audite. Sicut in Mariæ virginis vtero, nemo ante illum, & nemo post illum conceptus est; ita & in hoc monumento terræque gremio, nullus ante vel post illum sepultus est. O dulce documentum & efficax! Sed attenda-

tendamus, nobiſque ipſi magis appropinquemus. Sic nos corpus Dominicum, in noua, hoc eſt, per pœnitentiam renouata conſcientia, & corde mundo debemus reponere. Nónne quoque Ioſeph iuſtus rectè conſcientiæ puritatem deſignat? A iuſto ſiquidem vult Chriſtus ſumi, & in corde iuſti quieſcere. Sindon munda quid innuit? Puram animam, & ab omni vetuſtate peccati purgatam. Saxum, ſeu petra magiſtra noſtra non erit? Erit, niſi velimus ſaxo magis eſſe ſaxei. Fidei boniſque propoſiti ſoliditatem inſinuat, & immotam cœpti laudabilis ſtabilitatē. Saxi verò aduolutio; quid vobis videtur? Nónne rectè tanti beneficij accepti deſignat cuſtodiam, ne parta perdantur? Totum denique monumētum eſt nobis, vt videmus, monens mentem, vt in ſacro Chriſti pignore ſuſcipiendo tuendoque ritè officio noſtro fungamur.

Agnoſce igitur, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & felicitatem; qui & Domini tui Ieſu viuum ſepulcrum efficeris, & ipſe viuus in eodem ſepeliris. Væ vobis, ingrati, & degeneres; gratiam Chriſti proculcantes, qui ipſum in conſcientiam fœtentem, ac corpus peccatis oppletum proijcitis. Sepultura aſini ſepeliemini ſecundùm corpus, & ſecundùm animam cum diuite epulone in inferno, niſi conuerſi fueritis. Sepeliamur potiùs viui in vulneribus Chriſti per veram conuerſionem, vitæque verè Chriſtianæ obſeruantiam; tamquam in monumento è petra exciſo; certoque certius, ad vitam reſurgemus.

Oratio.

DEus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, preces noſtras quæſumus clementer exaudi; vt qui viuentes, in fide coniuncti, vnius Eccleſiæ gremio continemur, & mortui ſpe reſurrectionis loco ſacro recondimur; in die nouiſſimo inter benedictos reſurgamus. Amen.

50. SEPVLCRI CVSTODIA.

Mille Argi aduigilent, signent adamante sepulcrum:
Qui Styga perdomuit, rideat hasce moras.

Dan.6. ALLATVS est lapis vnus, & positus est super os laci; quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatū suorum: ne quid fieret contra Danielem. Quid in sepulcri tui munitione primùm & potissimùm memorabimus, Domine? Potentiam tuam, Sapientiam, aut Bonitatem? Omnia simul & æquè admiranda. Et ita facto opus erat; quia potentes habuisti aduersarios, nequiter astutos, & insigniter malitiosos. Sed, ô factum bene! Dum tu siquidem filij tui dilectissimi, atque Redemtoris nostri corpus, in manifestam irrefragabilis veritatis assertionē custodisti; ipsi verò contrà in eiusdem veritatis oppressionem, in eamdem custodiam concurrerunt; factum est, Sapientiâ tuâ ipsorum vincente malitiam, vt & ipsi in astutia sua caperentur, & Resurrectionis Dominicæ veritas tantò fieret illustrior certiorque, quantò plus studij & diligentiæ fuisset adhibitum.

Ignoret quis, quot modis Christi sepulcrum fuerit custoditum ac munitum? Non procul aberrauerimus, Apo.5. si librum, quem dilectus Christo discipulus septem sigillis signatum viderat, hîc nobis ob oculos statutum existimemus. Nónne rectè dicimus Domine, si te septem habuisse custodes & custodias asseramus? In primis, aduoluit Ioseph lapidem ad ostium monumenti, piæ conseruationis intuitu, vt à feris & furibus sepultus esset immunis; prout primaria monumenti constructio siue excisio requirebat. Iudæi verò contrà munierunt sepulcrum, signantes lapidem

cum

Mille Argi vigilent, ſignent adamante ſepulchrum:
Qui Styga perdomuit, rideat haſce moras.

Warhtero, houdt goede waxht; want ghy met al u waken,
Godt ende wysheit ende marht, ſult dies te meer verſlaven.

Tu t'aſſeure en vain, mort: ta mort, par ſa victoire,
Plantera ſur ton fort, l'eſtandart de ſa gloire.

cum custodibus. Ita illi impiè & malitiosè: sigillo quidem contra furaces & fraudulentos; custodibus verò militibus, contra violentos. Quem siquidem vi ac violentia morti dederant, violenter quoque sub mortis imperio tueri prætendunt. Sed numquid, bone Iesu, etiam Pater tuus cælestis, custos tui fuit? Vt quid enim alioqui tam sedulò spiritum tuum in manus ipsius commendasses? Si enim spiritus ei commendandus erat, tantisper dum in corpus rediuiuum rediret; procul dubio & corpus, cui rursum erat vniendus, debuit æquè custodiri.

Insuper, nónne tu quoque fortissime Domine, tuiipsius custos exstitisti! Quorsum enim iam olim in figura prædixeras; Custodi temetipsum, & animam tuam, solicitè? Quorsum etiam non minùs verè quàm malitiosè tibi, dum adhuc viueres, à Iudæis obiectum fuerat; Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es? Et quid Samaritanus aliud quàm seruatorem & custodem significat? Tu namque es, qui custodis Israel; cuius conseruatio totiusque Ecclesiæ, à tua dependet custodia. *Deu.4.*

Numquid iam quatuor corporis tui custodias inuenimus? Ad tres ita reliquas procedamus. Quis neget, quin Angeli, custodes tui exstiterint, qui minimo cuique nostrûm tutelarem suum spiritum deputasti: tametsi tibi tali modo negemus fuisse, vt nobis, necessarium. An etiam à recto recedemus, si Matrem tuam superbenedictam, cum reliquis piis mulieribus, tui custodes annumerauerimus? Tametsi enim non apud monumentum perstiterint; suas tamen & illæ vices, ac quasi stationes seruarunt: testantur id Euangelistæ; Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulcrum. At, quem septimum fuisse custodem arbitrabimur? Certè, existimo, quòd hostis salutis nostræ diabolus, huic operi, pro nequiore vigilantium parte, non defuerit. Vt, quemadmodum non frustrà in cruce morienti adfuisse

præsumitur;ita hîc suo muneri in Iudæis adiuuandis, non defuisse credatur : iuxta illud; Venit Princeps mundi huius.

Gratiæ interim tibi Domine , quòd omnes isti, E etiam in malum, vigiles, quantò te diligentiùs seruarunt, tantò magis resurgentis virtutem confirmarunt. Nónne quasi tot sigillis anteactorum, & secuturæ resurrectionis , munita est veritas ; iuxta illud Danie- F
Dan.8. lis; Visio vespere & manè, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa. Numquid Danielis iustitia, & G
Dan.7. æquitas causæ eò fuit testatior, quò ipse in lacu & annulo regis fauentis, & optimatum illi aduersantium, accuratiùs fuit custoditus ? Nónne Samsonis quoque eò glorioſior fuit euasio, quò studiosiùs eum
Iud.16 Gazenses circumdederunt, positis in porta ciuitatis H custodibus; totaque nocte ibi cum silentio præstolantibus ; vt facto manè , eum occiderent ? Sed præclarâ Christi resurgentis figurâ, dormiuit Samson vsque ad medium noctis, & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores , cum postibus suis , & sera ; impositasque humeris suis , portauit ad verticem montis.

1. Reg. Quis item in accurata Christi concluſi custodia I
19. non videat adimpletum quod in Dauide præcesserat ? Misit siquidem Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum,& interficeretur manè. At Michol vxor eius deposuit eum per fenestram ; qui abijt,aufugit,& saluatus est. Numquid ita quoq; Do-
Ion.2. mine, fortis & sapiens , in admiranda Ionæ de ventre K ceti euasione mirabilis tua resurrectio , per custodiæ circumuallantis industriam facta fuit glorioſior? Non enim solùm tempestas eum demerserat, sicut & te; nō solū faucibus ceti fuit interceptus , sicut tu per mortem absorptus ; verumetiam in interiora terræ, solidæ rupis, obstructæ saxo, sigillis & militibus munitæ, inclusus introiuisti ; sicut ille in ventrem & viscera beluæ marinæ transmissus , & viuus in hoc vasto viuo-

que

que sepulcro concluſus, in profunda maris delatus eſt. Et tamen, his omnibus non obſtantibus, poſt tres dies, diuino tuo iuſſu, & piſcis Ionam euomuit in aridam; & tu rediuiuus ab inferis rediiſti. O verè magnus Dominus & laudabilis nimis! Quis Dominus ſicut tu, qui nomen tuum tot antè ſtupendis ſignis glorificaſti? Numquid ita Sacerdotes Belis olim confundi feciſti in aſtutia ſua; quando contra Danielem molientes, ſuaſerunt Regi (ſicut iſti Pilato); Claude oſtium templi Bel, & ſigna annulo tuo: ſed prudentia Danielis detexit fraudem, in ipſorum ignominiam, & iuſtum exitium. Videte & impletum, filiæ Ieruſalem, animæ ſponſo veſtro deuotæ, quod à Sapiente vobis olim prædictum eſt; Videbunt finem ſapientis; & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus; & quare munierit illum Dominus. *Dan.* 14. *Sap.* 4.

Vide nunc, ô Iudæe, rupe ipſa Golgothana obduratior; vide inquam, quomodo Prophetę tui vaticinium in tuam rectiſſimè quadret inſipientiam, ad maiorem tamen è contrà Chriſti gloriam, quam ſupprimere nitebaris. Omnes, inquit, munitiones tuæ, ſicut ficus cũ groſſis ſuis. Si concuſſæ fuerint; cadent in os comedentis. Ipſe ſiquidem Chriſtus Ieſus, in reſurrectione ſua, cuſtodias & munitiones tuas omnes egregiè conquaſſauit; vt cuſtodes à mortuis non differrent; & interim teſtes ipſius reſurrectionis exiſterent. Super omnem munitionem veſtram riſit; comportauit diuinæ ſuæ virtutis aggerem, & cepit eam; & vafri conatus veſtri, triumphum ipſius inſigniter adauxerunt. O fons ſignatus, & copioſior tamen in animarum noſtrarum ſolatium effluens! O liber ſignatus ſigillis ſeptem; ſed per agnum apertus; qui pro nobis occiſus eſt! Liber ſcriptus intus & foris, agnus dignus aperire librum, & idem Dominus noſter Chriſtus crucifixus, & mortem triumphans, & reſerans vitam. *Nah.* 3. *Habac.* 1.

Cuſtodi, ô anima mea, & cura temetipſam ſollicitè, atque cor tuum vt ſepulcrum Domini tui muni

fideliter. Quis namque tibi illum gratiámve illius eripiat, si te ipsam bene seruaueris? Milites sint, angeli custodes, virtutes, exercitia bonorum operum, zelus animarum, fides, patientia, benignitas, spes in Deum, orationis assiduitas,& reliquæ virtutes, armatura probata.

Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Dei? Lapis aduoluatur constantis continentiæ; vt nihil præter illum in cor nostrum vel irrepat vel irruat. Consepeli te totum, ô Christiane, viuum in eodem cum Christo sepulcro; vt iam mortuus mundo,&peccato,& tibi,soli viuas Christo, qui pro te mortuus & sepultus est: atque ita deinceps,non tu,sed in te viuat Christus. Eia, anima, sponso tuo consepulta, eidem quoque, quantum potes, conformare. Sicuti namque anima à corpore separata in Christo, ipsa tamen anima, & caro ipsa,diuinitati ipsius adhæserunt vnita; sic tu quoque à carnis separata amore,in spiritu tamen & carne,Deo vniaris. Tu quidem per amorem,caro verò per incorruptionem: & sic cum ipso viues in æternum.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, continua pietate custodi, vt dum nulla eis dominatur iniquitas, nulla quoque nocere possit aduersitas; sed gratiæ tuæ munitæ præsidio, in tuo semper amore lætentur. Amen.

CON-

CONCLVSIO.

HIc siste, anima mea, hîc siste, Sanguine Christi, sponsi tui, redemta. Ecce, iam ad stationem, emensoque mari rubro ad portum, peracto Passionis eius decursu, venisti. Sede paulisper, quiesce, & tecum quæ vidisti, audisti, & sensisti, perpende. Pretium Redemtoris tui triginta denariorum in cordis tui thesaurum absconde, quia pretium sanguinis est, & salutis animarum. Horror eius in horto, peccati horrorem incutiat; & si fortis insurgat tentatio, Angelica te consolatio confortabit. Curre dilecta, sudorem agonizãtis sanguineum collige, ne vel gutta depereat. Gladij fustesque te terreant in die tremenda; & laternæ ac faces quibus abscondita cordium lustrabuntur. Oscule Iudæ memineris, ne vmquam imiteris. O dira manuum iniectionem in agnum mansuetissimum! & quæcumque iam inde ex ordine sunt subsecuta, tibi sigillatim hoc pacto expendenda. Dic ei igitur; Quid commisisti dulcissime Domine? quid in te repertum tantis dignum suppliciis? Quæ tua noxa? quæ tuæ damnationis causa? Ego certè tui sum causa doloris. O plasmator hominum, quid dicam cùm ipse fecerim? O Nate Dei, quò tua descendit humilitas? quò mea ascendit superbia & ingratitudo? Tu factus es obediens vsque ad mortem, & ego factus sum arrogans, & ceruicosus vsque ad nubes. Quid te Domine mansuetius? quid me superbius? Nihil tu Domine tanta amaritudine, tanta indignitate dignum commisisti, & grauiora scelestissimis omnibus supplicia pertulisti. O vincula, flagella corona, crux, claui, lancea, sputa, blasphemię, verbera, & vulnera, mihi in hac hora patrocinamini; & quæ salutis meæ instrumenta fuistis, nunc quoque in mei patrocinium conspi-

conſpirate. Ecce, Domine, ad tuæ bonitatis me pedes abijcio, crucem amplexor, terram ſacro tuo cruore rigatam lingo. Peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac me vnum de mercenariis tuis, vt ſaltem in domo ſim tua, & guſtem panem tuum, & vitam habeam. Da mihi hanc vnicam petitionem Domine, alioqui moriar. Si me exaudieris, viuam; ſaluus ero, & in æternum tecum regnabo: quia tu es Deus ſalus mea, fortitudo mea, redemtio mea, vita mea, & gloria mea.

O felix anima mea, quæ tam ſedulò per totum Dilecti tui hortum fuiſti deducta, in quem tanto cum amoris affectu te inuitarat! Iam itaque noli deinceps (oro) fallacibus huius mundi viretis delicijſque delectari; ſed Dominicæ paſſionis abſynthio myrrhaque ſint tua potiùs cuncta condita; vt tibi, per compaſſionem, veramque paſſionum tuarum mortificationem, Dilecto tuo paſſo aſſimilatæ, myrrha in aromata conuertatur, & cum ipſo vitâ tandem fruaris ſempiternâ. Amen.

SERIES

SERIES TITVLORVM cum suis Distichis.

1. TRIGINTA ARGENTEI.

Qui tribus appendit digitis mare, sidera, terras;
(O animæ pondus!) quàm leue pondus habet!

2. HORROR IN HORTO.

Si tu Christe gemis scelerum sub mole meorum;
Quò scelerum auctorem pondera tanta prement?

3. ANGELICA CONFORTATIO.

Omnia qui fecit, qui continet omnia verbo,
Spectat (& heu cassam!) quâ tibi prosit opem.

4. SVDOR SANGVINEVS.

Arida sanguineos dij bibe corporis imbres;
Et mala purpureis semina verte rosis.

5. GLADII ET FVSTES.

Non te Christe petat, caput hoc magis obruat æquum est,
Ferrea de nostro crimine oborta seges.

6. LATERNÆ ET FACES.

Lucifugi, sol luce sua quærendus; at istas
Prælucet vobis Lucifer ipse faces.

7. OSCVLVM IVDÆ.

Basiolo dum prodis herum, pietatis adulter,
Impia scorpiaco vipera more feris.

8. MANVVM INIECTIO.

Nil ferrum, nil miles agis, nil turba satelles;
Nil nisi te nostri Christe triumphat amor.

9. FVNES ET VINCVLA

Vnde tibi liuent constrictis brachia palmis,
Inde tuus nobis vincula nectat amor.

10. PETRI NEGATIO ET LACRYMÆ.

Petra fluit lacrymis: amor an dolor extudit illas?
Et dolor, & veri vena doloris amor.

11. ALA-

11. ALAPÆ ET COLAPHI.

Quæ mites violare genas, te cædere Christe
Quæ potuit, certè ferrea dextra fuit.

12. CONSPVTATIO.

Quò scelus, ô! etiam cæli sputamus in ora,
Cùm profligatus soluerit ora pudor.

13. FACIEI VELAMEN.

Linea cur texit rutilum nubecula solem?
Fallor? an his oculis temperat acre iubar?

14. ILLVSIONES.

O homo! quæ facies tot fert ludibria, Auerni
Horror, amor terræ, deliciumque poli est.

15. VESTIS ALBA.

Innocuum candore suo quæ lusit in agnum;
O toga, quàm niueo stamine texta fuit!

16. BARABBÆ ELECTIO.

En vbi mors vitæ componitur, orcus olympo:
Nec pudet hîc saltem non potiora sequi?

17. CHRISTI DENVDATIO.

Condere sol, peplóque obnubere luna rubenti:
Sidera qui vestit lumine, veste caret.

18. COLVMNA.

Quæ cæli æternas statuêre solíque columnas,
Ipsa horret vinctas vincta columna manus.

19. FLAGELLA.

Sanguineis corpus dissinderis vndique ramis?
Hósce tibi infelix germinat arbor Adæ.

20. VESTIS PVRPVREA.

Christe, tuus sanguis meliùs te purpurat; isthæc
Est tibi ludibrium purpura, risus honor.

21. CORONA SPINEA.

Spina sub aurato diademate pungit honoris?
Christe, latent spinis aurea serta tuis.

22. ARVNDO.

En etiam specimen sceptri regalis arundo:
I modò arundineâ sis leuitate potens.

23. GENVFLEXIO IRRISORIA.

O ſtupor! hunc fictis ſpecie deludere Regni;
Qui Deus & veris ludit in imperiis!

24. ECCE HOMO.

Ecce hominum formator homo, iam non homo, vermis;
Fax hominum; pereat ne malè vermis homo.

25. LOTIO MANVVM.

Quàm lauet vnda manus, lacrymis priùs ablue mentem:
Sic quoque quem fundis ſit tibi ſanguis aqua.

26. MORTIS SENTENTIA.

Iudicio nè ſuccumbas damnabilis; Inſons
Fertur damnati Iudicis ore Reus.

27. CRVCIS APTATIO.

Quam Chriſto Iudæe paras, innoxia crux eſt:
Impie, quam fabricas crux ſcelerata tua eſt.

28. BAIVLATIO CRVCIS.

Qui nouus hic Atlas, cui cùm leuis orbis, iniquum
Orbis onuſta malis crux ſua pondus habet?

29. SIMON CYRENÆVS.

Túne crucis miſerare ſuæ ſub mole gementem?
Tolle tuam, & Chriſto baiulus alter eris.

30. PLANCTVS MVLIERVM.

Has vobis lacrymas Solymorum impendite Nymphæ;
Quas velut arentes acrior ignis edet.

31. VERONICA, SEV BERENICE.

Hac facie, faciem cordis diſpunge; ſuumque
Mens agitet IESVM, det manus, ora ſonent.

32 GOLGOTHA, SEV CALVARIÆ LOCVS.

Golgotha mons quantùm crucis exaltare tropæo;
Tantùm præ reliquis tollis ad aſtra caput.

33. VINVM MYRRHATVM,
FELLE MIXTVM.

Ipſe tibi edulcans, calicem ſibi miſcet amarum;
Virus ab aurata ne Babylone bibas.

34. MALLEVS.

Mallee per ſæuos adigens pia vulnera clauos;
Eia mihi edurum cor pietate doma.

35. CLAVI.

Figite me clauis; minus hoc; sed fixa potenti
Mens sit amore Deo, fixa timore caro.

36. CRVCIFIXIO.

Fixus Adam nouus est, vetus vt sit liber Adamus;
Hinc nouus vt fixo liber eat vetere.

37. DVO LATRONES.

Dum calet & pretium, & sceleri medicina parata est,
Huc, nisi queîs morbus seruitiumque placet.

38. VESTIMENTORVM DIVISIO.

Matris opus, spolium heu vitæ pignusque peremptæ,
Fors rapit & ferrum mortis in obsequium?

39. TITVLVS CRVCIS.

Hoc titulo, Christi benè dignorabere miles,
Mundus sub sua cùm signa vocandus erit.

40. SEPTEM BLASPHEMIÆ.

Excipis & moriens blasphemæ spicula linguæ:
Omnis nempe mali tunc scopus vnus eras.

41. SEPTEM CHRISTI VERBA.

In Cruce, Dius olor, septem discrimina vocum,
Sanguineis moriens immodulatur aquis.

42. HYSSOPVS, SPONGIA, ACETVM.

Felleus ille calix, & pocula tristis aceti,
Quid, Paradisiacæ fax nisi amara gulæ?

43. SEPTEM SIGNA STVPENDA.

Dum tremit & tellus, & petra dehiscit; homo stat:
Et terrâ & petris est mage brutus homo.

44. LANCEA.

Lancea quæ Martis sueras mortísque ministra,
Amodò quæ facies vulnera, pacis erunt.

45. APERTIO LATERIS.

Quæ mala cumque premant, latus hoc citus occupa, vbi te
Viscеribus pietas nutriet ipsa suis.

46. QVINQVE VVLNERA.

In manibus pedibúsque tuis scripsisse redemtos,
Magnum erat; at maius cordis in ære tui.

47. DE-

47. DEPOSITIO DE CRVCE.

O dolor! ô pietas! Hic Natus, & ipſe peremtus,
Mucro eſt, maternam tranſadigens animam.

48. INVNCTIO CHRISTI.

Gratia ſi fuerat, Dominum condire ſepultum;
Regnantem in membris vngere, maior erit.

49. CHRISTI SEPVLTVRA.

Incidat hoc quamuis generoſum in marmora granum,
Lætius at germen gleba nec vlla dabit.

50. SEPVLCRI CVSTODIA.

Mille Argi aduigilent, ſignent adamante ſepulcrum:
Qui Styga perdomuit, rideat haſce moras.

Lectori S.

Ne pagellæ aliquot vacarẽt, pij & eruditi amici Versus, ad vtriusque huius Libelli argumentum accommodatos, tuo Lector commodo hîc subiungi curauimus. Vale, & fruere.

APOSTROPHE AD CHRISTVM PATIENTEM.

Ecquis tantus amor te Christe exciuit Olympo,
Criminis vt purus crimina nostra luas?
Tu manibus vinctus das terga indigna flagellis;
Atque tuam lacerant aspera flagra cutem.
Flagra cruore rubent; sanguis fluit vndique riuis:
Lubrica purpureo flumine stagnat humus.
Insani alternant tortores verbera, donec
Inueniat nullum plaga iterata locum.
Est virgis lacerata cutis, diuulsaq́; ; nusquam
In toto corpus corpore conspicio.
Purpura conchylis te Regem vestit: at ille est
Non regalis honos; ast inhonorus honos.
Cerno quidem capiti sertum regale, coronam;
Sed quæ vulnificis vepribus hirta riget.
Gestat arundineum tua regia dextera sceptrum;
Sed tortor sceptro tempora sacra ferit.
Corporis exsuperans compago Dædala formam
Humanam, exsanguis lurida membra gerit.

Bella

Bella labella, rosis vernantibus æmula, liuent;
Flammeolosq; oculos mors tenebrosa premit.
Amittuntq; suum decus ora decora decorem;
Augusto exanimis pallor in ore sedet.
Deliciæ Superorum, hominum fastidia fiunt;
Quæq; colunt Superi numina, temnit homo.
Quid te Christe dedit, tantos tolerare labores?
Suppliciúne fuit victor, amantis amor?
Hoc reor: haud etenim superat dolor vllus amorẽ:
Impia nam victor funera vicit amor.
Est, scio, dulcis amor, si nullus amaror amori
Insit; at, acris amor, dum quis amaror inest.
Porrò, tuo est acris commistus amaror amori,
Quando tuâ est potior nostra salute salus.
Vicit amarus amor conserta flagella catenis;
Carnificesq; manus vicit amarus amor.
Vicit amarus amor pungentibus hispida spinis
Serta; trucemq; crucem vicit amarus amor.
Omnia vicit amor: nam factus dulcis amaror,
Cùm fuit illius victus amicus amor.
Me tua flamma tui pellectat vt vrar amore;
Sed glacialis hiems intima cordis habet.
Vt redamem, flagrante tuâ pietate lacessor;
Vt redamem, me adamas; sed mihi cor adamas.
Cor adamante mihi (prô!) durius est; adamantis
Nam domat hircinus semina dura cruor:
Sed mea durities remanet lapidosa, tuusq;
Nec cruor aut ardens pectora mollit amor.
Hanc, rogo, duritiem molli, seruator Iesv:
Algeam amore mei; torrear igne tui.

MARIA, Nauis institoris de longè portans panem. *Prou.* 3

NOxia cùm teneras robigo momordit aristas
Imbre vel immodico iã perit horna seges
Exoritur gemitus, quia defit copia panis;
Pallet & omnis homo, lentaq; fata trahit.
Huc si frugiferâ veniens mercator ab orâ
Nauibus haud modicis horrea tota vehat:
Turba ruit, festoq; rates clamore salutat;
Haud, effusa nimis, gaudia corde capit.
Sat quondam fuerat viridi bona messis in herbâ;
Cuius prima patrum gratia semen erat.
Seuerat altitonans, terræ sator, arte colonâ;
Lætabatq; suis hanc paradisus aquis.
Ah! Domino mentitus ager ieiunia mundo
Intulit; orta fames funera multa dedit.
O vtinam sterilem visat bonus institor orbem;
Esurientem animam pane semel satiem!
Fallor? an extremos hominum miserata labores
Fortunata suas Insula mittit opes?
Exoptata venis Regina tonantis olympi,
Vna modum longis ponere iussa malis.
Tu grauidata Deo diuinâ pneumatis aurâ,
Missa salutiferæ nauis adinstar ades.
Nauis adinstar ades, nostraq; potiris arenâ;
Panis & angelicus, nobile nauis onus.
Expositum terris panem capit hospita Bethlem:
O Bethlem, panis quàm bene dicta domus!
Hinc sua terrigenæ læti ieiunia soluunt;
Delicioq; tuo iam valet æger homo.

APPRO-

APPROBATIO.

IN his duobus libellis, quibus titulus est, PARADISVS SPONSI ET SPONSÆ: in quo MESSIS MYRRHÆ ET AROMATVM, & PANCARPIVM MARIANVM, auctore P. Ioanne Dauid Societatis IESV Sacerdote, nihil deprehendi, nisi quod pietati & charitati fouendæ & inflammandæ conducat. Ita testor

Martinus Baccius Tiletanus S. Theologiæ Licentiatus, & Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Iprensis ad librorum visitationem commissus.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, Diplomate ſuo ſanxerunt; nequis libellos, quibus titulus eſt, PARADISVS SPONSI ET SPONSÆ: in quo MESSIS MYRRHÆ ET AROMATVM, & PANCARPIVM MARIANVM, auctore *P. Ioanne Dauid, Societatis* IESV *Sacerdote*, præter Balthaſaris & Ioannis Moretorum fratrum voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaleſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Ianuarij, M. DC. XI.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buſchere.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD BALTHASAREM ET IOANNEM
MORETOS FRATRES.
M. DC. XVII.

PANCARPIVM MARIANVM,

Septemplici Titulorum serie distinctum:

vt in B. VIRGINIS odorem curramus, et CHRISTVS formetur in nobis.

Auctore P. IOANNE DAVID,
Societatis IESV
Sacerdote.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem et Ioannem
Moretos fratres.
M. DC. XVIII.

Sereniſſimæ

ISABELLAE

CLARÆ EVGENIÆ

INFANTI

HISPANIARVM

Belgicæ Principi.

HVNC SPONSI SPONSAEQVE PARADISVM, quantus quantus eſt, tuo quidem nomini SERENISSIMA PRINCEPS, cariſſimiqúe coniugis tui, coniunctim & in ſolidum, L. M. dicatum volui. Verùm, quia quorumdam fortaſſis arbitrio, pars iſta ſeparatim ab altera compingetur diſtraheturqúe; viſum fuit (ne hæc ſeparata procedens, ſuo patrocinio deſtituta credatur) hîc quoque teſtatum facere, quòd, vt prior illa, MESSIS MYRRHAE ET AROMATVM,

Sereniſſimo coniugi tuo eſt peculiaris; ſic iſta poſterior tibi cedat, MARIANVM PANCARPIVM. In quo, ſi tua SER^TAS ſurculo ſeu floſculo quolibet defringendo, vindicias capiet; primùm, exiguis hiſce areolis mirum quantum adſpirarit honoris & gratiæ; tum, ne quid liuidus hîc carpat vnguis, ad ipſam PANCARPII frontem, pro votis inuictam nominis ſui tutelam ſuſpenderit.

Joannes Dauid.

Ad eamdem Epigramma.

ROſcidulos dum libat apis populeïa flores,
Dulcia de lacrymis ſugere mella poteſt.
In MARIÆ PANCARPINEIS *ſi ſaltibus errans,*
Virgineos flores, & melimela leges;
Quas non delicias, quos non ſpirabis odores?
Immò, eris ætherei nectaris ipſa fauus.

PRÆ-

PRÆFATIO.

IBELLVS hic, vti geminus est illi quem PARADISVM SPONSI ET SPONSÆ inscripsi; ita eum respicit, re & tractatione coniunctus. Ac Apostolus quidem Paulus hac vna sententia ad vtriusque scopum collineasse, & attigisse mihi visus est: Ideò pro omnibus Christus mortuus est; vt, 2. Cor. 5.
qui viuunt, iam non sibi viuant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Vt enim in Passionis Dominicæ INSTRVMENTIS explicandis id nobis propositum fuit, vt Christo per veram affectuum mortificationem commoreremur; ita modò hoc agimus, vt rediuiui iam non nobis sed ipsi viuamus, qui pro nobis mortuus est. In eam rem celebriores Beatæ Mariæ Virginis titulos expendemus, vt ipsam (quà fas est) cùm in matris officio, tum vitæ exemplo imitemur, donec formetur in nobis Christus. Vtrumque hoc munus in titulis ipsius ita adumbratum videbimus, vt quidam eorum id potissimùm officij nobis luculenter exhibeant, quo spirituales Christi matres in nobismetipsis esse debemus; alij verò absolutissimum VITÆ CHRISTI exemplar, in eius Matre nobis proponant. De quibus, quia in sequente PRÆAMBVLO fusiùs, hîc plura non disseram. Hæc modò de summa huius Libelli (qui nouæ vitæ in Christo degendæ normam proponit) quo clarior

fiat, adiiciam: præterquam quòd Deiparæ Virginis exemplo hîc Christum in nobis sumus parituri, & in adultam vsque ętatem educaturi; Christi quoque veros imitatores nos fore, si Matris eius boni æmulatores fuerimus. In quâ, cui dubium esse possit, quin perfectissimum suæ voluptatis suarumque virtutum & actionum exemplar expresserit? vt de ea meritò illud
Exo. 25 vsurpare liceat: Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et verò, si beatus Apostolus de se confidenter dixit, coram Domino, in cuius conspectu sem-
1. Cor. 11. per stabat; Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, potiori sanè ratione in B. Virginem Deique Matrem hoc cadere oportet, Imitatores Mariæ estote, & imitatores eritis Christi.
Phil. 3. Ita igitur ambulemus, sicut habemus formam eius; & ne latum vnguem à Christi vestigijs ad sequelam præfixis deflectemus.

PRÆ-

PRÆAMBVLVM,

Tripartitam præsenti Libello præferens facem.

Fax prima Præambuli.

QVEMADMODVM *opus vniuscuiusque, qualecumque illud sit tandem, fœtus illius optimè nuncupari solet : ita labor ille atque conatus, quo opus illud producitur, partus seu parturitio appellatur; atque eius auctor, patrator & parens meritò dici consueuit. Hinc, non tantùm boni bonis maliq; malis arboribus, bonos malósve fructus proferentibus, comparantur; verumetiam, cum ipsis parentibus parientibusq; mulieribus conferuntur.* Matth. 7.

Ad malos siquidem dolendúmque ipsorum partum pertinet, quod dicit Apostolus; Concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum : peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem. Iac. 1. *Ad bonos autem, laborémque quem virtutibus producendis, vt fœtui enitendo, impendunt, illud spectat, quod ipse Dominus hac pariendi metaphora dignatus est illustrare; nósque omnes in suis Apostolis, ad bonæ vitæ veluti partus labores & dolores alacriter obeundos, animare; dum sic eos alloquitur : Contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium. In mundo pressuram habebitis; sed confidite. Mulier, cùm parit, tristitiam* Ioã. 16.

habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

Quandocumque igitur quispiam, siue ex auditu verbi diuini, siue sacra piáque lectione, alióve modo gratiâ Dei inspirante, bonæ vitæ vel virtutis alicuius patrandæ propositum facit; meritò illum, & quidem de Spiritu sancto, concepisse fatebimur. Dúmque secum de optima in actum deducendi ratione recogitat, iámque variis illum in diuersa rapientibus desideriis, piisq; votis incessitur, conatúmque omnem ad id opere præstandum quod conceperat, adhibet; rectè eumdem & gestare vterum, & more prægnantium variis vrgeri appetitibus, & parturientis dolores ac labores sustinere, profitemur.

Deinde, sicuti quædam mulieres concipiunt quidem, sed non pariunt; vel quia abortum faciunt, vel quia modo alio, quod conceptum erat, euanescit; ita mira quidam, instar montis parturientis, quandoque animo voluunt, veréque parturire dicas; sed nihil vmquam, vel parum admodum, in opus deducunt. Sunt hi in primis, auditores verbi & non factores; quíque illud pro-
Isa.26. pheticum dicere possunt: Concepimus, & quasi parturiuimus; & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra. Quia scilicet inanem in ventum & fumum vniuersi boni conceptus abierunt, & euanuerunt.

Vt verò faciles quædam sunt, ad pariendum, quædam è contrà difficiles: ita valdè agiles promtiq; sunt aliqui, ad vitam probam capessendam; quidam verò tardi admodum, & non nisi cum

magno

magno labore enitentes. Prioribus illis hoc aptari potest quod dicit Isaias, Sionis siue Ecclesiæ fœcunditatem promtámque verbi Dei proseminationem hoc modo loquendi præfigurans; Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vmquam tale? & quis vidit huic simile? Illis verò, qui, siue ad corporalem siue ad spiritalem partum difficiliores sunt, illud non malè quadret, quod de matre Iabes legitur: Mater eius vocauit nomen illius Iabes; dicens: Quia peperi eum in dolore. Isa. 66. 1. Par. 5.

Sterilibus autem, &, qui quidquid audiunt, vident, legunt; quidquid Deus, quò ad meliorem frugem adducantur, excogitat; æquè semper aridi, infœcundi, & à fœtu vitæ probioris manent immunes; hoc non immeritò occinatur, quod apud citatum iam suprà Prophetam audire est: Erubesce Sidon, ait mare, fortitudo maris, dicens: Non parturiui, & non peperi; & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines. Isa. 23.

Interim, in malis concipiendis pariendisq; sunt fœcundissimi: vt illud Ecclesiastici in ipsis locum habeat: A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis. Vt qui nimirum audito verbo minùs suaui, minúsve decenti, continere se nequeunt, quin erumpant in malum. Quibus è conuerso consilium ibidem dat huiusmodi Sapiens: Audisti verbum? &c. commoriatur in te: fidens, quoniam non te dirumpet. At primario nostro scopo viciniores accedamus. Eccli. 19.

NVnc animaduertendum, nos non simpliciter tantùm, iuxta demonstratum variis Scripturis modum, vitæ in melius productæ matres meritò appellari, verumetiam matres Christi, ac quasi spirituales, vt sic dicam, Marias. Quia, dum nos ipsos ad Christi imitationem, iuxta nominis etymon, effingimus, siue simile erga alios studium adhibemus; Christum parturimus, parimus, educamus. Nam, quemadmodum in Baptismate Christum induimus, & per adoptionem filij Dei Christique fratres facti sumus; ita per vitæ quoque & conuersationis verè Christianæ sanctitatem, idem nouo modo perficimus.

Huc spectat D. Pauli dictum, factúmque: qui secundarium hunc post Fontis regenerationem partum in se explicabat; Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. Iam per Baptismum illos semel, per Ecclesiæ matris vterum, Christo pepererat, magno eos studio ad Christum conuertens efficiensq; Christianos; vt & de Corinthiis dicit: In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui, sed, quia per prauum quorumdam conatum à recto abducti fuerant, iterùm instar parturientis satagebat, illos per meliorem vitam maioremq; in fide stabilitatem, ad debitam veri Christiani normam adducere, & denuò quasi ipsorum fieri mater.

Gal. 4.

1. Cor. 4.

Dumq; pium hoc studium erga se ipsum quispiam impendit, vt per adoptionem in Baptismo factus Dei filius & Christi frater, per condignam quoque fiat conuersationem, & ipse tum quasi alter Christus est, & suiipsius quasi Mater, altera Maria.

Adeó-

Adeóque iam de tali vox illa Dei Patris prolata posſit æſtimari: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Aequè, inquam, ſupra Chriſtianum hominem Chriſtum moribus & vitâ referentem, atque priùs ſupra eumdem in ſacro Fonte Chriſtum induentem. Dicit namque Apoſtolus, non ſolùm quòd in Baptiſmo vita noſtra prior abſcondita ſit cum Chriſto in Deo, & quòd quicumque in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus, atque ita iam per aquam & ſpiritum renati Chriſtum repræſentemus; verumetiam hortatur ad vitæ ſanctitatem. Vt vita, inquit, Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris; adeóque addit; in carne noſtra mortali. Ac ſi dicat, quemadmodum per adoptionem in Baptiſmate filij Dei ſumus effecti; ita & ſimus in exteriori conuerſatione vitæq; ſanctitate. Matth. 3. Col. 3. 2. Cor. 4.

Quòd autem, dum iſtud adnitimur, Chriſtum in nobis è nobis efformamus, matreſq; Chriſti ſpiritaleſq; quodammodò Mariæ efficiamur, ex claris ipſiuſmet verbis manifeſtum eſt, quibus ſic ait: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Vtq; alius Euangeliſta habet: Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Sícque oſtendens diſcipulos ſuos, dicebat; Ecce mater mea, & fratres mei. Dum ſiquidem Chriſtianè viuunt, quaſi alij Chriſti ſunt, fratreſq; eius: dúmque ſe ipſi tales pio nixu efficiunt, ſui ipſorum (vt dixi) quodammodò matres fiunt: vt vnus idemq; bonus Chriſtianus, voluntatem Patris faciens, & ad Chriſti imitationem ſe conformans, & frater & mater Chriſti poſſit appellari. Matth. 12. Luc. 8.

Cùm verò ſtudium hoc nobis ſemper cordi de-

beat

beat esse; quamdiu in hoc mortali corpore degimus; semperq; de nouo Christi in nobis partu, per sancti propositi conceptusq; boni effectum, sit cogitandum; meritò etiam (quæ prægnantium cura esse consueuit) nos prouida sollicitudo prudentes vigilantésque efficiat. Quemadmodum igitur illæ, partum vicinum præstolantes, de omnibus sibi prospiciunt, cunctásque res præparant, quæ ad puerperium, & quæ posteà ad felicem prolis educationem sunt necessariæ; ita nobis quoque faciendum.

Hæc sollicitudo, rerúmque ad vitæ sanctæ partum necessariarum procuratio, in Manue Samsonis patre sollicito, nobis pulchrè admodum adumbratur. Postquam enim ille ex sua vxore cognouerat, diuinitus sibi nuntiatum, nasciturum ex ipsis filium, sic Dominum magno animi æstuantis affectu deprecatus est: Obsecro Domine, vt vir Dei, quem misisti, veniat iterùm, (Angelus scilicet qui vxori apparuerat) & doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. Quid nempe circa ipsum, à primo eius ortu, & deinceps in educatione, nobis sit ex mente Domini obseruandum: & quomodo ipsemet puer se gerere debeat, in quo ipsum à teneris assuefaciamus. Idq; est quod dicit Manue Angelo sibi quoq; iam apparenti: Quando sermo tuus fuerit impletus, quid vis vt faciat puer, aut à quo se obseruare debebit? Angelus ei respondit quidem, sed illum ad ea quæ priùs vxori eius dixerat, remisit: Ab omnibus, inquit, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se. Ita nos meritò ad Deiparam virginem Mariam, veri nostri Samsonis matrem, velut ab Angelo quodam diuinitus missos existimare possumus: vt quæ exactissimè, ab eodem priùs

Iudic. 13.

priùs edocta, non solùm intellexerit omnia, quæ ad beatum optatæ prolis partum & educationem pertinent; verumetiam, tam in corporali filij sui Iesu Christi partu, quàm in eiusdem spiritali progenitura perfectissimum nobis in se exemplar præstiterit. Tam enim ipsa spiritalis fuit Christi mater; (quales & Apostolos omnésque verbi factores Christus appellauit, qualésque nos esse voluit) vt nulla ratione futura fuerit mater corpore, nisi priùs fuisset & mente, & vitæ sanctimonia, cum Dei voluntate congruente.

Fax Præambuli tertia.

CVm eam igitur modò teneamus, quæ & vera naturalisq; Christi Mater fuit, & spiritalis Genitricis (quales esse desideramus) absolutissimum in se nobis præbet prototypon; ad ipsam, vt ad Samsonis matrem recurramus, audituri quomodo nos in spiritali hac partione geramus; & quid facere debeamus de puero qui nasciturus est: quomodo nos intus & exteriùs componamus, donec in nobis formetur Christus. Ab hac siquidem & fœcundum à Spiritu sancto conceptum, tranquillam vteri gestationem, felicem partum, atque optatissimam spiritalis Iesu veriq; Christiani educationem ac perfectionem addiscemus. Síque eam in his omnibus eiúsque fructum imitati fuerimus; nihil erit quod in nobis possit ad hominis Christiani formam desiderari; poterítque de nobis dici, quod à Christo de suis suprà dictum audiuimus; Ecce mater mea, & fratres mei. Iudic. 13. Matth. 12.

Vt

Vt autem ſuauis ac percommoda ad tantam felicitatem dignitatémque ineatur ratio; titulos à S. Scriptura per Eccleſiam Diuæ Virgini Mariæ piè attributos, per modum piarum meditationum ſeu potiùs ſoliloquiorum tractandos ſuſcepi: quibus & Dei in primis gloria, & glorioſiſſimæ Virginis ac Matris Mariæ dignitas, & quidquid demum noſtri muneris eſt, vt ſpiritales Chriſti matres efficiamur, pro noſtra tenuitate elucidabitur.

Tituli porrò iſti (ceu præclara quædam Dei Matris elogia) ex innumeris aliis, vt propoſito noſtro ſeruientes, electi, quinquaginta ſunt numero: quos ita per ſeptem Septenarios partitus ſum, vt ſeptimus ſeptem quidem contineat titulos, ſed in ſacri Septenarij conſummationem vnum adiecerim, qui efficiat Octonarium. Ille ſiquidem propriè beatorum eſt numerus; qui ſui maieſtate omnia in ſe complectitur ac perficit; conſummátque optatam tantopere cæleſtis Iubilei Quinquageſimam. Sic namque & D. Auguſtinus myſticatur: Septenario, inquit, numero ſepties multiplicato, quo fiunt quadraginta nouem, octauus additur; vt quinquaginta complcantur.

Aug. li. 1. de ſer. D. in monte.

In diſtributione verò titulorum iſtorum honorabilium hic ordo ſeruabitur; vt, iúxta humanæ vitæ decurſum, à primo conceptu ſpiritalis noſtri hominis (quem vt ſpiritales Mariæ parere optamus) eiúſque ortu exordiamur; & ita, per media ordinata, ad perfectionem, vltimúmque ipſius finem deducamus. Hæc autem omnia, per ſacratiſſimam Virginem, verámque Dei ac Redemtoris noſtri Matrem, non ſolùm inſtructi addiſcemus; verumetiam ſingulari eius ope adiuti conſequemur:

titulis

tulis hisce illustrissimis ac diuinis non modò fa-
em præferentibus, sed & corda nostra sancto ca-
ore inflammantibus.

Tantæ igitur Matris ac Patronæ confisi suffra-
iis, ad Dei gloriam, sanctum hoc puerperium ag-
rediamur, quod piè præsumimus: vt ad beatissi-
næ Genitricis huius normam nos conformantes,
am diuinæ sobolis per sanctam vitam matres effi-
iamur; quo partu, & diuinæ de nobis expectationi
espondeamus, ipsámque Dei matrem magis magís-
ue glorificemus (vt quæ tot tantísque præsidijs
obis quasi futura sit obstetrix) & certam ipsi nobis
alutem pariamus, Christi facti imitatores.

Quantum siquidem talibus tantísque suppetijs
atrociniísque miseriæ nostræ necessitas indiget;
antum & amplius meretur dignissima Patronæ
ostræ beatitudo. Quòd ita futurum, de se ipsa
tametsi humillima) prophetauit; dum magnificæ
Dei exaltationis quasi fluctibus absorpta, suam
uoque laudem (vt ad maiorem Dei gloriam per-
inentem) intexuit, dicens; Ecce enim ex hoc bea- Luc. 1.
am me dicent omnes generationes. Nósque ad id
nuitans, Transite, inquit, ad me omnes qui con- Eccli.
upiscitis me; & à generationibus meis im- 24.
plemini.

TITV-

TITVLORVM quinquaginta partiti prout in præsenti Tractatu sunt digesti.

NATALITII VII.

1. Sancta Maria. Luc. 1
2. S. Dei genitrix. Luc. 2
3. S. Virgo virginum. Isa 7
4. Mater viuentium. Gen. 3
5. Mater pulchræ dilectionis. Eccli. 24
6. Mater sanctæ Spei. Eccli. 24
7. Mater honorificata. Eccli. 15

NVTRITII VII.

8. Lignum vitæ. Gen. 2
9. Vena vitæ. Prou. 10
10. Nauis institoris de longè portans panem. Prou. 31
11. Fauus distillans. Cant. 4
12. Fons signatus. Cant. 4
13. Puteus aquarum viuentium. Cant. 4
14. Torrens mellis & butyri. Iob 20

ORNANTES VII.

15. Domus Sapientiæ. Prou. 9
16. Speculum sine macula. Sap. 7
17. Thronus Salomonis. 3 Reg. 10
18. Mulier amicta sole. Apoc. 12
19. Pulchra vt Luna. Cant. 6
20. Electa vt Sol. Cant. 6
21. Honorificentia populi nostri. Iudith 15

TVTELARES VII.

22. Virga Moysis. Exod. 4
23. Ciuitas refugij. Num. 35
24. Vrbs fortitudinis. Isa. 26
25. Clypeus omnibus in te sperantibus. Prou. 30
26. Turris eburnea. Cant. 7
27. Turris Dauidica. Cant. 4
28. Castrorum acies ordinata. Cant. 6

ALLICIENTES VI

29. Paradisus voluptatis. Gen. 2
30. Desiderium collium æternor Gen. 49
31. Lilium inter spinas. Cant. 2
32. Rubus ardens incombustus. Exod. 3
33. Hortus conclusus. Cant. 4
34. Tabernaculum Dei cum ho nibus. Apoc. 21
35. Thalamus sponsi. Psal. 18.

CORROBORANTES VII.

36. Tabernaculum fœderis. Exod. 25
37. Altare thymiamatis. Exod. 3
38. Virga Iesse. Isa. 11
39. Vellus Gedeonis. Iudic. 6
40. Stella matutina. Eccli. 50
41. Aurora consurgens. Cant. 6
42. Lapis adiutorij. 1. Reg. 2

RAPIENTES VIII.

43. Sanctuarium Dei. Exod. 25
44. Arca testamenti. Exod. 25
45. Propitiatorium Altissimi. Exod. 25
46. Scala Iacob. Genes 28
47. Porta cæli. Gen. 28
48. Gloria Ierusalem. Iudith 16
49. Solium gloriæ Dei. Ier. 14
50. Regina cæli. Psal. 44

PANCA

PANCARPIVM MARIANVM,

Septemplici Titulorum serie distinctum:

Auctore P. IOANNE DAVID,
Societatis IESV Sacerdote.

IN VII. TITVLOS NATALITIOS ARGVMENTVM.

SEPTEM *istos primos Deiparæ Virginis titulos appellare* NATALITIOS *lubuit, quòd ad ortum munusq́z maternum, certa consideratione referrentur. Sancta Maria haud dubiè mater est nostra spiritualis, per quam, vitam in Eua prima omnium matre deperditam recuperamus. Id tituli septem proximè sequentes illustrant, nosq́z mirificè ad gratiarum actionem incendunt, pro tam clari generis obtento splendore: docentq́z nos insuper, quo pacto in nobis Matris Christi spiritualis munia dignè adornemus. Quia, vt dicit Augustinus, Nobilitas fuit Christi nascentis, in Virginitate parientis: nobilitas verò parientis, in Diuinitate nascentis. Ita & nos nostri intuitu dicere possumus, & gratantes profiteri: Nostri ortus diuini nobilitas, in Christi diuinitate, cuius* Aug. super Ioã.

filij & fratres efficimur; & in Virginis Mariæ dignitate, cuius in hoc mystico partu vices obimus; vt spirituales ea ratione Christi matres efficiamur, possimusq; verè spiritualis Mariæ titulo insigniri.

Ambr. li. 3. de Virg. *Rectè huic nostro proposito consentit Ambrosius, qui Christum inducit, Mariam Magdalenam compellantem, quando illum iuxta monumentum hortulanum existimabat; sicq; habet: Tunc ait illi Dominus; Maria; respice ad me. Quando non credit, mulier est; quando conuerti incipit, Maria vocatur; hoc est, nomen eius accipit quæ parturit Christum. Est enim anima, quæ spiritualiter parit Christum. Ita mellifluus ille doctor Ecclesiæ.*

Agedum igitur, atque in exemplar, quod nobis

Exo. 25 *in summæ perfectionis monte monstratum est, acies oculorum intendentes, qua decet puritate, modestia, & cordis effectu, sacrosanctam hanc Virginem matrémque verè singularem alloquamur. Atque suauissimo hoc cum ipsa colloquio, veluti puro molliq; prælo, totum id conemur elicere, quod & in ipsa nobis est imitandum, & per eius preces ac merita impetrandum.*

1. SANCTA MARIA.

Virgo, tuum pronâ quæ concipis aure parentem,
Imprægnet nati me precor aura tui.

Maria, suyuer maeght, tot deught staet myn ver-langhen;
Helpt my, dat ick be-daegh̃t, van Gode mach ont fanghen.

Marie, le vray fruict de la vertu m'enflame:
Fais que du Sainct Esprit enceincte soit mon ame.

1. SANCTA MARIA.

Virgo tuum pronâ quæ concipis aure parentem;
Imprægnet nati me precor aura tui.

A ANCTA MARIA, ſingulare ad te confugientium præſidium & ſolamen; ne deſpicias, obſecro, in meis neceſſitatibus ad te ſuppliciter clamantem. Audio, conqueritur de me Rex regum & Dominus dominorum, ſuper confuſione ſterilitatis meæ; immò ob id magnæ me quoque ingratitudinis inſimulat. Nunc ergo veni; accipiam oro conſilium & auxilium à te; & ſalua animam meam. Ingrediar ad regem, ponamque animam meam in manibus meis, & pro gratia deprecabor: me autem cum ipſo loquente, accede benigna & miſericors; aſſiſte humiliter ſupplicanti, & comple ſermones meos. 3. Reg. 1.

DOMINE, omni potentatui dominans, ac beniguiſſime ſupplicũ exauditor; audio te iamdudum de me ſeruulo tuo inutili lamentantem, quin & ſummo iure mecum expoſtulantem, ſuper ſterilitate & ingratitudine mea incomparabili. Dicis ſiquidem, & meritò: Retribuebant mihi mala pro bonis: Sterilitatem animæ meæ. Agnoſco, Domine Ieſu, infœcunditatem meam, neque dignus ſum qui terram occupem. Sed tu Domine adiuua me, potens es enim. Ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Vſquequò clamabo ad te, & non exaudies? Vt quid me feciſti virum dolorum & deſideriorum, & non mittis angelum tuum ad me, qui confortet cor meum, & intelligere faciat myſterium Pſ. 34.
B verbi tui? Non ceſſat intereà ſerpens ille veternoſus in aures meas inſibilare, & in animam meam viru-

lentum illud ſterilitatis inſtillare conſilium, quo velut alteram Euam decipiat, & pro viuentium matre, peccatum eam concipere faciat, & fœtum parere, qui conſummatus generet mortem. Clama itaque, anima mea, in iſta tua neceſſitate, qua vim pateris: clama, inquam, & dic Domino tuo, dilecto tuo, ſponſo tuo;
Gen.30 dic: Domine, vim patior, reſponde pro me, Da mihi liberos; alioquin moriar. Neque eſt, quòd iraſcaris, Domine; quia Deus meus es tu, cuius ope etiam ſterilis peperit plurimos. At indignus ſum, qui auditui
Iſa.8. meo des gaudium. Scio quid faciam. Acceſſit Prophetа tuus ad Prophetiſſam, reginam Prophetarum; & concepit & peperit filium: & non alium niſi te; quoniam ita placitum fuit ante te, & non niſi propter me: accedam igitur ego quoque ad eam, ſi forſan eius interuentu concipiam.

SANCTA MARIA, Virgo caſtiſſima, Prophetiſſa mirabilis, & Dei mater, ad te ſupplex conuerto, tuam hîc opem imploro, vt tandem auferatur opprobrium ſterilitatis animæ meæ. Sonet vox tua in auri-
Luc.1. bus meis; quæ cùm ſalutabas Eliſabeth exultare fecit infantem in vtero. Quis ſcit, ſi fortè & animæ meæ tunc vox iſta cælitùs inſonet: Beata quæ credidiſti; quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino? Scio; quamplurima mihi quidem à Domino dicta confiteor, ſed an debitam dictis fidem adhibuerim, ignoro. Adiuua, pia Virgo, meam incredulitatem; vt, verbo diuino in aures cordis aliquando fructuoſiùs influente, de Spiritu ſancto concipiam. Audio, Domina; loqueris etenim pro me ad Dominũ meum
1.Re.2 Regem, filium tuum. Obſecro, mi Domine; Ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te, & pro puero iſto oraui. Da mihi, fili mi, petitionem meam, quia poſtulaui pro eo; & erit commodatus tibi, cunctis diebus vitæ ſuæ. Ero, te donante, Domine: ſi inuenero gratiam in oculis tuis.

Faceſſat

Faceſat interim omnis maligni ſpiritus inſuffla-
tio, totus mundus cum creatis omnibus obmuteſcat,
ſileatque vniuerſa tumultuantium affectuum turba;
vt audiam quid loquatur in me Dominus Deus: Lo- *Pſ. 84.*
quere Domine, quia audit ſeruus tuus. Feſtina, con-
uertere in temetipſam, anima mea: citò introrſum te
recipe; videor ſiquidem audire dilectum ex millibus,
oſtium cordis noſtri pulſantem. Feſtina, aperi illi,
intromitte in ſecretum cubilis tui; ſi fortè in hac die
bona benè faciat tibi, & oſtendat tibi rem.

C Curre interim tu Iacob Patriarcha ſanctiſſime, *Gen. 30*
diſpone canales euangelicos, tuis illis olim præſigna-
tos; virgaſque impone populeas, mira virtutum va-
rietate diſtinctas; in diuino Saluatoris conceptu, eiuſ-
que illibata Matre præ ceteris obſeruandas. Ego tan-
tiſper omnibus exteriorum ſenſuum meorum portis
occluſis, tota contemplationis efficaciâ introrſum
reductâ, mentis aciem in canales aquarum, tot cæle-
ſtium donorum myſterijs variegatos, conuertam;
vt (ſicut olim oues tuæ) in eorum contemplatione
concipiam.

D Benè habet; te contemplor, Virgo diuina, ſalutatam *Luc. 1.*
ab angelo, prudentem, attentam, circumſpectam, Deo
plenam; ipſumque conſidero ſalutantem, ſuperef-
fluentem gratiam gratiâ plenæ promittentem; dicta,
promiſſa, factaque perpendo penitiùs; & cordis
mei intima repleri percipio neſcio quâ cæleſti dul-
cedine.

O rem diuini fauoris pleniſſimam! Vnde hoc mihi,
vt & Dominus meus veniat ad me? Ecce; Acceſſi ad
prophetiſſam, & concepi. O mater fœcunda, mater *Eccli.*
pulchræ dilectionis & ſanctæ ſpei! Vnde hoc mihi, *24.*
vt me indignum vermiculum tanto dignetur benefi-
cio, qui tibi obumbrans concipere te fecit de Spiritu
ſancto? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ *Pſ. 102.*
intra me ſunt nomini ſancto eius: quia repleuit in

bonis desiderium tuum : renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Gratias tibi ago, benignissime Domine, quod in corde meo tam salutari me non es dedignatus alloquio per quod anima mea tibi viuet, & semen meum seruiet tibi. Verè verba vitæ æternæ habes;& spiritus tuus est, qui viuificat. Sic sic annuntiabitur Domino generatio ventura. Iam enim non modò bonum benè velle concessisti, sed & spem certam perficiendi largitus es. Congratulamini mihi,omnes qui diligitis me. Magnifica, ô anima mea, Dominum, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo. Os cordis mei aperui, & attraxi spiritum, & concepi. Fecit mihi magna, qui potens est ; esurientem impleuit bonis.

Abesto lamentum sterilis illius, olim à Deo fœcundatæ; quæ, quòd colliderentur in vtero eius par-
Gen.25 uuli, gemebunda clamabat: Si sic mihi futurum erat; quid necesse fuit concipere? Non ita ego, Domine; sed aliam planè è conuerso tibi canto cantionem:
Rom.7. dico equidem ; Quia sentiebam in membris meis aliam legem, repugnantem legi mentis meæ ; ideò per omnem modum mihi necesse fuit concipere. Vt per hoc quod de te nascetur in me sanctum, superetur
Luc.11 quodcumque à malo est ; fortiorque superueniens fortem eijciat subiugétve, licet armatum ; ac maior præsumente superbia, seruiat humilitatis prerogatiuâ minori: sicque omnes affectuum, sensuum, motuumque meorum tribus seruiant tibi.

Abi tu quoque procul, Agar;neque mihi tam exe-
Gen.16 crando tuo exemplo ponas offendiculum ; quæ concepisse te videns, despexisti Dominam tuam. Ego tibi, beatissima Virgo, Domina mea, patrona singularis, quò mihi plus gratiæ à filio tuo Domino meo impetraris, eò fidelius tibi semper obsequium spondeo, maioremque ex animo gratiarum actionem.

Con-

Congratulamini, iterùm dico, congratulamini mihi, vicini omnes & amici; quoniam hodie ſalus huic domui facta eſt. Adiuro vos, omnes Dei creaturæ, vt eius munificentiam vno mecum ore laudetis: & pro eo quod dixit olim quidam in ſpiritu loquens: Pereat nox, in qua dictum eſt; Conceptus eſt homo: dicamus omnes; Felix in æuum viuat hic dies, in quo dici potuit; Conceptus eſt Spiritus; conceptum de Spiritu ſancto vitæ melioris propoſitum. *Iob 3.*

Equidem exultans, vocemque exaltans de turba ſtrepentium contrà cogitationum, clamo, dicens: Ecce, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi: quâ me duxit in cellam vinariam feruentiſſimæ ſuæ dilectionis; & ibi ordinauit in me charitatem. Reſtat nunc vt tuo, Virgo ſancta, patrocinio conceptum fœtum geſtem prouidè, atque ad felicem inde partum diſponam: & tum me nemo deſpiciat. Id autem ſancti tui nominis contemplatione futurum confido. *Pſ. 76.*

SANCTA MARIA! O cæleſte præconium! ô ſancti nominis & elogij maieſtatem! Magna profectò Sanctitatis æſtimatio: ſed procul & de vltimis finibus pretium eius. SANCTA! Heu quàm vaſtum chaos magnumque interuallum inter hanc ſanctitatem & nos, ô anima mea? Verumtamen eam vel à longè ſalutemus, atque aliquam ſaltem cum eâ gratiam inire ſtudeamus: non enim fruſtrà ſcriptum lego; Cum ſancto ſanctus eris. *Pro. 31* *Pſ. 17.*

Tu quidem ſolus, omnipotens Domine, natura tua ſanctus es, & ſanctificans quidquid præter te ſanctitatis nomine decoratur: at beatiſſima hæc Domina noſtra, vnigeniti tui Filij genitrix MARIA, ſingulari diuinæ tuæ gratiæ dono, ſancta & ſanctificata præ omnibus creaturis agnoſcitur, & eſt multis modis.

Sanctificata es, ô Virgo singularis, (quod non tibi sed mihi gratulando commemoro) in primis in æterna illa Dei prædestinatione : deinde in sacratissima tua conceptione ; ita vt anima tua, cùm primùm corpori infunderetur, omni labis contagione libera fuerit, & ab originali peccato specialiter præseruata. Sanctitatis iterùm eximiæ fulgore dotata es, in admiranda diuini Verbi incarnatione ; quando Filium Dei priùs mente conceptum, corpore quoque virgineo concepisti. Et postremò quando è terris in cælum sublata, redundantem sanctitatis & glorificationis tuæ cumulum, præmiumque immensum adepta es.

Quid porrò tu interim, ô anima mea ? Num verè etiam agnoscis, quid quantumque sanctitatis à Conditore tuo, omnium gratiarum largitore, atque vniuersæ sanctitatis fonte acceperis ; quidve tibi adhuc desit ad cumulum? fortè in ignorantiæ tenebris, & ita in profundo ingratitudinis, atque proinde in cœno vitiorum volutaris. Dumque audire deberes ; *Apoc. 22.* Qui sanctus est, sanctificetur adhuc : fortè penitiùs in aures tuas insonet ; Qui sordidus est, sordescat adhuc.

Surge igitur, surge, excutere de puluere, gratantique animo, quibus sanctitatis titulis à sponso tuo ornata vmquam fueris, tecum expende ; quidve adhuc in te desideretur obserua : vt habenti detur ; & ne non vtenti (vt non habenti) id quod habet à te auferatur.

Sanctificata es in primis, dum ex æterni reatus statu, & ex peccati seruitute ac inquinamentis, sanguine Christi quasi agni immaculati abluta, fuisti liberata : sicut & Ecclesia, velut grex tonsarum ascendentium *Can. 4.* de lauacto, sanctificata censetur. Sanctificata es in- *Rom. 15* super (ô anima ! ne nescias) quotiescumque aliud à *Eph. 5.* baptismo Sacramentum dignè suscepisti ; vel speciali

ciali aliqua à Deo tuo gratia & benedictione fuisti colluſtrata.

Eia igitur, quin & vitæ ſanctæ titulo meritò condecoraris? quid torpes? quid abiectæ conuerſationis pauimento adhæres, anima mea? Audin' clamantem Apoſtolum, tubâ cælo datâ tonantem? Hæc eſt voluntas Dei; ſanctificatio veſtra. Præconis vocé non moueris? Domini ipſius commonitionem vide ne negligas: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Simus, anima mea, ſancti; Deo per omnia placentes; congregantes cor noſtrum in ſanctitate eius. Ad hoc enim vocauit nos, in partem ſortis Sanctorum, in lumine.

1. Theſ. 4.

Leu. 11

Colo. 1.

Heu inexplicabilem peccati fœditatem! Non immeritò tot immunditijs immundiſque rebus in veteri Teſtamento fuiſti præfigurata; vt neque citra cauſam tot ablutionibus, baptiſmatibus, & purificationibus præſignata fuerit tui repurgatio, & ſanctificatio per te contaminatorum. Tot igitur veræ ſanctificationis mediis, in noua Lege nobis à Chriſto conceſſis inceſſanter vtamur. Vade anima mea ad natatoriam Siloë, quod eſt interpretatum, miſſus; & lauare ibi, vt munda inueniaris: neque ita ampliùs, poſtquam ſanctificata fueris, & pedes & caput coinquinemus.

Ioan. 9.

SANCTA MARIA! Vt ſanctitatis tuæ me multùm incendit ad vitæ ſanctioris amorem exiſtimatio; ita me nominis tui dignitas ſpero, ad debitam mei muneris functionem inflammabit. Vtinam verè aliquando ſim ſpiritualis Maria, & aliquid tam ſancti tui nominis mihi iuſtè conueniat!

MARIA! hoc tibi nomen proprium, Virgo à Deo electa, primum quidem in terris à parentibus inditum fuit, ſed à Deo per cæleſtem nuntium Gabrielem confirmatum; qui te hoc nomine compellauit, ſicut ipſi à Domino (cuius legatione fungebatur)

Exo.15 fuerat imperatum. Vtque soror Moysis & Aaron Maria, hac te nomenclaturâ præcessit; ita & Virginitatis encomio, & ductricis Israëlitici populi per mare rubrum præcellentiâ, non obscura tui figura fuisse dignoscitur.

O Virginem innumeris ornamentorum monilibus decoratam, vel ipso ex nomine elucentibus! Si
Exo.15 te, MARIA, amarum mare nuncupemus; nihil nisi laudabile depromemus. Quis enim nesciat (qui quantum filij tui dilectissimi occasione pertuleris, vtcumque norit) quàm rectè cum illa Noëmi dicere E
Ruth 1 potueris? Ne vocetis me Noëmi; id est, pulchram; sed vocate me Mara, id est, amaram: quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens. Neque mirum: nam dolores, quos castissima Virgo, in partu euasisti; illos in Filij tui passione & morte abundè sustinuisti: quibus nos omnes in Vnigenito tuo parturiebas.

Sin verò te stellam maris, MARIA, vocitemus; F rectè dixerimus; es etenim, maris scilicet huius magni & spatiosi, mundi inquam: quo titulo specialiter in sequentibus venies à nobis decoranda. Te quoque optimè Mariam, hoc est illuminatam, illuminatricem, doctricem, ac magistram compellamus. Quin & te Syro sermone, Maria, Dominam iure profitemur: quia totius mundi Dominum peperisti. Peperit gratia Dominam, Anna Mariam: Maria verò Domina, Dominum dominorum.

Vtinam nunc, SANCTA MARIA, Dei mater alma, ac Virgo singularis, tuarum precum meritorumque præsidio, aliquid benedicti tui nominis valeam obtinere: vt sanctus mente & corpore, castum bonæ conuersationis fœtum felix mater in lucem edere tuis auspiciis promerear.

Oratio.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſanctiſſimam virginem Mariam in Filij tui Matrem eligere dignatus es, eiáque ad id diuina tua virtute obumbraſti, & abundantia gratiæ tuæ in omnibus adſtitiſti: da mihi indigno famulo tuo, quæ recta & ſancta ſunt, ſemper cogitare ac velle, atque eadem te donante perficere. Amen.

2. S. DEI GENITRIX.

Te mihi Diua parens obstetricante, bonorum
Simq; potens operum, propositiq; Parens.

Dã. 13 ANGVSTIÆ mihi sunt vndique. Dolorem sentio, sicut est dolor in vtero habentis. Heu! quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Bonus, pius, humilis, & Deo placens esse desidero, & non fio; quia non quod volo bonum, Rom. 7. illud ago. Velle adiacet mihi (nam hoc Deus dedit) Exo. 1. perficere autem necdum inuenio. Me miserum! Verè non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: sed æquè verè, non sunt omnes omnium nationum mulieres, sicut Hebrææ. Istæ enim obstetricandi habent scientiam; quæ norunt, se hîc non habere permanentem ciuitatem, sed futuram inquirunt: eiusmodi, priusquam veniant ad eos obstetrices, pariunt. Ego verò, sicut quæ concepit, & cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus Isa. 37. suis: Venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.

Sic mecum agitur; ea est nunc animæ meæ volentis & non volentis conditio. Quid dicam? aut quid iustè respondebo, meam mihi socordiam impropePro. 13 ranti; Vult & non vult piger? Infelix ego homo! Iam tempus pariendi aduenit; dico Domino; Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: & ecce; Gen. 25 Gemini in vtero meo reperti sunt. Dumque sto & clamo, pro iure spiritus mei, contra carnis proteruiam; Gen. 21 & ingemino; Non erit heres filius ancillæ cum filio liberę, quam Christus liberauit; itaque eiice ancillam, neque semen videamus ex ea: dum hoc inquam contendo;

2. SANCTA DEI GENITRIX.

Te mihi Diua parens obstetricante, bonorum
Simque potens operum, propositiq; parens.

O moeder Godts, v troost, ber-berst my deur u baeren,
Datt met myn goedt propoost, alsó bruxht, al bel marsh baeren.

Par ton enfantement, ie te pri VIERGE-MERE;
Fais-moy incessament de bons oeuures bon pere.

endo; cor meum, ſicut parturientis, phantaſias pa-
itur; & propemodum deſideria in diuerſum trahen-
ia occidunt me. Pro.21

Clamo itaque ad te, recurro ad te iterùm, alma Mater, Sancta Dei genitrix, ac Virgo intemerata; adeſto mihi in tam periculoſo ac laborioſo meo partu, quo verum in me, ex me, Chriſto Chriſtianum parere deſidero, & non valeo. Tu eſto mihi obſtetrix; tu caſta faue Regina, tam pio meo conatui; & opitulatrices manus miſero protende, ô benigna!

Liceat mihi eapropter pro felici conceptus noſtri pijque partus auſpicio, ſacroſancta hac eminentiſſimæ tuæ dignitatis vti compellatione. Mirificum hoc tuum elogium pectori meo ſuperponam; & velut amuleto de cælo delapſo fretus, quæ mihi hoc titulo delibanda propinantur, ſpiritu deuotionis attracta, dulciter applicabo, ſpe votis potiundi permagnâ.

Sancta Dei genitrix! Verè, neſcio an mirabilius, an maius aliquid dici aut excogitari ſecundùm Deum poſſit, quàm Dei matrem appellari & eſſe. O quàm caſta generatio cum claritate! Caſta, quia genitrix Virgo eſt: clara, quia filius, Deus. Audio, pia Virgo, magnum quemdam præ tui admiratione ſe non capientem, & exclamantem; Quid nobilius Dei matre? quid ſplendidius eâ quam ſplendor elegit? Quid caſtius eâ, quę corpus ſine corporis contagione generauit? Quid enim in ſingulis morer? Quæ digna fuit, ex qua Dei Filius naſceretur? Et iubar, quod carne veſtierat, ceu ſpeculum, inuiolata tranſmitteret? Audio & alium præclarè tuarum laudum encomia paucis perſtringentem. Sicut in comparatione Dei nemo bonus; ita etiam in comparatione Matris Domini nulla inuenitur perfecta; quamuis eximia virtutibus comprobetur. Meritò itaque Matris noſtræ Eccleſiæ voce te laudans dico; Sancta Dei genitrix, quibus te laudibus efferam neſcio: quia, quem cæli capere non poterant, Sap. 4.

tuo

tuo gremio contuliſti. Meritò in tua ſublimitate ſtu-
peſcit vniuerſus orbis: nam, tu parens parentis, fon-
fontis, origo principij: quia ille ex te prodiit per ma-
teriam carnis, qui caput eſt & initium omnium re-
rum, per eſſentiam Deitatis.

I nunc, ſerpens antique, deroſaſque primæuæ falla-
ciæ machinas, huic arci nequidquam admoueas. Sicu
olim à principio, vas fictile generis noſtri per fragi-
liorem anſam arreptum fœdâ ruinâ protriuiſti; ita il-
lud idem plaſmatoris induſtriâ ac bonitate reſtaura-
tum, per eamdem anſam in Dei matre, virgine Maria,
moliris euertere, ſed fruſtrà. Odio nempe tam ſaluta-
ris antidoti ringeris; atque eapropter ſub omni ſaxo
atque herba latitans, diabolicum hæreſeon virus exſi-
bilas; quo eam nec Dei matrem, nec virginem, nec vllo
dignam honore proclames. Sed rumparis licet tu, iu-
ratuſque huius tituli hoſtis & impugnator Neſto-
rius; nos, cum vniuerſa per totum orbem Eccleſia,
Mariam Theotocon agnoſcimus, & conſtanter profi-
temur. Qui non ſic credit, hæreticus eſt: Neſtorianos
mitte foras.

Sed, vide nunc, ô anima mea, quàm nobile tibi pro-
totypon præſumſiſti; quod intuita parturias, & enita-
ris, donec in te formetur Chriſtus! Hanc igitur fixa
contemplare. Magnum haud dubiè molimen medita-
ris; partui caſto, materni muneris vnire fœcundita-
tem: attamen viriliter age, virago: confortetur cor
tuum: omnia poteris in eo qui te confortat. Dominus
dedit benignitatem; & terra noſtra dabit fructum
ſuum: fructum labiorum, fructum pœnitentiæ, fru-
ctum vitæ benedictum. En menſis eſt ſextus, & am-
pliùs, ei quæ dicitur ſterilis: immò & ſterilis inuenta
eſt, quæ in ſenectute ſua, centenario peperit filium: &
potens eſt Deus de lapidibus filios ſuſcitare.

Dicite ergo, omnia oſſa mea Domino; Domine,
quis ſimilis tibi? Ecce, ego nunc ſeruus tuus, & filius
ancillæ

ancillæ tuæ. Verè, risum fecit mihi Dominus; sed neutiquam deridendum. Numquid enim parum vobis videtur, matrem esse Regis, Christi, Dei? Dico, edico, quod sentio; Viuo ego, iam non ego: sed viuit in me Christus. Nunc itaque oculos meos ad te conuerto, Sancta Dei genitrix; inueniam quæso gratiam in oculis tuis: Et doce me deinceps, vt cœpisti (quoniam ab angelo ad hoc edocta es) quid debeam iam facere de puero, qui datus est nobis. *Gal. 2.*

Oratio.

DEus, fœcundæ castitatis amator, qui in dilecta Filij tui Matre, admirandæ nobis sanctitatis exemplar, & præsidium præstitisti; da bonis sanctæ vitæ successum initiis; vt immaculatos nos ab hoc sæculo custodientes, dignum vita æterna fructum bonorum operum producamus. Amen.

3. S. VIRGO VIRGINVM.

Heroina polis ſalue vnica, & vnica terris,
Ducere palmaris ſigna pudicitiæ.

EGREDIMINI filiæ Ieruſalem, & congratulamini animæ meæ, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa. Triſtitiam quidem cùm pareret habuit; ſed iam non meminit preſſuræ, quia natus eſt homo in mundum. Et, quis putas puer iſte erit? Egrediens ſiquidem anima præ dolore partuſque difficultate, vocauit eum Ben-oni, id eſt, filium doloris: ſed potiùs appelletur Ben-iamin, hoc eſt, filius dexteræ; tametſi nemo ſit hactenus in cognatione noſtra, qui vocetur hoc nomine: hæc enim mutatio dexteræ Excelſi.

Luc. 1. *Ioã.* 16 *Gen.* 35

Quid tu ad hæc intereà, ô anima mea? Numquid felici hoc partu, mortua es mundo, vt viuas Deo; & deinceps ſimul in nouitate vitæ ambulemus? Confeſſa eſt, & non negauit: confeſſa eſt, quia mortui ſumus, & vita noſtra abſcondita eſt, cum Chriſto in Deo; vt non iam ſecundùm carnem viuamus: ſed, ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Vtinam nunc igitur Domine, viuat Iſmahel coram te: non iſte in perſona vel figura eius, qui ferus homo fuit; cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum, ſed Iſmahel vocis ſignificatione, quæ exauditio Dei interpretatur. Ego ſiquidem pro hac clamaui ad te; & tu exaudiſti me. Viuat Iſaac, in quo mihi riſum feciſti: viuat Ben-iamin, dexteræ tuæ filius, quem mihi dediſti: & viuat coram te Iſmahel, in quo me exaudiſti: vt viuam ego quoque ſecundùm cor tuum.

Gen. 17

Iudic. 13.

At, rogemus nunc, quid facere debeamus, de puero qui

Heroïna polis ſalue vnica, et vnica terris,
Ducere palmaris ſigna pudicitiæ.

O ſuyuer maeghdix ſaet, der maeghden bloem ber-heuen
Dat ixk in veynen ſtaet, aen ſiel en lyf magh leuen.

Mere du Tout-puiſſant, des Vierges la couronne:
Qu'en vertu fleuriſſant, chaſteté me couronne.

qui natus est nobis, & de Filio, qui datus est nobis.
A Sancta Virgo virginum, id lego, tituli præsentis apicibus, quasi virgineis margaritis insculptum: castitatem nempe nouæ proli cum primis commendatam: vt in carne, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, viuat: vt sit sancta, & corpore & spiritu. Audi anima mea, audi noua creatura, quomodo castitatis monile, cælestibus encomiis, à magno castitatis amico, exaltetur, quò magis in eius amorem exardescas. Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, possessio omnium bonorum. Sic, ecce, de virtutis huius pretio ac præstantia testantur periti & experti; qui, venditis omnibus, vnam hanc pretiosam margaritam sibi
B compararunt. De virginibus, non minora per ora Sanctorum feruntur elogia. Sic idem instar omnium; Flos est ille ecclesiastici germinis; decus atque ornamentum gratiæ spiritualis; illustrior portio gregis Christi. 1. Cor. 7.

Habeat, habueritque olim mundus suas virgines, primarias dæmonum cultrices; Iunonis, Palladis, Dianæ, Vestæ sacerdotes, & sacrorum antistites. Facessant eiusmodi portenta, carne virginum, spiritu verò fornicantium & adulterarum.

At tu, ô anima mea, te conforma virginibus Christi, quales tibi ab Apostolo, virginum pronubo, describuntur: qualiumque, virginum Virgo, Dei mater appellatur. 1. Cor. 7.

Audi, quàm magnifica quoque talibus per Prophetam promittit Dominus, virginum amator & sponsus. Non dicat eunuchus; Ecce, ego lignum aridum.
C Quia, hæc dicit Dominus eunuchis (seipsos Virginitatis lege castrantibus) Dabo eis in domo mea, & in muris meis, locum; & nomen melius à filiis & filiabus; (pudica virtutum propagine) Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Virgines enim sequuntur agnum, quocumque ierit; qui semel Isa. 56. Apo. 14

occisus non moritur in æternum. Hanc domum, hoc nomen, ac generosam hanc virtutum genealogiam, per te, Virgo virginum, consequamur.

Tu tympanistria nostra es: quia cùm Emmanuel promissus aduenit, exultasti in spiritu, & Canticum Deo suauissimum, ac piis vbique gentibus per totum mundum insonandum, ceciniſti. Illa olim tympanistria, palmam salutis publicæ, prærogatiuâ quidem virginitatis obtinuit; sed tu digniori trophæo eamdem promereris & consummas. Cumque quasi duas sponsæ genas efficitis; tu dextræ dignitate præfulges. Prima illa Maria, soror Moysi, virginitatem coluerit; tu prima vouisti, & sacratiùs illâ perfuncta es. Virginum in veteri ac nouo Testamento principes esse perhibemini; sed quantò istud illo præclarius; tantò maiori es veneratione dignissima, præ illa, atque vniuersis.

O quàm multis insignibus huius tibi tituli splendor affulget, Maria! In primis, Virgo virginum nuncuparis, eò quòd prima omnium, nec præceptum, nec consilium, neque exemplum habens, sola Spiritus vnctione te docente, votum Virginitatis emisisti. Neque te terruit, quòd sterilis & contemtibilis in Israel censereris; dummodò latentem hunc tam pretiosum thesaurum tibi comparares.

Nónne, & virginum Virgo meritò diceris, quòd virgo simul & mater exstitisti? A sæculo non est auditum, vt hæc duo simul in vna eademque persona consisterent. Quanta virginitatis gratia, ob quam à
Colo.2. Christo eligi meruisti; vt esses corporale Dei templum; in quo, plenitudo diuinitatis corporaliter habitaret! Virgo genuisti: genitrix virgo permansisti. Genuisti; quem? quid? quod virginem decebat matrem: mundi salutem, vitam vniuersorum, regem sæculorum, Dei filium, Virginum sponsum. Quidni te quoque Virginem virginum appellemus, eò quòd omnium virginum excellentissima dignoscaris, &

Domina

Domina vniuersorum? Filiæ siquidem multæ congregauerunt diuitias: sed tu supergressa es vniuersas. *Pro. 31*
Sic etiam, nónne & Canticum canticorum, Sanctum sanctorum, & Dominum dominorum, per excellentiam nuncupamus? Et quoniam exemplar es singu- *Exo. 25*
lare, quod Deus cunctis virginibus, in perfectionis *Zach. 9*
monte monstrauit; ideò quoque iure Virgo virginum prædicaris.

At, nobis, ô anima mea, modus ille præ omnibus placeat; quo Domina nostra, Virgo virginum vocatur, quòd Virgines germinet, producat, tueatur, & *Sap. 18*
ad Virginitatis aureolam adducat. Singulare itaque præsidium, Maria! cùm sciam, quia non possum esse continens, nisi Deus det; tu mihi sis aduocata apud Filium; vt per te, tantæ felicitatis prærogatiuâ fulgentem, ab ipso promerear, vt castè viuam in hoc sæculo nequam: expectans beatam spem, & immortalitatis coronam.

Oratio.

CVm nemo possit mundum facere, de immundo conceptum semine, nisi tu Deus, qui solus es; da nobis in hac fragili carne degentibus, Virgine virginum intercedente, vt casto tibi corde & corpore seruiamus, atque agnum sequamur in cælis, quocumque ierit. Amen.

4. MATER VIVENTIVM.

Eua, parens mortis, vitam transscribe MARIÆ:
Tu neque mors illi, vitaq; facta tibi est.

Pro. 3. FILI mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Iterúmne nobis Domine, quærendum, quid debeamus facere de puero qui natus est nobis? Certè, viuere debet, & quidem æternùm. Concessisti siquidem vitam mihi, sicut pollicitus es: & tu protector vitæ meæ; à quo trepidabo? Nostrum nunc igitur est (ô anima mea!) non solùm non interimere nouam in nobis creaturam; neque tantummodò contra noxia quæque benè custodire; verumetiam fouere, & omnia vitæ vtilia procurare: vt agnoscentes gratiam, quæ nobis à Deo facta est, in nouitate *Rom. 6* vitæ ambulemus. Dilige itaque, ô dilecta, *Deut.* Dominum Deum tuum: ipse est enim vita tua. Et timor *30.* Domini, fons vitæ.

Quapropter, ad te me rursum conuerto, Dei genitrix Maria; vt, cuius in hoc spirituali partu patrocinium & formam adeptus sum, auxilium à te quoque recipiam, quo nouum hunc fœtum, non solùm in viuis conseruem, sed ad plenam quoque perfectamque maturitatem perducam. A

O quàm præclarè titulus hic præsens, quod opto, prætendit & spondet! O Maria! ô Mater viuentium! Te veneror, te in adiutricem imploro, te (quantum à dilecto tuo filio Domino nostro pro me impetraris) imitari est animus. O, absit, absit procul à me, & ab omni seruo Dei mei, vitam sanctam, vt sobolem nouam, educanti; absit, inquam, illud omen abominabile ciuis illius Ierosolymitanæ, quæ proprium suum

natum

MATER VIVENTIVM.

Eua, parens mortis, vitam transſcribe Mariæ:
Tu neque mors illi, vitaque facta tibi eſt.

Wel ghy de moeder ſydt der leuende ghenaemt:
Wegh doodt, laet my be-brydt, voort ó leuen ſoo't' betaemt.

Vray'ment tu es le port, ou tout viuant arriue:
Retire toy donc mort, qu'ore en Dieu ſeul ie viue.

natum enectum etiam coctum in escam parauerat. Itáne quisquam ad te conuersus, Domine, cùm spiritu cœperit, carne consummet? itáne quisquam, quod
B te donante conceperit ac pepererit, vel acediæ torpore depressus, vel crassâ salutis incuriâ, dormiendo opprimat? Siccine quisquam fructum suum spiritualem, tot precibus expetitum & lacrymis, tanto tempore gestatum, tantis laboribus in lucem productum, vel Herodi diabolo trucidandum obtrudat, vel ipse videns volensque interimat, & de vtero transportet ad tumulum? Domine, vitam petij à te, & tribuisti mihi: fac obsecro, vt meritis tuæ Matris interuenientibus, illam habeam, & abundantiùs habeam.

O Mater viuentium! ô præstanti hoc titulo dignissima! quem non tam debito iure, quàm quadam figurâ tibi prætulit prima omnium nostrûm mater
C Eua. Nam Adam, post peccatum dolendamque illam pœnitentiæ ferendæ sententiam, iam iamque è paradiso exturbandus, vocauit nomen vxoris, Heua; eò quòd mater esset cunctorum viuentium. Te verò, sanctissima Dei Mater, Virgo Maria, meliori iure, maiorique cum ratione Matrem viuentium appellamus: cum Eua mater tantùm corporalis eorum extiterit, qui vitæ huius miseræ vsuram acceperant: sed alioqui facta est veriùs morientium mater, quibus ipsa mortem quoque, tam corporis quàm animæ procurauit. Numquid verè Sanctus quidam eapropter sic inquit? Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria; Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit.

Si prior Eua mater viuentium dicta, ex qua secundùm carnem infeliciter nascimur; quantò te magis, ô felix Eua secunda, Matrem viuentium nuncupemus, ex qua in Christo, secundo Adam, iuxta spiritum regeneramur? Nónne te ritè per Moysi matrem
D figuratam agnoscimus? Illa siquidem in Ægypto, libera semper fuit, inter omnes alias matres mirabi-

liter conseruata. Quàm ingenti fuit illa priuilegio ornata, vt filium suum ad totius populi salutem, & feliciter pareret, & magno futurorum præsagio, dispositione diuina enutriret! Numquid omnes aliæ morientium matres fiebant, quando Pharaonis edicto, masculi omnes in profluentem demergebantur?

Agedum anima, certum esto inter nos decretum, & quasi inuiolabili lege sancitum; vt piissimam Virginem Mariam, Matrem viuentium, atque adeò vitæ ipsius matrem in æternum veneremur. Nónne Christus vita nostra; atque ita mater Christi, vitæ mater appellanda est, & habenda? nónne cum Ecclesia rectè concinimus; Vita, dulcedo, & spes nostra, salue?

3. Reg. 3. Commoueantur ad hanc vocem omnia interiora nostra, atque ipsa viscera in nobis testentur, quòd matris viuentium Mariæ genuinam sectari formam velimus, in fœtus nostri spiritalis vita, incolumitate, perfectaque educatione contuenda. Matri huic insistamus, lateri eius hæreamus, sectemur vestigia, gratiam aucupemur, imitemur exemplum. Videamus attentè, quid egerit de filio, qui ei nasciturus erat, quid de iam nato. Certum, quòd eumdem ardentissima charitate summaque cum humilitate conceperit, omni cura ac sollicitudine nouem mensibus gestarit in vtero; & in summa quidem paupertate atque egestate & peregrè, sed hilariter, ac diuinè peperit: quem sedulò quoque enutriuit, fouit, custodiuit, seque absentantem quæsiuit; cui & in morte fideliter adstitit, solata & compassa est.

O Mater Dei! ô mater ac magistra nostra! ô mirabilium factrix & doctrix! Doce nos, & iuua nos, munus tuum maternum rectè obire: vt quæ Deum genuisti, per quem & cui omnia viuunt in cælo, terra, & mari, nobis sis Mater viuentium & vita. Numquid de vitali atque viuifico tuo partu sic Scriptura commemo- E

memorat; Qui producit in montibus fœnum,& herbam seruituti hominum: Qui dat iumentis escam ipsorum,& pullis coruorum inuocantibus eum? Ad te, piissima Virgo, sunt oculi nostri, sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, donec miserearis nostri. Denique ô Domina verè nostra vide, quanto te iure interpellemus. Monstra te esse Matrem viuentium, quæ à Filio tuo moriente nobis in Ioanne donata es. Viuæ fuit vocis oraculum, ab vniuersorum imperatore, in throno crucis residente prolatum. *Ps.* 146

Oratio.

DEus, à quo cuncta creata procedunt, & cuius gratia vegetantur, & crescunt: da nobis, intercedente tua genitrice Maria; vt qui sine te esse non possumus, secundùm te viuere valeamus. Amen.

5. MATER PVLCHRÆ DILECTIONIS.

Aeternumq; in fonte bonum, riuoſq; per ipſum,
Fac purè puri Mater amoris amem.

Sap. 4 QVAM pulchra eſt caſta generatio, cum claritate! O admirabile commercium! A Creator generis humani animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt; & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam deitatem. O ſanctum, pulchrum, caſtumque puerperium, per quod Chriſtianus, Spiritu ſancto cooperante, virtuteque diuina illi obumbrante, Chriſtum in ſe formans per vitæ nouitatem parit!

O Mater pulchræ dilectionis, Maria! ô Mater pulchræ quoque dilectionis in temetipſo ſic pariens B Chriſtum, Chriſtiane!

Veni, veni, anima Deo deuota, & tam caſta fœcunditate à ſponſo dilecto tuo, fratre tuo, donata; & in perfectiſſimum iſtud exemplar coniunctim acies oculorum intendamus, vt ex ipſius in caſtiſſima Virgine contemplatione, inardeſcat in nobis magis ac magis tam pulchræ dilectionis ſtudium, & creſcat affectus. Numquid in primis vides, quòd variis multiſque modis ſancta Maria, patrona noſtra, mater pulchræ dilectionis appelletur? Te quidem oramus, ô Virgo piiſſima, ac ſingulare generis noſtri ſtabilimentum, hanc nobis hodie gratiam facias; vt dum in te magnalia Dei, ſuper hoc titulo, reuerenter ac deuotè recolimus; tu interim nobis apud filium tuum gratiæ incrementum implores, vt hæc tuarum dignitatum meditatio, fiat ſalutaris in nobis virtutum acceſſio. Sic namque fiunt conceptus boni, ſic ſpirituales gignuntur, & producuntur in lucem fructus mentis, ſine ſtrepitu, ſine dolore vel clamore, ſed tacita cordis motione, & Spiritus ſancti operatione, velut ſibilo

auræ

Aeternumque in fonte bonum riuoſque per ipſum,
Fac purè puri mater amoris amem.

Dat ick Godt bouen al, ende al in hem be-minne,
Maria Lelîê-dal, moeder van ſuyuer minne.

Que Dieu, et tout en luy, ie puiſſé aimer touſiour;
Marie, mon appuy, Mere de chaſté amour.



auræ tenuis. Accingimur itaque, & tranquillo discursu memoriæ, per singula ibimus; vt quandoquidem amare nihil difficile est homini, ideoque ne malum amet, bonum benè amet necessum est; casta & pulchra sit omnis nostra dilectio, quam parimus. Nónne cum primis pulchræ dilectionis Mater meritò Maria nuncupatur, quòd castam & pulchram dilectionem erga Deum & homines habuerit? Nónne meritò pulchra mater dicta est, quæ pulchritudine concepit filium? Numquid ideò quoque, quòd Deus vicissim illam pulchrâ dilectione & sanctâ amauit, elegit, & præelegit in matrem? Dominus tecum; inuenisti gratiam apud Deum.

Quis non videat, tunc votum illud Iudith impletum meliùs quàm præfiguratum; Capiatur laqueo oculorum suorum in me; & percuties illum ex labiis charitatis meæ? Quis factum id neget, cùm ipse testetur; Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui? Sed numquid & vos, ô filij hominum, rectè Mariam pulchræ dilectionis matrem vno omnes ore fatemini, & confitemini gratulantes; quòd ipsa quoque verè vt mater pulchram dilectionem nobis pepererit? Nónne pulchra dilectio est, dilectio pulchri & dilecti? Hanc peperit Virgo, quia antè non erat. Verè itaque tu dicis filio tuo, ô Mater & Virgo; Ecce, Tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Ita siquidem nobis, ô Maria, castissimæ dilectionis es causa, dum Christum, dilectum tuum patrisque dilectum nobis peperisti, vt ipsius quoque dilectionis mater dici merearis. Pulchra reuerà dilectio, quæ omnis est expers carnalis fœditatis: pulchra dilectio, charitas ordinata; qua Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos diligimus: pulchra dilectio, qua Creatorem purè in creatis diligimus; non solùm absque animæ diligentis vel minima contaminatione, verumetiam cum maiori pulchritudinis incremento.

Iudith 9.

Cant. 4

Cant. 1

Numquid verò, ô cariſſimi dilectionis filij, omnimodæ huius dilectionis, eiuſque qua Deus nos, anteà proiectos & exoſos, rurſus vt opus manuum ſuarum incepit diligere, vt pro nobis Filium ſuum vnigenitum daret, mater eſt virgo glorioſiſſima Dei genitrix Maria? Sed, ô rem miram! Quis non admiretur raritatem? Nónne matrẽ eam pulchræ dilectionis ex hoc quoque prædicamus, quòd, cùm, pulcherrima mulierum fuerit, nemo tamen vmquam eius adſpectu ad turpem cogitationem fuerit motus, ſed econtrariò, adſpicientium oculos & corda puriora reddiderit?

Iudith 11. O nouum formæ & pulchritudinis genus & opus? Non eſt talis mulier ſuper terram, in adſpectu, & in pulchritudine, & in ſenſu verborum: & tamen ſemoto cuiuſcumque mali motus periculo, in oculis intuentium & mentibus caſtimoniam generat. Quid hîc præ cunctis admiremur & extollamus? Pulchritudinem tuam, ô Maria, ſingularem? Sicut Chriſtus filius tuus ſpecioſus fuit præ filiis hominum; ita tu iudicio omnium, cunctarum mulierum ſpecioſiſſima prædicaris. De te ſiquidem, quoad corpus & animam verè dictum accipimus; Tota pulchra es, amica mea: tota pulchra, intus & foris; & macula non eſt in te. Sola namque poſt Chriſtum, obtinuiſti iuſtitiam originalem, in qua primos parentes creatos agnouimus. Iam verò, ſicut corpori glorioſo ingens ex animæ beatæ efficacia futurus eſt ſplendor; ita ex tam ſancta anima tua, etiam per corpus, omni alioqui pulchritudine præditum, perque tuos oculos certi radij eluxiſſe meritò exiſtimantur. An verò illud potiùs admiremur, quod forma tam præcellens, puritatis fuerit in animis intuentium, incentiuum? Oculis fixi manſiſſe putantur in tuo decore, quicumque te adſpicerent; tamquam ex tua claritate attoniti morumque honeſtate detenti. Et quid mirum, cùm impuram mulierẽ, ſolo picti Polemonis inſpectu, aliamq; duorum Religioſorum notatâ modeſtiâ, conuerſas lega-

legamus ? Procul igitur omnis impudica dilectio, mundanorumque amatorum dementia, & carnales illecebræ ; quibus irretiti , nefandum Amnonem propriam ſororem , caſtiſſimam virginem Thamar , perſequentem imitantur. 2. Reg. 13.

Eò nos igitur , ô anima, redeamus, vnde admirari, delectari, mouerique ad ſanctum amorem incepimus: dicamuſque iterùm; O quàm pulchra eſt caſta generatio, cum claritate ! O matrem pulchræ dilectionis. Tu nobis, ô Maria , Deum generans , & virgo & mater effecta , claritatem animæ , caſtitatem, & diuinam pulchritudinem genuiſti. Tuæ pulchritudinis adſpectus , omnem in animis noſtris rubiginem turpis amoris exurit ; ac velut myrrha venenum corruptionis elidit. Sicut igitur tuo conſpectu & conſortio Ioſeph ipſe caſtiſſimus, in virginitatis propoſito, magis ac magis confirmabatur; ita nobis magiſtra fias & auctrix , quo verè ſpirituales matres pulchræ dilectionis eſſe poſſimus. Sap. 4.

Oratio.

DEus caſti conſilij ſeminator , & amator puritatis ; concede propitius , vt gratiâ illâ , quam apud te tua mater inuenit , adiuti ; & te ſuper omnia , & omnia propter te , ſincero mentis affectu diligamus. Amen.

6. MA-

6. MATER SANCTÆ SPEI.

Fluctuat hic mũdus? crux anchora, portus IESVS;
Mater io ſanctæ ſis Cynoſura Spei.

1.*Pet*.1 BENEDICTVS Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam. Multum quidem Domine per omnem modum, atque omni gratiarum actione digniſſimum eſſe confiteor; quod de ſpirituali fœcunditate veriùs dicere poſſum quàm Rachel de corporali, poſtquam iam ex ancilla (cùm ipſa eſſet ſte-
Gen.30 rilis) tuam benedictionem obtinuiſſet, dicens; Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. Sed, ô Domine, quid iuuat peperiſſe, ſi ſpes educandi, & in vitam æternam per tot pericula prouehendi defecerit? Proinde ſpe tantæ tamque neceſſariæ Spei, ad tuam infinitam gratiam, in tua genitrice, vt ſanctæ Spei matre, me conuertam; vt ipſe quoque eius exemplo & patrocinio ſpem concipiam, atque inceſſanter vſque ad mortem ſpem ex ſpe generans, ſanctæ Spei mater efficiar.

Iam ecce tertiùm, ô virgo Maria, Matris nomen- A
claturâ te compellamus; matrem viuentium, matrem pulchræ dilectionis, & iam matrem ſanctæ Spei nominando. Verè, nullum eſt nomen amantius indulgentiuſque, quàm maternum: ideoque, piiſſima Domina, tam confidenter ad maternum tuæ gratiæ ſinum confugimus. An ergo nihil eſſe putabimus, fruſtráve accidiſſe, quòd octies in ſacra Scriptura te matrem vocari notauimus; bis verò tantùm certa quadam diſpenſatione nuncupatam mulierem, prout res & tempus tunc poſtulabant? Quis illud quoque carere myſterio credat, quòd felix virgineuſque tuus

partus,

MATER SANCTÆ SPEI.

Fluctuat hic mundus? crux anchora, portus IESVS;
Mater io ſanctæ ſis Cynoſura ſpei.

Wan-hope zy ver-iaeght; Want, hope ió vnò gheboren:
Godt heeft een ſuyuer maeght, tot moeder uyt-verkoren.

Cette mere d'amour, eſt mere d'esperance;
Faites-luy donc la cour, vous aures allegeance.

partus, per ſeptem matres ſteriles ex certa ſpecialique gratia parientes, fuerit præfiguratus? Numquid ſignum hoc eſt, quòd ſingulari Dei beneficio, te in ſuam electam, nobis quoque in matrem dederit? Optimè eapropter omnes, pro tanta noſtra felicitate ac ſublimatione gloriantes & congratulantes cum Sancto quodam aſſerimus, dicentes; Maria ex gratia mater facta: quia nec immeritò ex Anna ceu gratia priùs nata.

Dicite itaque mecum omnes virgines, filiæ Ieruſalem & Sion, omneſque animæ fideles, Chriſti ſanguine redemtæ, dicite vos quoque primi noſtri parentes & confitemini ei; Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui: qui erat vterus virginalis beatæ Mariæ matris tuæ, matris ſanctæ Spei. Scire autem deſideratis, quare & quas ob cauſas, dulciſſimam Dominam noſtram & patronam, Matrem ſanctæ ſpei nuncupemus? Attendite. Nónne ſpes Sancta, pura, & firma dicenda eſt, iuxta geminam ſancti ſignificationem? Quippe quæ conſtanter hîc gratiam, & poſteà gloriam ſperet atque exſpectet. Spes enim mundana & humana, & inſtabilis & impura eſt, ideoque nec ſancta. Accedite igitur, atque hunc in finem maternalium titulorum ſeriem in ſacræ Scripturæ decurſu perpendamus, & quod quærimus, ſponte ſe offeret.

Numquid ſic in primis de ſemetipſa Dei ſapientia loquitur, quod legitimè ad beatam Mariam transfert Eccleſia? Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ Spei. Ecce quatuor hîc ſpirituales proles animaduertimus. Rectè; nam Virgo Maria pulchram Dilectionem primogenitam genuit: deinde Timorem, qui dilectum reuereri & colere faciat: poſteà Agnitionem; perfectam ſcilicet ſapientiam: & demum ſanctam Spem: nam agnitio Dei, ſpem facit, quæ productis prioribus venit in lucem. Nónne alioqui fruſtrà quis ſine præmiſſis ſperare præſu- *Eccli.* 24.

præsumat? Præsumtio verò quàm parum affinitati cum spe sancta habeat, quis ignoret? Atque ita, rectè, ô Maria, te Matrem spei, atque adeò spem quoque nostram appellamus.

Numquid hoc audimus Psalmistam canentem, atque affirmantem quod dicimus? Tu es Domine, spes mea, à iuuentute mea. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre; spes mea, ab vberibus matris meæ. Si spes Dauidis Dominus Christus, & spes nostra, vt est verè; profectò Mater Christi Mater spei nostræ negari non potest. Nónne siquidem rectè Mariam interpretari sõlemus Dominam, atque etiam spem? peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi.

Ps. 90. & 21.

Verùm, quoniam in Dei misericordia omnis spes nostra requiescit (vt Sanctus quidam morti vicinus dicebat; Mori non timeo; quia bonum Dominum habemus) numquid etiam meritò Mariam matrem misericordiæ cum Ecclesia vniuersa compellamus?

Meritò mihi spes magna in Christo (vt cum alio Sancto loquar) Puto enim quòd iam me spernere non poterit, os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hoc enim mouit fratres Ioseph, ne eum interficerent; dicente Iuda, misericordiæ argumento; Caro enim & frater noster est. O mirabile sacramentum! Caro Christi, nostra est caro. Vnde, Domine, à felici illo momento, quo frater noster ex Virgine factus es; singulariter illud adimplesti, & variis modis ostendisti, quod per nubem & vmbram iamdudum antè prædixeras; Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.

Pro. 8.

Eph. 5.

Nemo enim vmquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam. Quid est enim, quod tantùm mentes erigat, & ab immortalitatis desperatione subleuet, quàm quòd nos tanti feciisti, Domine; vt tuus Filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, & à nobis accipiens quod non erat, dignetur nostrum

ſtrum inire conſortium, mala noſtra moriendo perferre? Verè ſpem dilectionis tuæ dediſti hominibus, homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur.

Huc huc, igitur, quibus ſpes veniæ, gratiæ, & æternæ gloriæ deficit: Venite & emite abſque pecunia ſpem copioſam, abundantem, & ſupereffluentem à Matre ſpei, Maria, & dabit omnibus affluenter. Venite, miſeri, ad Matrem miſericordiæ properate; ſcala eſt in cælum porrecta, per quam in ſpem remque ipſam erigamini: cuius gratia & copia nullo poſtmodum pretio poterit comparari.

Oratio.

GRatias tibi agimus omnipotens Deus, pro tua ineffabili miſericordia, qua ſpem nobis vitæ æternæ, in Vnigenito tuo, ex Maria virgine nato, feliciter oriri feciſti: da nobis, ſacratiſſimam hanc tantæ ſpei ac miſericordiæ Matrem ita in vita venerari, vt optatum ab illa recipiamus in morte præſidium. Amen.

7. MA-

7. MATER HONORIFICATA.

Astra caput cingant, vallent tibi lilia ventrem
At, decus es sertis MATER HONORA *tuis*

Tob. 4. AVDI, fili mi, verba oris mei, & ea in cord tuo quasi fundamentum constitue. Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebu vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit pro te, in vtero suo. Verba quidem sunt ista, Deus meus, Tobiæ monentis filium officij sui erga matrem, propter rationes, & à lege tua, & à natura desumtas: Tu verò Domine, qui hanc legem dedisti, constat, quàm examussim quoque illam seruaris, erga superbenedictam Virginem Mariam matrem tuam. Fuit siquidem illa verè tua genitrix mater honorificata, ob varias causas; sed tu eam singulariter honorasti: & nos tuo exemplo docuisti, quomodo nobis etiam debeat mater esse honorificata; vt similiter generationem in nobis spiritualem magni faciamus. Nemo siquidem facilè hanc gratiam, qua in nouam creaturam conuersus est, amittit; nisi qui ignorato eius pretio, eamdem neglexerit; neque pro matre honorificata coluerit, vt debebat.

Eccli. 15. Numquid ita testatur Scriptura? Qui timet Deum, faciet bona; & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi, quasi Mater honorificata; & quasi mulier à virginitate suscipiet illum.

O Maria, magnum animarum nostrarum solatium & ornamentum! quàm multis mirandisque modis te matrem honorificatam prædicamus! Viuítne, qui tuam honorificentiam capiat, satísve admiretur, nedum explicet; quâ te sanctissima Trinitas dignata est, cùm in filij Dei Matrem elegit? Quis etiam honorem expendat pro meritis, quo te Deus affecit, quando

tres

MATER HONORIFICATA.

Astra caput cingant, vallent tibi lilia ventrem,
At, decus es sertis MATER HONORA tuis.

O moeder hoogh-ver meerdt, deur haare vruycht verheven!
Soo Werdt elck-een ver-eert, deur syn goed heylich leven.

Cette vierge reçoit grand honneur, d'estre mere;
Et l'honneur luy accroit, pour l'estre d'un tel pere.

tres Reges ad te ex Oriente destinauit, qui tum maiestate præsentiæ, tum reuerentiæ raritate, & pretiosorum munerum præstantiâ, Filium tuum, velut Salomonem in throno eburneo, in virgineo tuo sinu residentem, adorarunt? O Matrem mirificè quoque honoratam à Domino, quando Iesus, Filius Dei vnigenitus, atque tuus, singulari demissione tibi subditus fuit! Quis item te magno neget honore decoratam ab eodem fuisse, quando in nuptiis deficiente vino, te intercedente, aquam in vinum conuertit? quando in cruce pendens dilecto te discipulo Ioanni, virgo virginem virgini commendauit? quando te, quod piè credimus, primam omnium à Resurrectione visitauit? Et, quod caput est, quis honorificentiam explicet, quæ à toto tibi cælorum palatio fuit impensa, quando in cælum assumta es, & à sanctissima Trinitate Regina cælorum coronata? Non ita matrem suam Bethsabeam Rex Salomon honorauit, quando surrexit in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis; quæ sedit à dextris eius, dixitque ei Rex; Pete mater mea; neque enim fas est, vt auertam faciem tuam. 3. Reg. 2.

Numquid etiam Mater es honorificata, Maria, plusquam mulier illa sapiens in Abela, & plusquam ciuitas ipsa, quam illa tamquam singularem Sapientiæ sedem, atque indagandæ veritatis asylum charamque matrem Israel appellabat? 2. Reg. 20.

An non etiam Mater es honorificata, præ Machabæorum matre, quam sacrum eloquium matrem supra modum mirabilem, & bonorum memoriâ dignam, non citra prægnantes rationes commemorat? Quæ fortiter repleta sapientiâ, & femineæ cogitationi masculum animum inserens, filios suos ad constantiam in tormentis hortabatur. 2. Mac. 7.

Vbinam es nunc, ô anima mea; vbi filij Adam & Euæ; filij hominum graui corde? filij iam matris Ecclesiæ, Christi fratres & coheredes; filij matris honorificatæ

rificatæ Mariæ? Venite, veneremur, & honorificemus
Ps. 112 Matrem noſtram, Matrem filiorum lætantem. Neque paruum illum eſſe honorem exiſtimemus, quem nobis ipſi conciliamus; dum illam nobis honorare conceditur, in cuius honore & veneratione gaudent Angeli, exultant Archangeli, & magno ſibi ducunt honori, eam collaudare & honorificare poſſe, quam Deus in Matrem ſuam elegit, & ipſorum Reginam conſtituit.

Salomonem igitur imitemur, matrem ſuam laudantem, & mirandis encomijs extollentem; atque in Diuæ Matris Mariæ præconium exultantes, cum
Pro. 31 ipſo dicamus & canamus omnes; Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Nobilis in portis vir eius, cùm ſederit cum Senatoribus terræ. Vir eius inquam: quia, quòd virum non cognouit, Vir eius, filius eius; quem vt virum circumdedit, quando virginco vteri thalamo, ſponſum humani generis factum, complexa eſt.

Venite puſillanimes, & confortamini; venite indecores & inhonori; atque in hac Matre veſtra honorificata gloriamini, & armamini; quia fortitudo & decor indumentum eius. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, vt vos omnes lateri eius inhærentes, indumentoque eius vt clypeo protectos, fortes efficiat, & caſtitate honorabiles.

O quàm tu quoque, anima mea, Mater honorificata cenſeberis, ſi tituli iſtius animata fragrantia, patronam hãc tuam imitari ſtudueris! Conſidera tantiſper tui generis vilitatem; atque ita te humilitatis præſidio munies. Felicitatem quoque tuæ dignitatis attende; & debitæ gratitudinis numquam obliuiſceris. Parua ſis in oculis tuis, quia vilis fuiſti & ſterilis; ſed magna ſit laus eius in ore tuo, qui reſpexit vilitatem & humilitatem tuam; & fecit tibi magna, qui potens eſt. Fructus ſalutaris & vitæ nouæ te matrem effecit; bonæque educationis, & profectus in melius,

ſpes

ſpes cælo promittitur. Tu tantùm tuo non deſis officio, atque aſſiduè cum Manue à Matre Maria, tamquam ab Angelo edocta, explores, quid debeas facere dè puero, qui tibi natus & datus eſt; vt hîc, & poſteà in terra viuentium, mater efficiaris honorificata.

Te igitur ſancta Dei genitrix ſingulariter deprecor, vt illud mihi gratiæ à dilecto tuo filio Saluatore noſtro impetrare non renuas; quo & in eius amore, & in tuo cultu deuotè merear perdurare: iuxta diuini decreti condictum; vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem, addo autem, & matrem: qui ſecùs fecerint, erunt ignobiles. *Ioan. 5.*

Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepiſti, gratiam tuam noſtris infunde pectoribus, vt & Matrem honorificatam Vnigeniti tui Mariam, ſedula deuotione colamus, & eius meritis in omni morum atque animorum honeſtate viuentes, tibi ſincerè placeamus. Amen.

IN VII. TITVLOS NVTRITIOS ARGVMENTVM.

QVOD *naſcitur, paſcitur; omniſque ſuum vita victum depoſcit. Itaque, nunc opportunè ſequuntur ſeptem D. Virginis tituli, qui nobis* A *ea ſuppeditent, quæ ad paſtum ſpiritualem tam beati fœtus pertineant. Neque ſolummodò hîc imitationi nobis Mater Dei vel exemplo nudo futura eſt, quæ Redemtorem noſtrum vbere de cælo pleno lactauit; verumetiam eius interceſſione atque auxilio, hoc ipſum quod ſperamus, ſumus à Domino obtenturi. Eóque gratiora nobis* B *hæc eſſe oportet, quòd alimenta & medicamenta ſint: to-*
S. Bern. *túmque in hoc concluditur, quod dicit quidam; Cibus meus Chriſtus eſt, & ego eius. Quemadmodum igitur in præcedentibus ſeptem Deiparæ Virginis titulis, materni officij dignitatem agnouimus; ita in proximè ſequentibus, noui fœtus educationem & enutritionem conſideremus. Qui ſe namque Regiæ prolis matrem nouit; & ſe pro tali gerit, & debitam regalis filij curam habet, vt æquum eſt.*

8. LIGNVM VITÆ.

O felix arbor, vitæ immortalis alumna!
Chriſtum in me fœtu paſce benigna tuo.

Pro. 3. LIgnum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. Quid retribuam tibi Domine Deus, pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Sterilis eram, & fœcundaſti me: quique dederas velle, perficere quoque largitus es. Vitam & miſericor- C diam tribuiſti mihi: & de fructu vteri mei bonique conceptus, dediſti mihi filium in ſinu meo; felix nimi-

8. LIGNVM VITÆ.

O felix arbor, vitæ immortalis alumna!
Christum in me foetu pasce benigna tuo.

Dat-men de nieuwe vrucht met mutte spyse voede,
Op dat-sy t'leuend luicht, deur t'hout deò leuendè hoede.

Arbre, puis que ton fruit est le vray fruict de vie;
Fay qu'en moy Iesu-Christ par toy se viuifie.

nimirum ſanctæ tibiſque placentis vitæ principium: & iam ambulat mecum puer meus, vt ſeruiat tibi in conſpectu tuo ſemper.

Nunc igitur munus maternum, in tam beata quoque prole nutrienda, eſt tibi obeundum, ô anima mea! Ad ſingularem itaque tuam patronam confugito, illamque pro ſolita ſua propitiatione ſollicita; vt illa te doceat & adiuuet educare, cuius exemplo atque
A ope tam felix mater effecta es. Creaueras tu quidem Domine à principio Lignum vitæ, illudque in medio paradiſi poſueras; ſed longè præſtantius nobis,
B non tantùm in viuifica tua Cruce, verumetiam in
C ſacroſancta tua Matre dediſti. Et quidem ſapientia tua diuina lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam; & qui tenuerint, beati: ſed eximium atque admirabile iſtud mundi pereuntis ſolatium, ſancta inquam tua genitrix Virgo Maria, ſingulare eſt vitæ lignum fidelibus, perque tuam gratiam ad meliora ſemper nitentibus.

O admirandum vitæ lignum, in medio olim paradiſi plantatum! Sed, ô magis admirandum & præclarum vitæ præſidium & lignum, Maria in Eccleſiæ medio conſtituta! Lignum illud vitæ, vitarúmve, vitale quidem ac viuificum erat; quia miram vim & naturam habebat, non ſolùm ad vitam hominis conſeruandam, verumetiam perpetuandam, quodamque immortalitatis genere donandam: ſed tu, ô Virgo ſanctiſſima, Lignum vitæ es multò præſtantius, cuius fructus non modò viuentibus vitam in æternum conſeruare conſueuit, ſed & mortuos ad vitam æternam valet reſuſcitare. Nónne ſic iſtud ipſiuſmet orè teſtatum tenemus? Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet: & qui manducat me, ipſe viuet propter me. Lignum illud primogenium, ſcimus, non ſolùm vt aliæ arbores, naturalem humorem conſumtum ſuo fructu iuuabat & reſarciebat; verumetiam ſpecialiter eumdem redintegrabat, cunctaque

deperdita in ſolidum reſtaurabat: ſed tu, ô Maria, per fructum tuum non tantùm deperdita reſtituis, verumetiam abundanti cum fœnore gratiam & benedictionem accumulas, & numquam priùs habita collargiris.

Numquid igitur te ritè lignum vitæ concinimus in medio paradiſi conſtitutum, quando Dominus noſter
Pſ. 73. Ieſus Chriſtus filius tuus ſalutem operatus eſt in medio terræ? Nónne te velut amœnitatibus cæleſtibus delicijſque diuinis circumfuſam circumſeptamque tota admiratur Eccleſia, quando virtus Altiſſimi obumbrauit tibi? Nónne benè lignum vitæ, quæ vitam nobis germinaſti? O benedictum fructum ventris tui! Vnica erat arbor illa in medio paradiſi; vnica quoque Crux illa viuifica, in qua mortua eſt vita; & tu pariter vnica es arbor, de qua meritò canamus; Nulla ſilua talem profert, fronde, flore, germine.

Apprehendamus itaque, dilectiſſimi, Mariam, & D
beatiſſimis eius pedibus aduoluamur; vt ſit nobis lignum vitæ, cuius fructu viuifico, nouum ſemper vitæ ſanctæ vigorem aſſequamur; cuiuſque exemplis ceu folijs tegamur, ne nudi ſimus. Te igitur, ô virgo diuina, ſincero cordis affectu, pioque cultu, & ſedula tuarum virtutum imitatione, complectimur, ac fideli te charitatis nexu tenemus: vt ſis nobis lignum vitæ, & per te tuumque fructum viuificum, nos cum fructu noſtro ſpirituali vitæ purioris, beati reddamur.

O quàm id nobis fideliter, feliciter, & dulciter accidit, quando non ſolùm per veram abſolutionem nobis vitæ ſpiritus & gratia datur; ſed præſertim quãdo de fructu tuo ſaluifico, in medio Eccleſię Sanctorumque communione participamus! O ſanctam cæleſtemque eiuſmodi diuini pueruli Ieſu, ſpiritualis videlicet hominis educationem! Tu, Virgo caſtiſſima, ab Angelis in templo enutrita cenſeris; nec mirum, qui & Chriſtum in deſerto aluerint: tuque illum

adhuc

adhuc paruulum vbere de cælo pleno nutriſti: & nos quoque tuis exemplis edocti & adiuti præſidiis, hanc noſtram nouæ vitæ prolem , cæleſti & euangelico paſtu enutrire ſtudebimus: verbo vitæ, piis deſideriis, ſanctis inſpirationibus , atque excellentiſſimo fructu ſacroſanctorum Sacramentorum; per quæ, velut Eccleſiæ vbera, cæleſtis dulcedinis, & Angelici nectaris guſtum ſuccumque exſugemus . Tu interim, ô Regina cælorum, ligni vitæ, velut ſceptri regalis ſalutem aſſerentis, præſidium nobis ſemper tuo interuentu procura propitium.

Oratio.

PRætende, miſericors Deus, fidelibus tuis dextram cæleſtis auxilij; vt quæ prognata ſunt nobis vitæ perfectioris initia nutrias; & meritis beatæ Mariæ nutrita cuſtodias. Amen.

9. VENA VITÆ.

Plaga, ſitis, morbi, procul hinc exeſte; ſcaturit
Plena ſaporatis vena ſalutis aquis.

Iudic. 13. QVID debemus, ô Maria, facere de puero, qui natus eſt nobis? Quid, ô anima mea, præter iam audita, ac beatiſſimæ Dei genitricis exemplo & interuentu, vt ſperamus, obtenta; iam agendum nobis incumbit, in bona nouæ vitæ ceu prolis educatione? De vena vitæ ſumendum eſt, quo ſubinde refocilletur, ac benigniſſimæ noſtræ Patronæ inſtinctu atque imitatione, vitam hinc gratiæ & æternæ felicitatis haurire debemus.

Numquid Domine, quemadmodum homini cibum in paradiſo ne eſuriret conceſſeras, ita dediſti & potum ne ſitiret? Sine dubio, nam vtrumque humanæ vitæ æquè erat neceſſarium. Ergo, poſt lignum vitæ Vena vitæ ſequatur, atque vtroque hoc beneficio in diua Virgine Maria fruamur. Audio quod A
Pro. 10 dicis Sapiens; Vena vitæ, os iuſti. Concedo, ſed inficiari non poteris, quin multò præſtantius, Vena vitæ vterus caſtiſſimæ cæleſtiſque Virginis Dei Matris Mariæ. Nónne fons vitæ Chriſtus, qui in nobis quo- B que fons ſaliens in vitam æternam fieri poteſt, ſi nouerimus donum Dei, dignatique fuerimus guſtare, quis eſt, & quàm ſuauis eſt Dominus? Numquid Samaritanæ illi; nobiſque in illa, promiſit hanc gra- C tiam? Et vnde quæſo fons iſte manauit? vnde profluxit hæc aqua viuifica? Nónne venam ſcimus? ánne ſcaturiginem ignoramus? Numquid nouimus Mariam, Ieſu Domini noſtri Matrem?

O Venam vitæ! ô excellentem titulum! ô gratiam ſingularem! ô ſpeciale ſolatium animarum, in hac valle lacrymarum languentium! ô refrigerium & refo-

Plaga, ſitis, morbi, procul hinc exeſte; ſcaturit
Plena ſaporatis vena ſalutis aquis.

Ghecſt dat ſleyn ſindt vor dvanck; ey laeſt, dat ij u leeſt:
Hier-toe u Godt tot danck, eey leuende ader gheeſt.

Retirés-vous bien loin, ſoif, langueur, maladie:
Car, a noſtre beſoin, sourd la veine de vie.

refocillationem paruulorum, alioqui præ sitis aridita-
te in plateis morientium! Adhæret lingua lactentis *Thre.4*
non rarò ad palatum eius in siti; præ spiritus aridi-
tate, veræque deuotionis defectu, cui malo præsenti-
mum hæc Vena vitæ remedium est.

Te igitur, ô Maria, peculiari cordis affectu com-
plectimur, quæ arenti mundo tam almam humilita-
tis tuæ prærogatiuâ gratiam apud Deum inueniſti,
tamque vberem sitienti populo, in hoc mundi deser-
to potum dediſti. Non recedet eapropter laus tua
de ore hominum, & nomen tuum futurum est ho-
norabile in æternas generationes. Miramur? admire-
mur. Quanta namque est illa celebritas, nominis-
que immortalitas quam Ana in Sacris eloquiis hoc
modo est consecutus; Iste est Ana, qui inuenit aquas *Gen.36*
calidas in solitudine, cùm pasceret asinas Sebeon
patris sui.

Magnum reuerà stupendumque mysterium; ego
autem dico in peccatore & pœnitentia. Quid nam-
que aliud Ana quàm gratiam sonat, Sebeon autem
peccati tumorem siue inflationem? Syriacè, tinctum
siue intinctum significat. Numquid in hac vmbra
videmus, quomodo Christianus post baptismum in
peccata delapsus, per pœnitentiam, cordis carnisque
confossionem, inuenit aquas calidas, lacrymas scili-
cet; dum in hoc mundi statusque mali deserto, trisți-
que solitudine, quærit animas velut asinas patris
sui, deperditas? Magni profectò momenti negotium:
nam vt quemdam testantem audio; Fit plerumque
gratior Deo, amore ardens vita post culpam, quàm
in securitate torpens innocentia. Numquid pœni-
tentia quoque est vnum ex perfectis donis descen-
dentibus à Patre luminum?

Magna, miranda, & laude dignissima sunt hæc qui-
dem, vti dixi: sed, quid obsecro aqua pœnitentiæ,
calidarumque lacrymarum profluuium prodesse pos-
sit, absque vitæ venæ fluento? Nónne figuratum illud

Exo.15 in filijs Israel olim obseruamus ? Illi siquidem cùm tribus diebus per solitudinem ambulassent , neque aquam inuenirent , veniebant in Mara ; nec poterant bibere aquas de Mara , eò quòd essent amaræ . Et murmurauit populus contra Moysen , dicens ; Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum; qui ostendit ei lignum;quod cùm misisset in aquas,in dulcedinem versæ sunt . Numquid hîc videmus , triduum pœnitentiæ inuenisse aquas amaras , salsas lacrymas , quas lignum vitæ,crux Christi, fructusque ligni vitæ vertit in dulcedinem? An non huius tibi conuersionis aquæ & nouæ efficaciæ Dauid , Petrus , Paulus, Zachæus, Matthæus, Magdalena, aliique innumeri, locupletissimi testes sufficiunt?

Verùm , quid istud quoque ad Venam ipsam vitæ Mariam , ex qua tantæ dulcedinis vis emanauit ; quæ vita & dulcedo est nostra ? quæque quantò magis hauritur, tantò magis excrescit, & fluit abundantiùs? quæ non modò pœnitentibus calidas lacrymarum aquas in dulces conuertit ; verumetiam iustis Deumque timentibus amœnissima gratiarum consolationisque fluenta suppeditat?

Obstupescite eapropter cæli super hoc , & portæ
Ier.2. eius desolamini vehementer , dicit Dominus . Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas , cisternas dissipatas,quæ continere non valent aquas.

Attendite, mundi amatores, Dei dona per beatissimam Virginem Mariam concessa spernentes ; videte an non vos ipsi vobis tali facto viam & portam cæli desolatis , vestroque æterno exitio inuiam redditis . Timete , ne idcircò satanicus Holofernes iusto
Iudith 7. Dei iudicio , aquæductum vestrum , per quem fons diuinæ gratiæ in vestram ciuitatem influit, intercîdat: dum Venam hanc vitæ Mariam, fontis gratiæ & vitæ matrem non veneramini . Timete, inquam, si sapitis, & tempus gratiæ , pluuiæ voluntariæ quam tam benignò

enignè piiſſimus ſegregauit hereditati ſuæ, tamque
æleſtis irrorationis occaſionem nolite negligere.
tque neſcitis? Aquæductus eſt ipſamet Virgo, cuius
ummitas cælos tangit, immò etiam tranſſcendit; vt
ontem illum aquarum, quæ ſuper cælos ſunt, contin-
ere poſſit, illiuſque fluenta ſuaui decurſu ad terram
eriuare. Natus eſt fons, & vſque ad nos peruenit;
c per Dei matrem, quaſi per venam venit. Teneamus
enam, & veniam inueniemus: teneamus eam; quia
am diuina ac limpida lympha fruentes, refocillabi-
ur, mundabimur, ſemimortui curabimur; immò
ortui reuiuiſcemus: quia Vena vitæ viua & vi-
ifica eſt.

Oratio.

DEus, cuius miſericordiæ fons eſt inexhauſtus, & bonitatis infinitus theſaurus; pectoribus noſtris rorem tuæ pietatis infunde; vt dilecti Filij tui genitrice Maria intercedente, ſemper in tuæ gratiæ participatione viuamus. Amen.

10. NAVIS INSTITORIS.

Absque te erat, panem ex alio quæ conuehis orbe,
Impia damnarat sæcula longa fames.

Thr. 4. & 2. PARVVLI petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: matribus suis dixerunt; Vbi est triticum & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas suas, in sinu matrum suarum. O miserandam antiquæ seruilisque generationis inediam, qua ne tantum alimoniæ cælestis suppetebat, quo conceptos productosque ex se fœtus spirituales aliquousque educarent! O beatos oculos, qui vident quæ nos videmus; ac felix sæculum, quo nauis Institoris, de longè portans panem, ad oras nostras, omni alioquin solatio destitutas, feliciter appulit!

Gaude mater, gaude proles, gaudete quæcumque nutricis vel baiulæ officio iuréve fungimini. Ecce, ecce, quàm vobis rerum ad victum pastumque necessariarum abundans copia in sacrosancta Virgine Dei matre Maria, conceditur! Lignum vitæ fructumque ipsius, ac Venam vitæ per illam atque in illa gustauimus; iamque per eius vbera de cælo plena suximus omnem dulcedinem, per quam cælestia dona ad nos sunt deriuata. Verùm, vt varium est paruulorum nutrimentum, tandemque pane vesci assuescunt; ità nunc in eadem hac nostra Patrona, solidioris quoque alimenti substantiã admiremur, & exultantes epulantesq; sumamus. Panẽ hîc habes? fauus quoque mellis in proximo est, vt tibi apponatur.

Exulta, filia Sion, exulta anima mea, & in splendore vultus dilecti tui vescere pane tuo. En, Nauis Institoris, de longè portans panem, felicibus ventis appulsa est; & ipsa tota tibi perlustranda, & per singulas partes summa cum admiratione gratiarumque actione contemplanda. Sed quid dicas, si hæc ipsa tantæ laudis in Dei Matre lustratio, tibi cibus & potus sit, magnumq;

Absque te erat, panem ex alio quæ conuehis orbe,
Impia damnarat sæcula longa fames.

Siet hier Godts goedheit groot, in Maria vnd ghegheuen,
Als meer-schip vol van broodt, bvorst-sy vnd voert het leuen.

Une eternelle faim estoit a nostre porte,
Quand cette nef le pain de vie nous apporte.

gnumq; fiat in ſpirituali tua nutritione augmentum? Delectabit animum, vires augebit, & ſolidarum tibi conferet incrementa virtutum.

O Maria, quàm te mirabilem prædicamus! quàm ſingularem & raram gratiarum inuentricem! quàm prudentem, fortem, & conſtantem Heroinam in aſſecurando ſalutis noſtræ negotio! negotiatione pęnè dixeram. Et quidni dicam? In figura ſiquidem tui, iam ante tot ſæcula, Salomon matrem ſuam exquiſitis extollens elogijs, Facta eſt (inquit) quaſi Nauis Inſtitoris, de longè portans panem. O diuinum encomium, ô rarum inuentum, ô diuinam erga genus humanum iam inedia moriens miſericordiam! O nauis, ô panis, ô inſtitor, ô puppis, ô prora, ô velum, ô venti, ô portus, ad quem appuliſti! Liceat, ô Deipara Virgo Maria, tibi laudi, nobis voluptati ac ſaluti, ſingula in te tam optatæ nauis armamenta partéſque percurrere, atque ex ſingulis vt certis notis certò colligere, fidemque facere, te hanc eſſe nauem, panem nobis è cælo portantem; quam non in ſpiritu vehementi contriuit Dominus, ſed in Spiritu ſancto ac leni, tamquam Inſtitor cæleſtis, aduexit. *Pro. 13*

Sed, quid primùm agemus? formámne, vel partes, atque armamenta, vſum, vectoremque ſpectabimus, vel ipſum panem de longè tranſuectum conſiderabimus? Cuncta per ordinem: & quoad nauem ipſam, ſingula in te quàm optimè quadrare dignoscentur, ô ſalutis noſtræ digniſſima reparatrix! Si formam totius vaſis attendimus; ſicut nauis ſubtus clauſa, ſupernè aperta, antè & retrò anguſtior & in medio ampliata; nónne ita tibi à parte terrenarum rerum cor clauſum, & ad cæleſtia apertum habebas? Numquid in initio & fine vitæ tuæ ſolicitior tibi, & nati filij, & orbatorum patre diſcipulorum cura incubuit, magiſque quàm intermedio vitæ temporiſque decurſu coarctabat? Numquid ex malo quoque, te nauem hanc eſſe cognoſcimus, taliter à Propheta deſcriptam?

Cedrum

Exe.27 Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum. Malus huius nauis, nónne & Christus fuit, non tantùm si sublimitatẽ ipsius in cedro spectemus, verùm etiam incorruptibilem qualitatem? Numquid & fructus vtriusque consentiunt? Poma siquidem cedrina quadam sui parte sunt dulcia, quadam acerba, in reliqua verò sui parte inter vtrumque medij saporis existunt. Quid vetet, ista in tribus Christi naturis partibusque primarijs obseruare? Nónne Diuinitas dulcissima est, caro autem in vita & passione amaritudine plena; anima verò, partim dolore repleta, in quantum suæ naturæ relicta patiebatur; partim verò plena dulcedine, in quantum Diuinitate fruebatur? Sed, quid si proram huius nauis, puppimque conspexeris, Christiane? quid non admirandæ consolationis ex beata Mariæ primordijs atque honorifico vitæ fine recolliges, quo diuinum in ipsa mysterium, quanta quanta est, admireris? dicasque exultabundus; O Diuina bonitatis, sapientiæ, & potentiæ incomprehensibile argumentum! Vis autem velum attendere? obstupesce. Numquid hic est Christus appensus cruci?

Exe.27 Audi Prophetam, & veritatem agnosce. Byssus varia de Ægypto, texta est tibi in velum. Nónne pictum quoque istud fuit? Candore puritatis in carne, rubore charitatis in anima, & aureo colore in Diuinitate. Iam ad merces ipsas ascendamus, chariſſimi, & eis locupletemur ad salutem; atque hinc quoque nauem hanc nostram agnoscamus; in cuius laudem maiori de causa, quàm de cruce concinimus; Sola digna tu fuisti ferre sæcli pretium.

O virtutes eximiæ, ô gratiæ singulares, ô nostrarum animarum solatia! sed inter omnia, ô panis angelice, de cælis allate! Tu Christe, panis hîc Angelorum, tu institor nauis huius admirandæ; & spiritus tuus super mel ducis, carbasi huius amplitudinem cælesti cum castimonia mirificè imprægnauit. Vereque de longè te nobis panem apportauit, quæ te de summis cælo-

cælorum,& sinu Patris,in virgineum suum sinum accepit. Sed ipsa quoque nauis de longè veniens,procul & de vltimis finibus;quæ benedicta super omnes mulieres, vas fuit admirabile opus Excelsi: quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem. Nam, à sæculo non est auditum; vt eadem simul & virgo esset & mater.

O Mater alma! propera, & pane tuo de cælis allato famelicos satia. In vniuerso siquidem orbe intolerabilis fames prævaluit; & panis mundi leuissimus est, inanis, & amarus; puluis panis eius. O mundani, ô inopes, ô famelici & esurientes! Accurrite, festinate; quare negligitis? Videtis quòd triticum venumdetur in Ægypto, quòd panis cæli venit in mundo. Ite ad Ioseph,quem Deus Pater vt iustum,sanctum,ac prudentem nauis huius de cælo panem portantis, vt sui granarij promum condum constituit, incorruptumque custodem delegauit.

O pietatem diuinam! ô prudentiam incomprehensam, cuius instinctu, exiguo ligno credunt homines animas suas; & transeuntes mare per ratem, liberati sunt. O raram humilitatis efficaciam! ô arcæ Marianæ, sanctæque Ecclesiæ salutare mysterium! Valeant naues Tharsis, & mundanæ rates, poma portantes, quæ odorem eorum vtcumque referentes, nihil de substantia retinent. Tibi adhæremus, ô Maria, quæ panem Angelorum verum ac supersubstantialem, vteri tui genuinum fructum, nobis protulisti: quem qui manducat, vitam æternam possidebit, atque adeò in semetipso habebit. *Sap. 14*

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, vt sacrosancta salutis nostræ mysteria frequentantes, beatæ Mariæ meritis, & in tuo semper amore crescamus, & angelico pane vegetati, nouum in dies veræ sunamus pietatis augmentum. Amen.

II. FAVVS DISTILLANS.

Fellis amara lues terræ circumluit orbem?
Virgineo edulcant indita mella fauo.

Pro. 24 COMEDE fili mi mel, quia bonum est; & fauum dulcissimum gutturi tuo. Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ. O factum benè! Gratiæ tibi immortales Deus immortalis, quòd pani per Nauem institoris de longè portato, pani inquam angelico, fauum quoque mellis adiicias, puero qui nobis natus est, educando. O dulce nutrimentum, ô salutare prolis spiritualis edulium, per quod in vitæ nouitate crescamus, & interioris hominis robur in dies singulos augeatur!

Nu. 11 Numquid & manna, saporis erat panis oleati; &
Exo. 16 quod pueris magis acceptum est, gustus eius, quasi
Pro. 25 similæ cum melle? Mel inuenisti, ô anima mea, comedat puer inde, quantum sufficit, ne satiatus euomat illud.

Gratiæ tibi, dulcissima Virgo Maria, quæ dulcedinis tuæ præstantiâ, mundi totius acerbitatem & amaritudinem dulcorasti: quæ doctrinam sapientiæ diuinæ nobis corporaliter genuisti, per quam, infatuatam generis humani massam mirabiliter sapore diuino imbuisti. Accingimini, accingimini, lugentes & cõtristati mortales, quorum ventres veteris noxæ cruditate sunt amaricati. Veni noua sæculi renouati prosapia, & accepti temporis soboles; vt nati feliciter, felici quoque pastu fruamini. En, mellis fauus apponitur, quem tibi mira liberalitate Maria produxit.

O temporis gratiæ, nouique Testamenti fœcunditatem! O cæli Deique in miseros mortales clementiam, atque abundantem benignitatem! Verè, cæli melliflui facti sunt, & montes stillarunt dulcedinem.

Iona-

FAVVS DISTILLANS.

Fellis amara lues terræ circumluit orbem?
Virgineo edulcant indita mella fauo.

Dat vnò de bitterheit deò Weerelò niet en doode;
Fò Maria vnò Beveydt, alò homirhraet vaij noode.

Si du monde le fiel cauſe de l'amertume;
A ce bournal de miel; qui toute la conſume.

Ionathas olim virgæ ſummitatem extendit, quam habebat in manu ſua, & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius. Heu, parcam diuinæ dulcedinis in antiquo Teſtamento libationem! ô mirandam tamen tam exilis beneficij præſtantiam; qua pauxillo mellis in extremitate virgæ guſtato, viſus guſtantis noua claritate illuſtratur! Numquid hoc ſpecimen fecit, ſpemque dedit, plenæ mentium illuminationis futuræ, quando temporis plenitudo veniſſet? Mel diuini dulcoris & gratiæ modica tantùm intinctione virgæ guſtabant, mel lambendo ſolummodò de petra ſugebant antiqui illius ſæculi filij, exaſperantis illius matris ſynagogæ: ſed longè aliud de fauo noui Teſtamenti futurum iam in ſuo modulo præguſtabant. 1. Reg. 14.

Auditis, amantes animæ, quid dicat ſponſus dilectus veſter, de Eccleſia ſponſa, eademque operâ, de beatiſſima ſua genitrice Maria, gratiâ plenâ? Fauus diſtillans labia tua, ſponſa. O Domine, quid hoc rei eſt? Si labia fauus, quid igitur ipſius os, genæ, oculi, caput, virgineus ille maternuſque vterus, & denique quid ipſa tota? Sique fauus diſtillans eſt; ergo melle refertus, plenus, turgens, abundans: ergo dulcis, amabilis, delectabilis, profluus & gratioſus. Cant. 4.

Labia tua, ô Moyſes, fauus non erant, nam plus amaritudinis habebant, quàm dulcedinis. Habebas, teſte teipſo, vocem exilem; & linguæ eras impeditioris; legiſque amaritudo erat notiſſima, quando oculus pro oculo, & dens pro dente iubebatur rependi. Neque, ô Moyſes, diſtillans eras, ſed aridus & ſaxeus, veloq; abſconditus, quadrans cum tuis lapideis tabulis, in quibus tamen reuerà erat abſconditum diuinæ legis arcanum, eiuſque ſubſtantiæ dulcedo concluſa, quam verè ex hac petra velut mel ſugere populi illi cogebantur. Sed vos, ô Iudæi, vt ſaxea corda gerebatis, cum tota veſtra ſynagoga; ita in Moyſe, & petra, Deut. 32.

tra, tabuliſque lapideis, ariditas & durities veſtra rectè fuit adumbrata.

Non tu ſic, ô Ieruſalem noua! ô Eccleſia gentium! ô virgo Sion, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, Maria! Fauus diſtillans, Eccleſiæ labia, Apoſtoli, prædicatores, doctores, ceterique tuorum myſteriorum præcones, rectores, paſtores, prælati: qui fauus mellis ſuis ſubditis eſſe debent amoris dulcedine, & quidem diſtillans affabilitate liberali ſuarum gratiarum ſuique totius communicatione, tamquam omnibus omnia facti, vt omnes lucrentur. Labia verò tua fauus diſtillans, ô Maria, decor humilitatis, ſermonis prudentia, modeſtia vultus, & totius denique habitus tui gratia, quâ gratiam in oculis Domini reperiſti.

Iudic. 14. Mel, parum mellitum, & parcum, veteris Teſtamenti, ex labiis & faucibus leonis collectum erat, Samſone teſte, ac rei latentis exemplo; at poſtquam tu, ô Virgo ſanctiſſima, gratiam mellitæ dulcedinis apud Altiſſimum inueniſti; facta es tu verè fauus diſtillans in labiis tuis; præſertim, quando verba illa melliflua, totius mundi ſolatio, protuliſti; Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Sed, numquid ampliùs, modoque adhuc magis eximio fauus diſtillans effecta es? Omnino: quando obſecro? Tunc omnium maximè, quando dulcem Ieſum Redemtorem noſtrum, quaſi fauum de fauo peperiſti. Numquid enim fauus, & mel in cera, Chriſti diuinitas in humanitate?

Quid vobis videtur, ô ſapientes, ô ſpeculatiui, ô Oedipi? Ænigma, ſi poteſtis, diſſoluite. Numquid tunc verè de comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo? Numquid verè Maria, nobis terra promiſſionis effecta eſt, quæ lacte & melle manauit? Gaudeamus de inuento fauo; de terra benedicta, & promiſſa, & obtenta: de monte ſtillante dulcedinem, & colle fluente lacte & melle.

At videte, mundani, voluptuarij; ne gratiam Dei

in

in vanum recipientes tamquam inutiles & abortiui proiiciamini. Ne anima saturata, sibi plena, sibi placens conculcet fauum; sed suæ potiùs miseriæ conscia, sitiens & esuriens, etiam amarum (quod à percutiente sananteque patris manu pati contigerit, ne cum hoc mundo damnetur) pro dulci habeat, & dulcedinis ipsius ac gratiæ copiam, pro cælesti nectare & ambrosia reputet. *Pro. 27*

Ita tu te geras, si sapis, ô anima mea, paupercula, & omnium indiga: sis humilis & paruula in oculis tuis, & Dei dona tibi per diuam Virginem Dilecti tui matrem concessa, magni semper facias, & grato animo perfruaris; vt quod in te, & ex te natum est, vitæ sanctæ propositum & cœptum, magis ac magis hoc tam salutari mellis edulio adolescat in virum perfectum: tuque omnia tua cogitata, dicta, & facta iuxta diuinæ voluntatis placitum, proximique vtilitatem, componendo, fauus aliquando distillans esse reperiaris, Deo & hominibus grata.

Oratio.

PRopitiare, quæsumus Domine, piis supplicum precibus ac votis; vt amoris tui dulcedine delibuti, & vitare queamus, quod gustatum adfert mortem, & beata Maria patrocinante, supernæ benedictionis gratiam acquiramus, vt gloriam felicitatis æternæ mereamur. Amen.

12. FONS SIGNATVS.

Non temeranda ſacrum claudunt ſignacula fontem:
Turbabit vitreas nemo profanus aquas.

Gen.21 SVRGE, tolle puerum, & tene manum illius; quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ, abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere. Numquid hoc de Agar, ancilla Abrahæ dicitur; quæ, conſumtâ aquâ in vtre, puerum abiecit ſubter vnam arborem, & è regione illius procul ſedit, ne puerum præ ſitis ariditate morientem videret? Si tantam geris Domine, tam ſupinæ negligentiſque matris, pro filij periclitantis incolumitate ſollicitudinem, quid non es facturus in ſtudioſæ fideliſque matris gratiam, vt ipſi in ſanctæ ſpiritualiſque prolis educatione ſuccurras? A

Veni itaque, ô anima mea, & ſingulari beatæ Mariæ virginis fauore adiuti, præſtantem hunc ipſius titulum, hunc in finem internæ deuotionis indagine perſcrutemur, vt & fontis huius fluentis vtamur, & ipſi quoque certo quodam modo fons ſignatus effici mereamur. Numquid audimus ſponſum in hunc Cant.4 modum de ipſa loquentem; Hortus concluſus, fons ſignatus, ſoror mea, ſponſa? Velut hortum concluſum aliàs expendemus, nunc vt fontem ſignatum te ô virgo Maria contemplabimur. Nónne rectè fons ſignatus appellaris, quæ aquam viuam fontemque ipſum vitæ produxiſti, ſine vlla tamen orificij fontis apertione?

Videte, ô dilecti deuotique Deiparæ virginis amatores & cultores, qualem, quantamque Heroinam, vniuerſæ felicitatis auctricem colatis, quam vobis in

Domi-

12. FONS SIGNATVS.

Non temeranda, ſacrum claudunt ſignacula fontem:
Turbabit vitreas nemo profanus aquas.

Weeſt ſuyuer, Wel bewaert, met gratie vuer-goten,
Alſ die maeght, die Godt baert, alſ een fonteyn be-ſloten.

Dieu de son sacré ſeau, signa cette fontaine,
Pour en afranchir l'eau, de la tourbe vilaine.

Dominam ac patronam elegistis ! Eia, bonâ vestrâ
B sorte lætamini. Hæc est enim illa benedicta paradisi terra, de qua sic in sacrę Scripturæ principio legimus; Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. *Gen. 2.* Verè hic locus, de quo fons ille debebat ascendere, qui vniuersam terræ superficiem irrigaret, superbenedictus scilicet Virginis vterus, ex quo fons viuus, Christus ascendit, mundum vniuersum sua gratia rigaturus.

C Numquid fons iste quoque in quatuor diuisus est capita, quando Dominus ac Redemtor noster, matris Mariæ Vnigenitus, quatuor maximis in nos beneficiis influxit? Quæris, ô Christiane, discipule Domini, mysteriorum amator, quænam hæc fuerint fluminum gratiæ capita? Creationem in primis attende, recreationem expende, considera iustificationem, & quartò glorificationem ex hoc fonte manantem contemplare. O quàm amœnè, quàm lætanter, atque insuper quàm vbertim fluit; quamque copio-
D sa apud Dominum nostrum reperitur redemtio! O quàm nunc verè paruus fons creuit in flumen maximum; & in aquas plurimas redundauit! *Esther 11.*

O felix sacra virgo Maria, terra fontem generans, & fons ipsa verè fontem vitæ producens ! neque solùm quatuor his in filio tuo fluentis scaturiens; verumetiam in eodem tot quotidie fontes in vitam æternam salientes educens, quot fiunt verè fideles; quotquot renati fonte Baptismatis, per piæ vitæ decursum, orationibus, meditationibus, bonis suspiriis & votis, ac potissimùm ardenti amore, ac charitatis operibus, mente & spiritu cælestibus inseruntur: hauriunt, potant, inebriantur; vt instar conchæ semper sibi repleti, proximis quoque per charitatem ad modum canalis & fontis sint profluí; fons signatus sibi, saliens aliis in commune æternæ vitæ compendium.

Tu itaque, ô Domina, mater nostra, tu nostræ salu-

Isa. 58. tis inuentrix, tu Mater digniſſima noſtri Saluatoris, tu fons aquarum cuius non deficient aquæ. Sed quid? *Zach.* num, quia Zacharias patentem hunc fontem vocat, 13. (erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem) miraris mundane, terrena ſapiens & cæleſtium indigus, quonam pacto fontem eumdem ſignatum appellemus? Diſce itaque. Non ſolùm ſignatus fuit, quòd mater exiſtens Maria, virgo permanſerit; verumetiam, quòd ſingulari Dei prouidentia fuerit hic fons cuſtoditus, ne vllis huius ſæculi ſordibus ceu cœni colluuie ſordidaretur. Patens igitur, quia omnium vſibus fuit expoſitus, pauperis æquè ac diuitis: ſignatus verò, quia nulli pollutioni ſubiectus, nullis coinquinamentis expoſitus. Fœcunda igitur Mariæ virginitas, fons ſignatus eſt; qui aquam viuam nobis in Chriſto protulit, qui tamen virginitatis clauſtrum non reſerauit.

Nónne ita ſepulchrum tuum Domine ſignatum ſigilliſque munitum audiuimus, & tamen inuiolatâ ſepulchri clauſurâ poſt triduum rediuiuus exiſti? Quid ſi dixero, Matris tuæ Mariæ ſecretum, præter intemerati pudoris ſignaculum, etiam Angelorum cuſtodia fuiſſe munitum, quemadmodum monumentum tuum, præter ſignatum lapidem, etiam munitum fuit cuſtodibus? Age, virginalis epithalamij decantator; dic nobis Rex pacifice, quod in ſpe- *Cant.* 3 ciem ſuper huius cuſtodia thalami præuidiſti. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Satis, ſatis! ecce pluſquam Salomon hic, qui in te, diua Virgo, tamquam in ſole poſuit tabernaculum ſuum; & ex te, ſicut ſponſus egreſſus eſt de thalamo ſuo.

O benè ſignatum & cuſtoditum fontem, & mirè E patentem; quò nec manus, nec pes, nec oculus hominis, aut beſtiæ agri, acceſſum vmquam inuenit; quem neque volucres cæli, neque vllæ aëreæ poteſta-

tes

tes aliquo modo potuêre coinquinare; & cui virtutes omnes, dona cæleſtia vniuerſa, atque angelicæ poteſtates in tutelam fidam conceſſæ ſunt: qui tamen tam vniuerſo mortalium generi eſt in vſum atque vtilitatem expoſitus; vt non viuat, qui Mariæ patrocinium piè rogarit, & repulſam ſit paſſus.

Age igitur, ô anima mea, & ex hoc fonte ſic hauri, ſic te tuamque prolem pota, ſic in omni neceſſitate tam ſalutari lympha refocilla; vt tu quoque ipſius exemplo & auxilio, fons ſignatus euadas: ſcaturiens quidem in omne bonum, ſed clauſus & obſignatus ad omnes inſidias & incurſus inimici. Alioqui, cuſtodi teipſam ſollicitè, ne des aquæ tuæ exitum, nec modicum; nec mulieri nequam (corruptæ ſcilicet naturæ, prauæque voluntati) veniam prodeundi. *Eccli.* 25.

Oratio.

ANimæ noſtræ, Domine, ſicut terra ſine aqua tibi; pietatem itaque tuam, beatæ Mariæ intercedentibus precibus ac meritis, imploramus, vt illas gratiæ tuæ fonte fœcundes, quatenus peccata noſtra dignè plangentes, & remiſſionem peccatorum te miſerante mereamur accipere, & tibi ſincero corde ſeruire. Amen.

13. PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM.

Sæcla perennantes puteo quis sufficit vndas?
Ductus inexhausto tullius oceano.

Cant.4 FONS hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Verè, Domine Deus, magnam habet aqua gratiam: quòd ea quæ timemus in terris, amamus in aquis. Quæ noxia in terris, in aquis innoxia sunt; quam etiam vim habet aqua in Ecclesia tua. Ionam emendauit aqua, quem terrena deflexerant: psallebat in vtero ceti, qui mœrebat in terra. Petrus confessus in fluctibus, quem in terra negabat. Aquæ seruarunt, quem homines crucifixerunt. Sic adhuc quotidie admiranda salutaris aquæ præstantia, tum in præcipuis Sacramentis, quæ in aquarum substantia condidisti; tum in cælestibus multiformis tuæ gratiæ fluentis, per quæ fideles tuos in Ecclesia tua fœcundas, & iuxta suam vnumquemque sitim ac desiderium refocillas & potas.

Sed, ô singularem aquarum viuentium thesaurum, quem nobis in sacrosancta dilecti filij tui matre tradidisti! In hac ipsa, de ligno vitæ gustauimus, de vitæ vena libauimus, de pane quem de longè portauit comedimus, fauum mellis distillantem lambuimus, & de fonte signato potauimus: iam, quæ tua Deus est munificentia, in eadem puteum aquarum viuentium reperimus. Tu verò, fons hortorum, Maria, cordium nostrorum areolas irrigans, tu puteus aquarum viuentium, de Libano fluentium cum impetu, quo feruorem tui desiderij ad consolandum exules filios Euæ, declaratum agnouimus.

Venite & videte charissimi, studiosi mecum meliorum charismatum æmulatores, & rogemus pariter;

Num-

3. PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM.

Sæcla perennantes puteo quis sufficit vndas?
Ductus inexhausto tullius oceano.

Warght-u van 's Heeren pleyn, dat quade lusten heeft;
Maer keert-u ter fonteyn, die troost en leuen gheeft.

Qui fournit a ce puy, son eauë touſiours viue?
Mon Dieu, de votre appuy, cette ſource deriue.

Numquid hic est, Domine, puteus ille patris nostri Iacob, iuxta quem sedisti lassus, hoc est, pertæsus peccatorum & miseriarum mundi pereuntis? Numquid hic est puteus gratiæ, misericordiæ, ac reconciliationis humanæ, capacibus matris tuæ complexibus charitatis inclusus, iuxta quem sitibundus salutis nostræ, dixisti Samaritanæ nostræ Mariæ; Mulier, da mihi bibere? Numquid circa hunc eumdem, quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita tu, quasi canibus actus ac fatigatus, ad nostram salutem anhelans, adspirasti? Agnosco desiderium, Domine, agnosco & mysterium. Venisti ad Prophetissam, ad Virginem; & per Gabrielem angelum tuam illi sitim nuntiasti; & quasi vnicornis præ agitatione feruentis desiderij furens, in sinu Virginis mansuefactus, quieuisti, & captus es: captus inquam es, in salutem omnium te capientium, vt à te salubriùs caperentur.

Salue igitur, Mariæ, miserorum solatium, languentium fortitudo, spes afflictorum, puteus aquarum viuentium, laborantium sitim sedans, & gentium pacans gemitum. Numquid, ô amici, felicitatis huius cælestis consortes, numquid aquæ viuentes sunt, gratiæ perennes, è cælesti vena fluentes, numquam in se stagnantes, neque industriâ humanâ collectæ, vel ex magno mari mundi haustæ?

Ite, sæcularium desideriorum ac voluptatum carnalium cultores, atque in aquis maris mortui, marisque solitudinis oblectamini, quæ mundum sapiunt & significant. *Ioſ. 2.*

Numquid illæ quidpiam viui producunt, & non potiùs viuentia enecant? Sunt aquæ Ægypti, deliciæ mundi, computrescentes iudicio Dei, & pisces qui sunt in hoc flumine perimentes. Non poterant Ægyptij bibere aquam illam, quia sanguis erat in tota terra Ægypti; & vos stulto mundi amore ebrij peccatores, amarissimas salsissimasque eius aquas amatis? *Exo. 7.*

Sed, gaudete, si sapitis, & de beneficio toti mundo per Mariam exhibito congratulamini. Ecce, dulcissima nostri Redemtoris Genitrice mediante, ceu puteo aquarum viuentium, aquæ vestræ mortiferæ, per Dei gratiam ab hac Virgine inuentam, salisque sapientiæ ex hoc puteo haustæ commistione sanantur. Non meministis, quid in vestri figura viri Iericho olim ab Elisæo petiuerint? Audite quid inquiunt: Ecce, habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis; sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. Ita vobis, ô mundi habitatores insipidi, sæculi huius habitatio, licet sterilis sit terra, & aquæ pessimæ, optima esse videtur; ita mundi præstigiis infatuatum est vobis omne cor atq; iudicium. Sed remedium apprehendite. Afferte, inquit vir Dei, mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait, Hæc dicit Dominus; Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ, vsque in diem hanc. Numquid amaritudo mundique mortalitas, per fœcundam hanc Virginem, matremque virgineam, puteum aquarum viuentium, sublata est? Numquid hoc in typo ceu speculo quodam, & tamquam ex eodem hoc fonte promanans, vsus ille sacer Ecclesiæ fulget, quo lustralis aquæ aspergine cuncta sanctificat? Numquid hoc quoque per figuram de Leuitis olim mandatum fuit à Domino: Tolle Leuitas ex medio filiorum Israel, & purificabis eos, iuxta hunc ritum aspergantur aqua lustrationis.

4. Reg. 2.

Num. 8

Sed, ô beatissima ac dulcissima Virgo, patrona nostra singularis, Maria, edissere nobis, si placet, hanc tui caussâ surgentem emergentemque ambiguitatem. Quomodo te priùs, & quidem non nisi ductu sacræ Scripturæ, fontem diximus, & nunc puteum appellamus, quam anteà quoque fluuio comparauimus? An ista solutio? Num, quòd aqua quidem viua Christus est, eiusque abundans gratia, quem tu nobis pro-

roduxisti : sed, quòd ideò fortè quibusdam est hæc gratia puteus; quia, dum peccatoribus occulta est, per laborem pœnitentiæ illam debent haurire, & cum sancto illo lapso, de profundis clamare ? An ideò quoque quibusdam instar fontis est, quia deuotis ac piis vltrò manat; eisque se citra magnum laborem communicat ? fortè etiam eapropter quibusdam hæc eadem gratia ceu flumen est, quia illis peculiari Dei munificentiâ largiter & abundanter effunditur vt affluant. Alioquin, Domine, gratia tua (nisi quis suâ culpâ sibi reddat abstrusam) ex se fons patens est, & vbertim effluens. Aquæ itaque tuæ, ô Maria, intrent mare & exeant, & sanentur aquæ : atque omnia ad quæ venerint aquæ istæ, sanabuntur & viuent. Nec mirum ; quia aquæ tuæ, ô Virgo benedicta, subter limen domus Dei ad Orientem egressæ sunt, & in latus templi dextrum, iuxta propheticam visionem, descenderunt. *Ezech.* 47.

Oratio.

DEus, qui præcipua quæque Ecclesiæ Sacramenta in aquarum substantia condidisti; da, vt renatis fonte Baptismatis, vna sit fides mentium, & pietas actionum; vereq; in eis fiat tuâ gratiâ fons saliens in vitam æternam. Amen.

14. TORRENS MELLIS ET BVTYRI

Hyblæo quæ melle fluit, lactiſq́, medullâ,
Quid niſi delicias Emmanuelis alit.

3. Reg. 17. SVRGE, vade in Sarephta Sidoniorum & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te. Vide, ô anima mea, dilecta dilecti tui; videte vos quoque omnes, quotquot fœcunditate ſpirituali, fructum nouæ vitæ ſecundùm Chriſtum agendæ nutrire, & ad perfectum vſque educare nitimini, & fortaſſe laboratis. Videte, inquam, ſupernæ bonitatis erga veſtrum hoc pium ſtudium prouidentiam & benignitatem. Sugite mel de petra, fauum præ plenitudine diſtillantem adlambite, de fonte ſignato, de vena vitæ, & ex puteo aquarum viuentium haurite, bibite; quin & nouæ vitæ primordia, ſancta germina, fœtumque diuinum, viuacibus híſce deliciis & eduliis paſcite, fouete, roborate. Quid enim nobis Sarephta, niſi angustiam bucculæ ſonat; humilitatem virginis, matris egeſtatem, anguſtiam ſtabuli? Sidon verò viaticum ſeu cibarium? quo nobis certò conſtet, & diuino velut oraculo nuntietur, in hac Sarephta Sidoniorum nos abundè cibaria reperturos, quorum confortati præſidio, ex hac mundi miſeria & anguſtia ad amplitudinem patriæ cæleſtis pertingamus. Surge Elia, Deum ſaluantem quærens, amans, colens Chriſtiane. Surge inquam & exurge, à puſillanimitate ſpiritus, propter innatam formidinem; & ab animi tempeſtate, propter inſidiantium perſecutionem. Surge mente, ſurge ſpe & fiducia, in hac tua egeſtate: & vade in Sarephta Sidoniorum: præcepit ibi Deus mulieri, vt paſcat te. Et quænam illa, quæris? Eſt illa mulier miſericors Sarephtana, mulier illa magna Sunamitis, mulier illa ſapiens in Abela, mulier Prophetiſſa in Ephraim, mulier fortis in Ieruſalem, mulier virum

circum-

TORRENS MELLIS ET BVTYRI.

Hyblæo quæ melle fluit, lactisque medullâ,
Quid nisi delicias Emmanuelis alit?

Op dat u goedt pvopooſt beſkyue in t'deughdivh leuey,
Hier vvevdt u t'uvvey tvooſt boter ey melxk ghegheuey.

Aus delices du ciel, la Vierge-mere donne
Et le beurre et le miel, dont le sein luy ſurionne.

ecumdans; Virago, Isla, Maria: cui singulari Deus
idulto & magno priuilegio demandauit, vt pascat
, & puerum quem ipse dedit tibi: illi mandauit de
, ac præcepit illi, vt te nutriat, vires suppeditet,
tam habeas, & abundantiùs habeas, vt valeas, vt
rgetus ac fortis fias; vt accingas quoque fortitudine
mbos tuos; vt in fortitudine cibi illius, quem illa
tura est tibi, ambules quadraginta diebus & qua-
raginta noctibus, tempus nempe vniuersum vitæ
hius mortalis & caducæ, bonis malisque permistæ:
onec venias ad montem Dei Horeb, montem Do-
ini, montem excelsum Dei excelsi, vbi accipias be-
dictionem à Domino, misericordiam, gratiam, &
oriam à Deo salutari tuo.

Gratiæ tibi Domine, pro tanta hac tua charitate
prouidentia, erga me indignum famulum tuum,
filium ancillæ tuæ, animæ meæ, tibi placere & ser-
re cupientis. Dicamus omnes gratulabundi felices
lij Euæ, sed non iuxta formam murmurantis seque
cusantis Adæ, dicamus læti, dicamus grati, dica-
ius vnanimiter collaudantes datorem & datum;
Domine! mulier quam dedisti nobis, dedit nobis
e ligno vitæ, & comedimus illud, vt ignoremus
ortem, neque eam gustemus in æternum. Dedit
bis de vena & fonte vitæ, & bibimus; & reuersus
t in nobis spiritus, quem amiseramus quia miseri
ras emiseramus. Dedit nobis de fauo mellis, &
medimus quantum sufficeret, & ecce aperti sunt
culi nostri atque illuminati, vt videre & gustare in-
piamus, quàm bonus & suauis es Domine, qui tam
na ac suauia nobis electuaria in hac muliere, vir-
ne Maria, concessisti.

O maternam virginis fœcunditatem! ô virgineam
atris integritatem! ô mulieris prudentiam! ô patro-
e benignitatem! ô Prophetissæ sublimitatem! ô He-
inæ fortitudinem! ô amœnam & almam nutricis
ertatem! ô ancillæ Domini principatum! ô matris-

fami-

Pro. 31 familias ſollicitudinem ! quæ conſiderat ſemitas e
mus ſuæ , & panem otioſa non comedit : quin &
nocte ſurrexit, quando omnes in tenebris & in vm
mortis ſedebant ; deditque prædam domeſticis ſu
prædam, quam deuotiſſima humilitate ſua de ſum
cælorum detraxerat : prædam ſpontaneam, diuina
rapi geſtientem , ſalutem omnium noſtrûm iam
æterno ſitientem , prædam inquam prædari quær
tem , quia deliciæ eius eſſe cum filiis hominum. I
ditque cibaria ancillis ſuis, humilibus, ſeruituti di
næ mancipatis , fidelibus , piis Chriſtianis creden
bus, bonæ voluntatis hominibus , Legi mentis atq
diuinæ conſentientibus , obtemperantibus , diuin
prolem in matre colentibus. O prædatrix Maria, v
rè prudens & pia ! Eat nunc auarus , impius , hyp
crita , ſuperbus ; & ſe, quiſquis volet , vanidis hu
mundi quiſquiliis ſaginare contendat ; non ſaturab
tur : famem tales patientur vt canes , & deuorabu
eos aues morſu amariſſimo, mors depaſcet eos.

Iob 20. Anne putatis , quòd eiuſmodi terræ filius, riuul
fluminis, torrentes mellis & butyri videbit? Aberrab
toto cælo , niſi reſipiat. Te , ô ſuperbenedicta virg
Maria, non amant mundani nec colunt , quia non n
runt te , neque filium tuum Ieſum Chriſtum ; vn
etiam dulcedine veſtra non fruuntur. O Maria patr
na noſtra , bonæque noſtræ voluntatis adauctrix
fautrix ! te laudamus , te inuocamus , tuum implor
mus auxilium. Tu nobis eſto in hac vita vitæ morta
lis, ſpes vnica vitæ immortalis. Eſto tu nobis torre
mellis & butyri ; vt iuxta nutritionem Vnigeniti tu

Iſa. 7. butyrum & mel comedentis, diſcamus & nos repr
bare malum & eligere bonum.

At , venite filiæ Sion , animæ cæleſtium myſteri
rum ſpeculatrices ; nónne videmus hîc in Domi
Gen. 11 noſtra, non ſolùm Saram tria ſata farinæ miſcenten
ſed & Abraham diſcurrentem , apponentemq; nob
butyrum & lac; vt cõfortetur cor noſtrum, & tranſe
mu

nus viam noſtram virtutum, cum Domino & Angelis eius? Sed ecce, numquid etiam in Domina noſtra Maria virgine, inſtitrice, & nutrice noſtra, grandæum Berzellai nobis in Dauide inediam cum ſuis patiente, offerentem frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum caſeum, & mel & butyrum? Iam nihil eſt adeò, quòd de educanda prole noſtra ſpirituali ſolliciti ſimus, in tanta ſpiritualis alimoniæ abundantia. 2. Reg. 17.

Sed numquid hîc quoque Iahelem contemplamur? Surge Maria, ſurge Iahel noſtra: Ecce accurrit Siſara, aduerſarius noſter: in tabernaculo corporis noſtri ſenſuumque noſtrorum tentorio deliteſcere cupit inſidiator; vt recollectis ibidem viribus, in caput noſtrum, animam inquam noſtram, inſurgat atrocior. O Maria! tu mulier illa, de qua dictum eſt ab initio; Inimicitias ponam inter te & mulierem; inter ſemen eius & ſemen tuum; & ipſa conteret caput tuum. Contere, ô mulier fortis, caput Siſaræ, diaboli frange potentiam & conatus elide. Vtque ſecurior id exequaris: aperi vtrem lactis (non quo tuos lactas filios, filij tui fratres, Chriſtianos) ſed lactis ſoporiferi & hallucinationis; & clauo tabernaculi, virtute confixi Chriſti, tempus capitis eius transfige, vt ſoporem morti ſocians deficiat. O virtutem eximiam torrentis mellis & butyri, non minùs in hoſtium infeſtorum excidium, quàm in vernaculorum & amicorum ſalutem ſempiternam! *Iudic.* 4. & 5.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſterilia tuorum corda fœcundas, & nouam virtutum proſapiam facis progignere: da nos ita ſpiritualibus ſemper nutriri alimentis; vt B. Mariæ patrocinio, & in bono cœpto creſcamus, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

IN

IN VII. TITVLOS ORNANTES

ARGVMENTVM.

ATVS *homo educari debet, quemadmodum septem præcedentibus titulis est ostensum: sed cùm præcipua educationis sit portio, debitus morum ornatus ac compositio; Sapientia in primis est necessaria, quæ in ornamentis humanæ vitæ primarium locum tenet. Nam, teste ipsomet Sapiente*

Pro. 11 *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua.*

Ps. 44. *Econtrà verò; Omnis gloria filiæ Regis (animæ fidelis) ab intus; in fimbriis aureis: sapienter & secundùm ordinem omnibus ad finem & consummationem vsque dispositis. In vestitu deaurato: sapientia nimirum vera; quæ pretiosi vestimenti loco deseruiat. Itaque septem titulos nouam prolem ornantes tractaturi, à sapientia sumamus exordium.*

15. DOMVS SAPIENTIÆ.

Quæ domus hæc? Sophiæ. Casto tere limen amore,
Inter cælestes annumerande sophos.

Pro. 9. SApientia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem. Inquiramus ô anima denuò, ad securiorem operis incepti progressum; Quid debemus

Iudic. 13. facere de puero, qui natus & datus est nobis? Educandus haud dubiè, erudiendus, atque in omni morum ornatu formandus est; vt qui ex Deo natus est, à parentis nobilitate non degeneret: sed, vt, postquam hic eius imitator exstiterit, cum eodem corregnet in cælis. Iam igitur, anima mea, teipsam quasi domum benè ordinatam & instructam debes efficere, sicque comparare, in qua æterna Dei sapientia, vnigenitus

inquam

DOMVS SAPIENTIÆ.

uæ domus hæc? Sophiæ. Casto tere limen amore,
Inter cælestes annumerande sophos.

iet hier het huys der deught, der Wysheit, en der Heeren:
eert-dan voort, hoe ghy meught komen ter hooghster eeren.

Vers ce temple d'Honneur, ou loge la Sageſſe
Redreſſés, ô Seigneur, les pas de ma ieuneſſe.

inquam Dei atque Mariæ filius habitet, ſuamque faciat manſionem.

Numquid Eccleſiam ille ſibi conſtruxit, ac ſeptem in ea Sacramentis ſancitis, quaſi columnis ſeptem, è ſolida rupe exciſis, eamdem ſtabiliuit? Nónne matrem quoque ſuam eiuſmodi domum exædificauit, ſanctificauit, omnique virtutum, ac gratiæ ornamento repleuit? Sed & ipſa eſt ſapiens illa mulier, quæ *Pro. 14* domum ſuam ædificauit, bono ſinceri in Deum amoris iacto fundamento, atque inconcuſſis ſolidarum virtutum muris erectis, tectum cæleſtium contemplationum impoſuit, morumque honeſtiſſimorum ornamentis inueſtiuit. Quemadmodum igitur hanc, ô anima mea, Patronam hactenus elegiſti, in ſpirituali ſanctioris vitæ prole fideliter educanda; ita in eadem ritè formanda atque ornanda, eandem obſerues oportet. Noli, obſecro, quidquid agas, inſipientem illam imitari mulierem, quæ exſtructam quoque domum, indiſciplinatâ ſuâ agendi ratione, conuellit, & deſtruit. Nónne peſſum ire debent optima quæque, niſi ſapientia gubernante conſeruentur?

O Dei mater alma, virgo benedicta Maria; ſuſcipe me hodie in tuum ſeruum, diſcipulum, filium. Diſcere, proficere, & tandem te dirigente atque adiuuante, deſidero ad diuinæ ſapientiæ famulatum ac familiaritatem pertingere; vt intrans & exiens in omnibus quæ acturus ſum, ſapienter me geram.

Accurrite, accurrite, veri Iſraelitæ, deuoti Chriſtiani, in omni genere ſapientiæ ſalutaris erudiri cupientes, & ſapientiæ Sanctorum ſtudioſi amatores. Si primus ardor diſcendi nobilitas eſt magiſtri atque excellentia præceptoris; certè nos meritò debet doctricis noſtræ dignitas ad amorem ardoremque diſcendi permouere.

Inuenimus Magiſtram, Meſſiæ matrem, domum Sapientiæ, virtutum ſcholam, atque Angelicæ puritatis doctricem, omni decore adornatam, gratiâ ple-

*Eze.*43 nam. Ecce, ecce inquam admirabile factum: Im-
3. Reg. pleuit gloria Domini domum hanc Sapientiæ, sicut
8. orante Salomone impleuerat gloria Domini, domum
Domini. Numquid ita dignum & iustum erat? Num-
quid ita de illa pater Salomonis Rex Dauid fuerat
vaticinatus? Nónne, quando hanc ædem à se præpa-
ratam, à Salomone verò exstruendam in spiritu præ-
uiderat; atque in ea, ceu figurâ magnificâ, domum
hanc, beatam Mariam, velut propriam Christi veri
Messiæ habitationem ac sacrarium, gratulabundus
Ps. 92. exclamauit; Domum tuam decet sanctitudo Domine,
in longitudinem dierum; quia in æternum, & in sæcu-
lum sæculi?

O quàm te multis nominibus Sapientiæ domum,
Virgo sanctissima, prædicamus! Te Sapientia Dei,
Christus, vt summus architectus ædificauit; te vt
verus Salomon sanctificatam Deo dedicauit, inhabi-
tauit, omnibus ornamentis impleuit, nouem in te
mensis corporaliter requieuit, & inde mundum in-
terim vniuersum summâ sapientiâ gubernauit. Num-
quid & tu, ô Mater superbenedicta, verè in ipsius
Eccli. tuamque laudem dixisti; Qui creauit me, requie-
24. uit in tabernaculo meo? Numquid æquè verè de te
Propheta præcinuit; Sanctificauit tabernaculum
suum Altissimus? Nónne Spiritus sanctus obum-
brauit tibi? Numquid & te supra firmam petram
fundauit, quam in sua charitate firmauit, & in seipso
*Cant.*8 totam stabiliuit? Dum enim, ô Dilecta, super dile-
ctum tuum sic innixa fuisti, Deum ipsum pro funda-
mento habuisti.

Sed, ô suauissimam domus huius ædificatio-
nem! ô virgineam in ea templi viui, veri Salomonis,
productionem! Malleus & securis, & omne ferra-
mentum, non sunt audita in ea, cùm ædificaretur;
illaque petra fuit in ea excisa sine manibus, de qua
septem Sacramentales columnæ excisæ sunt. O sa-
pientiam diuinam, ab originali noxa cunctisque in-

quina-

quinamentis carnis & animæ Mariam præseruantem! O altitudinem diuitiarum Dei, qua factum est, vt nihil esset in templo eius, quod non auro charita-
D tis & sapientiæ tegeretur! Beati serui tui, Domine, qui habitant in domo tua, & participant de tua sapientia. Dicis etenim tu de hac ipsa magnificè: Ego elegi, & sanctificaui domum istam: eruntque oculi mei, & cor meum ibi, cunctis diebus. O Domine, da quæsumus, habitemus in ea, ibique discamus prudentiam. Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. 3. Re. 9. Ps. 64.

Ad te itaque confugimus, sancta Dei Genitrix, tamquam ad domum & sedem Sapientiæ, in qua vera cæ-
E lestium rerum sapientia, adornatrix animarum addiscitur, & hauritur. Tu namque, ô Maria, es mulier illa sapientissima, quæ ad Dauid verum venit, & patrocinium causamque refractarij filij suscepit, & reconciliationem ipsius obtinuit: dicens ei; Reduc eiectum tuum; genus humanum, per peccata deperdi-
F tum; sed tamen à Deo Patre in salutem electum. Tu es illa quoque prudens mulier, Maria, quæ eumdem iratum placasti, pro stulto Nabal, Adamo, omnium nostrûm parente, sollicitans; tibique responsum ab illo, Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne vlciscerer me manu mea. Ecce, audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. 2. Reg. 14. 1. Reg. 25.

Oratio.

DEus, qui per ineffabilem tuam sapientiam mundum condidisti, & per eamdem vniuersa conseruas, & conseruata gubernas; mentes nostras, quæsumus, cælestibus instrue disciplinis; vt quæ tibi sunt placita cognoscentes, illa quoque intercedentibus B. Mariæ virginis meritis, exequamur. Amen.

16. SPECVLVM SINE MACVLA.

Illimi hoc ſpeculo maculoſos inſpice vultus,
Exemploq; animum candidiore laua.

Sap. 7. Ps. 44. CANDOR eſt lucis æternæ; & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis; & imago bonitatis illius. Quemadmodum tu Domine, ſpecioſus es forma, præ filijs hominum; ac ſpecie tua & pulchritudine tua intendis, proſperè procedis, & regnas; ita concupiſcis decorem animarum noſtrarum, cuius virtute & præſtantia, tecum etiam proſpero viæ virtutum ſucceſſu & progreſſu, aliquando regnemus. Tu ſcis Domine, quia A amo te; quia dilexi decorem tuum, & pulchritudinem agri pleni, quæ tecum eſt; vt & ſpeciem Eccleſiæ tuæ ſponſæ; atque ſpeciali modo glorioſæ ac beneplacitæ tibi matris tuæ virginis Mariæ. Quod namque primariè ſenſu ſublimiſſimo de te, vt æterna Patris ſapientia diximus, hoc inſigni quoque communicatione ſplendoris, ac immaculatæ puritatis pluſquam angelicæ, de illa lætantes profitemur; Speculum eſſe ſine macula.

O felices nos, homines bonæ voluntatis, viros deſideriorum, docibiles Dei, boni æmulatores, ſtudioſoſque indagatores quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, tametſi Domine imperfectum meum magnum nimis videant oculi tui.

Huc, huc, formarum amatores & amatrices, ſpeculatores & ſpeculatrices, & quotquot eſtis ad vnum, curioſi pulchritudinis humanæ obſeruatores & ſectatores; adeſte, & vultum animarum veſtrarum, formamque conuerſationis veſtræ ad gratiam Dei, & beneplacitum eius qui corda intuetur, componite. En B vobis ſpeculum ſpeciale, verè rarum & ſingulare;

non

Illimi hoc ſpeculo maculoſos inſpice vultus;
Exemploque animum candidiore laua.

Dat u den Vhille idoon altydt tot Vhelfden tyerkt;
Aen-ſiet Maria ſchoon, alſ ſpieghel ſonder vlerkt.

Au criſtal clair-luisant de ce miroir ſans tache
Allés-moy fourbiſſant les traits de votre face.

non quòd nævos & maculas, rugas atque alios formæ defectus tantùm ostendat, quod communium est speculorum : verumetiam quòd omnino tollat, & maiorem pulchritudini gratiam conferat.

Meriróne tibi, ô Maria, speculi sine macula titulum damus, quæ teste dilecto tuo, tota pulchra es, & macula non est in te? Nam quemadmodum in filio, sicut in speculo, Dei patris maiestatem attendimus ; ita quoque filium in te, sicut solem in speculo contemplamur. Nónne filijs hominum rectè speculi vicem obire dignosceris, quæ cuiuis mortalium statui, virginali, coniugali, & viduali, exemplo tuo sancto perfectoque præluces? Sit nobis (iuxta Sancti cuiusdam præscriptum) tamquam in imagine descripta virginitas vitæ Mariæ; in qua, velut in speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis exempla viuendi; vbi tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt.

O miseræ atque infelices perituræ formæ contemplatrices, vanitati studentes, quæ mendaci fucatoque gaudetis speculo, vt vestrismet saltem oculis pulchræ
C videamini, cũ sitis deformes ! Vtinam saltem speculis vestris, sed fidelibus & veris, hunc in finem vtamini, quo philosophus ille quondam, qui discipulos suos speculum iubebat inspicere; vt, si forma placeret, fœdis eam moribus non dehonestarent; sin verò quid formę deesset, illud supplerent virtutibus, morumque decentia; quibus præclariùs quàm corporali pulchritudine, & formæ specie ornati incederent. Nam, sicut maximè dedecet, pulchros malos esse; ita abundè defectum formæ suppleuerit, quisquis bonis se moribus exornarit.

Eant nunc igitur vanæ istæ & turpes, & quandoque decrepitæ facierum suarum depictrices ; sibi nescio quam adhuc semper formam ac speciem sic satis honestam & formosam affingentes, pictore diabolo,

phantasiam imagine mendaci fallentes. Sed & vos resipiscite, vanę laudis amatores, vosmetipsos in oculis hominum contemplantes, vobisque hisce obtutibus complacentes: qui vobis tantoperè in speculis hisce fallacibus arridetis, vt tales prorsus vos esse credatis, quales illi vos adulantibus linguis depingunt, oculisque adblandientibus videntur referre. His addendi venitis, amore proprio excæcati; qui quod vitiosum atque deforme in vobis est non attendentes, in vanas quasdam propriæ complacentiæ species defigitis oculos; dumque vos in profundo vestræ ignorantiæ puteo, vel sæculi littore contemplamini, non vsqueadeò vobis deformes videmini; putantes vos aliquid esse, cùm nihil sitis: fallentes vosmetipsos; pauonis instar, neglectis sordibus pedum, in caudæ splendore; & Luciferi, in sua pulchritudine gloriantis. Fallacia valdè sunt hæc specula. Sed pessima sunt illa maximeque detestanda, vrentia specula salacium impudicorumque oculorum, instar basiliści visu perimentium quotquot aspexerint, nisi cauerint.

Venite, inquam, resipiscite; melioriscque formæ studiosi, conscientiæ puritati, morum honestati, atque animæ pulchritudini, operam date. En, speculum absolutissimum vniuersæ virtutis, decoriscque perfecti vobis in Maria resplendet. Speculum clarum, solidum, immaculatum, intemeratum, verumque omnis probitatis demonstratiuum, in illa videbitis. Contemplamini filiæ Ierusalem hoc speculum, cuius inspectu pulchriores, castiores, sanctioresque euadatis. Et quid mirum, cùm & corporalis ipsius formæ diuinior species, talia in aspicientium oculis atque animis operata credatur. Quam enim ob causam existimemus *Exo.38* Moysen Dei iussu labrum æneum confeciisse de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi; nisi vt sacerdotes & ministri Dei, loti, mundi, & casti essent, aquis illis abluti, & admoniti speculis? B. Maria, chariissimi, & labrum nobis & speculum est.

Num-

Numquid exemplo eius ceu ſpeculo viuo veroque adiuti, tandem illa quoque nos facie ad faciem contemplaturos ſperamus, quæ hîc nobis quaſi adhuc per ſpeculum & in ænigmate oſtenduntur?

Sed, ô cariſſima, ô vnica columba mea, anima mea! attendamus obſecro, ſi ſapimus: ne dum hîc melioris vitæ æmulatores ſpeculum hoc ſine macula contemplamur, ſimiles illi viro reddamur, qui conſiderauit *Iaco. 1.* vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, & abiens, ſtatim obliuiſcitur qualis fuerit. Abſit hanc rem ſtultam faciamus: ſed totos nos ad perfectam ipſius repræſentationem, in corpore & ſpiritu conformemus: quò ſic ipſi quoque virtutum ac bonorum morum ſpeculum aliquando effici mereamur. Audire deſideras (quò melius capias quod volo) Sanctum quemdã magnum id monentem? Audi: Si fideliter, dilectiſſimi, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium; inueniemus, hominem ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator ſui eſſet auctoris. Et hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis, quaſi in ſpeculo, diuinæ benignitatis forma reſplendeat: ad quam quotidie nos vtique reparat gratia Saluatoris; dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo. Et quídni per communicationem tibi, ô Maria, dignitatem hanc tui Filij applicemus, quæ velut ſpeculum ſine macula, diuinæ eius claritati coniuncta, vt ſpeculum ſpeculi contemplatione reſplendes, vt nobis præluceas.

Oratio.

DEus, qui cælum ſtellis, & faciem terræ floribus exornaſti; maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, vt Vnigeniti tui matre Maria, ceu virtutum ſpeculo mediante luſtrati, ſincero tibi mentis affectu placeamus. Amen.

17. THRONVS SALOMONIS.

Virgo thronus nati est; dedit huic Sapientia formam;
Materiem nitidum Virginitatis ebur.

3. Reg. 10. FECIT Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis. Inter præcipuas spiritualis educationis vitæ nouæ partes, seriò admodum, sapientiæ, virtutum, morumque ornatui, quibus excolatur, adhibenda est opera, vt te donante iam audiuimus Domine; & hoc est quod facere debemus de puero quem nobis dedisti. Esto igitur animo bono dilecta, sponsa dilecti tui; quia magnum huic nostro studio atque operi profectum ac gradum adijciet præsens hic titulus Throni Salomonis, quo singulariter, ô Domine, tuam genitricem Virginem singularem inter ceteros cohonestamus. Quemadmodum siquidem honor Regis iudicium diligit; ita quoque iudicio omnium est manifestum, thronum regalem debere esse honorificum, tantæque maiestati congruentem. Atque, tametsi Regis honorem adaugeat sedile resplendens; plus tamen honoris ipsum thronum ab insidente sibi Rege recipere, quàm ipse conferat Regi, notissimum est. Magno igitur animæ iusti ac fidelis est ornamento, quando sedes sapientiæ, diuinæque maiestatis thronus efficitur.

O anima mea, quid refugis? quid faciem tuam abscondis? an ad hoc ornamenti genus capessendum, vel metu perculsa, vel suffusa pudore formidas? Surge, surge, amica mea, & deuota Regis tui seruitio, confortare. Quomodo siquidem te pauimentum calcaturo præstabis, si sessionem illi in te, non nisi suauem, salutarem, & honorificam præbere detrectas? Verumtamen, vt infirmitati tuæ pudorique innato prospiciam; refugium tuum, paupercula & pusillanimis, ad

Domi-

Virgo thronus nati est; dedit huic Sapientia formam;
Materiem nitidum Virginitatis ebur.

Spant soo der deurthoey vvooy, soo heevlirk t'alley stondey,
Dat ghy als Salmons thvooy tey verhtey Vbeydt be-vondey.

La Vierge est de son fils le throne venerable;
Car nul autre logis n'estoit de luy capable.

Dominam ac patronam noſtram Deiparam virginem, de more, accipias: & ſincero throni Salomonis in ipſa conſpectu illuſtrata, ſpem atque animum collige: ſpem inquam fore, vt tu quoque ipſius exemplo munita, & adiuta ſuffragio, thronus aliquando Salomonis exiſtas; maximo vitę ſecundùm Deum inceptæ præſidio atque ornamento.

Ad te igitur, ô Domina, Domini noſtri mater & virgo Maria, confugimus ſupplices; certi de tua erga omnes opem tuam implorantes benignitate; ac ſingularem tuam iam toties in noſtris rebus experti prę-ſentiam, ac fauorem. Liceat, obſecro, paulò attentiùs oculatiuſque diuinum in te opus expendere; & throni Salomonis inſignem decorem, ſingulariter in te completum, admirari. Sperabimus, ſi tuus annuerit filius tibi pro nobis intercedenti, fore, vt nos quoque modo noſtro, iuxta bonitatis ipſius beneplacitum, thronum illi in penitioribus ac penitiſſimis mentis noſtræ receſſibus adornemus. Te petitioni noſtræ votiſque tam pijs patrocinaturam confidimus; quia, clemens, pia, & miſericors es: Neque ipſe faciem tuam aut auerſabitur aut confundet, qui mitis & pius plùs quàm Salomon eſt.

Accedite interim vos quoque piæ mentes, tantæ felicitatis, tantæque dignitatis futuræ participes; accedite & illuminamini, & facies veſtrę non confundentur: ſed in omni virtutum acceſſu, nouæque prolis ornatu congratulantes iucundabimini, & cohoneſtabimini vehementer. At ſtructuram throni Salomonis audiamus. Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtiuit eum auro fuluo nimis. Qui habebat ſex gradus; & ſummitas throni rotunda erat, in parte poſteriori. Et duæ manus, hinc atque inde, tenentes ſedile. Et duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas: & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. Non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis. 3. Reg. 10.

Numquid in hoc tam insigni throno Salomon residens gratias conferebat? O Maria, quàm rectè Salomonis thronus appellaris, quæ per thronum illum eburneum & incomparabilem figurata cognosceris! Immò, dicam ampliùs; quantò plus quàm Salomon filius tuus Dominus noster; tantò tu excellentior thronus, illo, quem Salomon ex ebore fecerat. Numquid in te, velut in regali solio, nouem mensibus resedit Pacificus, thronumque suum omni sic pietate & gratia adimpleuit; vt ex eodem toti mundo sit gratias elargitus, pro gratulatione felicis auspicij Regni sui æternùm duraturi?

Sed venite, filiæ Regis, illi adductæ & addictæ, fideles animæ; & in Diua virgine, Domina nostra, sancta Maria, partium singularum throni iucundam applicationem perlustremus. Nónne in primis benè dicimus nos, quòd ex ebore virginitatis eximiæ, verus noster Rex pacificus Salomon, sibi thronum in Maria tam grandem effecerit, vt cęli terræque Dominum suo ambitu contineret, quem nec cæli valent comprehendere? Ex ebore inquam, quòd omnis puritatis candor inde ab initio vndiq; commendaretur, elephantis animalis castissimi documento. Numquid insuper hunc suum thronum auro fuluo nimis rutilantis charitatis vestiuit, quo & hominibus, & Angelis, ipsique Deo Patri esset admirandus? Qua namque ex parte non scintillauit in B. Maria dilectio ardens & vrens, in generis humani salute promouenda? Sed fortè sex gradus in hoc throno requiritis? Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines considerate, & inuenietis. Numquid sedilis ipsius quoque rotunditas in perfectione figurę huius capacissimæ reperitur? Duæ verò naturæ in Christo, quasi geminæ manus, illud tenent: & bina brachiola eiusdem in virgineo gremio matrem amplectuntur. Duos autem leones, quídni duo Testamenta credamus, thronum hunc Regalem ab omni quarumvis hære-

reſum nequitia defendentia,& duodecim articulos
ei, quaſi totidem leunculos hinc inde excubantes
nnem hoſtilitatem arcentes,expendamus?

At, videte, quàm ſe pacificus hic noſter Salomon,
hoc ſuo throno ſedens, vniuerſo populo clemen-
m & benignum præbet, quamque multiplicia dona
ultifariam elargitur! hinc enim omnia,quæcumque
ortalibus Deus data voluit. In hoc eum throno
æſidentem adorant Magi, colunt fideles, iuſti col-
udant, peccatores ſupplices deprecantur, Angeli
nerabundi famulantur, Deus illuſtrat. Tu verè ita-
ne Domina, porta vitæ, ianua ſalutis, aditus repa-
tionis, aula vniuerſalis pietatis, generalis reconci-
ationis portus, vas, & templum, & ſalus vniuerſo-
m. Tu oſtendiſti mundo Dominum ſuum, quem
ſciebat; tu viſibilem exhibuiſti mundo ſuum crea-
rem,quem priùs non viderat. Sed, ſed, inquam,de
rono hoc quoque procedunt fulgura, & voces, & *Apo.4.*
nitrua, vt teſtatur tonitrui filius Boanerges: ſed
olite timere vos, filiæ Ieruſalem; quia contra dæmo-
es & hoſtes Mariæ hæc tantùm intenduntur.

Tu nunc, ô anima mea, ſatage, vt tu quoque thro-
us Salomonis efficiaris; & in te requieſcat Ieſus,
Mariæ filius. Audíſne idipſum poſtulantem? Præbe *Pro.23*
li mi cor tuum mihi. Et cælum (inquit) mihi ſedes *Pro.20*
ſt;mens ſancta,cæli inſtar in terris. Vtque roboretur
n te clementiâ thronus eius; eſto mitis & humilis,&
n eius gratia confirmaberis. O Maria, virgo ſin-
ularis, inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mites
ac & caſtos.

Oratio.

POſside Domine tuorum corda fidelium, & in eis tuæ benignitatis oſtende potentiam; vt à cunctis aduerſitatibus animæ & corporis expediti, ac beatæ Mariæ ſuffragiis adiuti, tranquilla tibi deuotione famulemur. Amen.

18. MVLIER AMICTA SOLE.

Clarior, an maior, rutilo quæ in Sole coruſcat,
In terris poſitus quam ſuper aſtra vides?

Apo. 12 SIGNVM magnum apparuit in cæl Mulier amicta ſole, & luna ſub pedib eius : & in capite eius corona ſtellaru duodecim. Ecce, Domine Deus, quomo do te largiente, ſub auſpicijs beatæ Mariæ virginis, noſtræ nouæ prolis ornatu proficimus! In nouita vitæ, duce te ambulamus, eamque tua gratia, ceu fo tum ſpiritualem fouemus; tuâ bonitate incremen donante educamus; ornamus virtutibus, & quà datu auctore ſuo dignam conamur efficere. Da igitur Do mine tam felicibus cœptis progreſſum non imparem & tandem aliquando finem ardentibus votis exopta tum. O quanto nobis ornamento futurus hic titulu in Vnigeniti tui Matre perpenſus, & ſpeciali tanta patronæ conſortio nobis applicitus! Si namque pro fanus ille & infelix Herodes, ſole ſolummodò i Act. 12 veſte ipſius argentea reſplendente, diuinas à populo acclamationes, indignè licet, obtinuit; quid de gra tiſſima Deo dilecta cæli Domina vero Sole veſtita ſentiendum?

Quapropter, ô Maria, præclarum Eccleſiæ lumen & afflictorum ſingulare ſolatium, liceat mihi aliquan tiſper ſingularis amici tui mellifluis verbis ſuper S. Bern. huius tituli maieſtate decurrere. Iure ſole iuſtitiæ, Deo, perhiberis amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ, vltrà quàm credi valeat, penetraſti abyſ ſum; vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videaris im- 1. Tim. merſa. Magna reuerà familiaritas, ſed mira omnino 6. vicinitas, ſolis & mulieris. Quomodo enim in tam ve hementi

MVLIER AMICTA SOLE.

Clarior, an maior, rutilo quæ in ſole coruſcat,
In terris poſitus, quam ſuper aſtra vides?

O Wonder Werck, ey ſot! de ſonne ſteedt de bruulbe.
Deeſt vorck ſoo eey met Godt, deur eey ber-bandt ba truulbe.

Le ſoleil reçoit plus de ſplendeur qu'il ne donne
Quand de ſes rais la sus la Femme il environne.

nenti feruore, tam fragilis natura ſubſiſtit? Meritò
dem admiraris Moyſes ſancte, & curioſiùs deſi-
as intueri. Verumtamen, ſolue priùs calceamenta
pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogita-
num, ſi accedere concupiſcis.

Tu es itaque, ô Virgo præfulgida, & Mater caſtiſſi-
, mulier illa, quam ille diſcipulus à Ieſu dile-
s virgineis & aquilinis oculis in cælo pro ſigno
gno conſpexerat, quæ amictum ſolaribus fulgori-
s radiantem, & caput duodecim ſtellarum coronâ
limitum habebat, lunam interim pedibus ſubſtra-
n tenens.

Quid eſt hoc, ô anima mea? quid eſt hoc? quid ſa-
? quid capis? An tota tantarum rerum admira-
ne ſic abſorberis, vt ad recondita in hiſce myſte-
non reflectas obtutum? Non meminiſti, defectum
nem per lunam oſtendi? Numquid electa ex milli-
s, & ſuper omnes benedicta virgo Maria, quidquid
fectuoſæ fragilitatis ſeu corruptionis humanæ eſt,
ellentiſſimâ quâdam ſublimitate præ ceteris om-
ous excedit & ſupergreditur creaturis; vt meritò
o pedibus eius luna iacere perhibeatur?

Itaque ô Maria, animarum noſtrarum ſingularis
atrix, rectè tu lunam ſupplantaſti, quæ omnem in-
bilitatem mundi diuina quadam ſoliditate & am-
tudine ſuperaſti. Verè etiam amictam te ſole ſuſpi-
nus, quia lumine diuinæ gratiæ mirabili ſemper
odo illuſtrata fuiſti. Nónne te prætereà rectè ſtellis
odecim coronatam attendimus, quæ omni virtu-
m genere ipſos quoque cæleſtes ſpiritus ſupergeſſa
Quidquid in cęlo, ſole, ſtellis & luna laudabile eſt,
i pro corporis amictu, atque ornamento capitis
nuenit: quidquid verò in luna illaudabile, id totum
aſi pedibus calcans, tibi puro & forti amore Do-
ni omnium ſubſtrauiſti.

O Virgo ſublimis! tu veſtis Ieſum, Deum ſummæ
ieſtatis, carnis ſubſtantiâ; & ipſe te ineffabili veſtit
gloria.

gloria. Tu veſtis eum nube, & ſole ipſa veſtiris a
Pſ. 88. lo. Veſtimentum tuum verè nequaquam vetu
deficiet: ſed ſicut ſol in conſpectu Dei, & ſicut
perfecta in æternum, teſtis in cælo fidelis. O
cem ſublimemque planè indumentorum iſto
commutationem! Vtinam, ô benedicta & prud
Virgo, Aduocata noſtra, te patrocinante, mut
riis tam ornantibus & beatis gratiæ & gloriæ
quando donemur.

Nunc autem attendite virgines adductæ Regi
eam; attendite & videte, quàm non ſine cauſa v
Auguſtus ille Octauius ante obtutum veſtrum
gatur; qui quaſi Sibyllâ monſtrante, in cælo circu
aureum circum ſolem admirabundus iuxta ad ve
rabundus adſpiciat: & in medio circuli virgin
quamdam pulcherrimam, puerum in gremio hab
tem; illamque ſuper aram ſtantem; audiatque voc
de cælis emiſſam; Hæc eſt ara cæli.

Numquid etiam dicitur eapropter ipſe Impera
Auguſtus aram erexiſſe, quam & Aram cæli nunc
pauit? Verùm enimuerò, vlláne Sibylla tempo
huius Imperatoris ſuperſtes fuit? Nequaquam. Qu
ergo? Bonus Imperator hæc omnia à Sibylla, hoc e
Sibyllinis carminibus accepit & intellexit; naſcit
rum videlicet aliquando ex virgine ſe maiorem;
quo etiam nomen Domini deinceps detrectauit, n
lens ex eo tempore ampliùs Dominus appellari: o
caſione pueri tantique Domini naſcituri, quem
diuinis illis vaticiniis ſic deſcriptum legit atque ſi
ſpexit, atque ſi digito vel radio indice ipſi in cæleſt
bus fuiſſet oſtenſus: quod illa picturæ commun
adumbratio ob oculos ſtatuit.

O prouidentiæ diuinæ fulgorem, quæ & matr
Dei nobilitatem, & virginis filij diuinitatem tam ex
cellentibus mediis modiſque mundo cæcutien
monſtrauit! O ſignum verè magnum in cælo, mul
tumque admirabile, quod intuentium oculos ad
trahi

ahit, rapit affectus, mentes inflammat, & manus ad
nulandum accommodat ! O mulier amicta sole!
virgo Deum generans ! ô mater parentis tui, om-
umque Saluatoris ! O miro modo fœcunda virgi-
itas, ô miro modo immaculata maternitas ! Quid
orrò sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid
erfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ
otius diuinæ gratiæ charismate plena fuit?

Si diligenter attendis, ô anima patronæ tam diuinæ
euota, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gra-
æ, nihil candoris, quod non in hac muliere amicta
le, ac virgine glorioſa resplendeat; quodque tibi
on sit futurum auxilio, si diligens atque humilis
sius obsequij fueris obseruatrix. Ora itaque sedulò,
igniſſimis eius pedibus aduoluta; & dic ei supplici-
r; O Maria, cælesti paludamento amicta, expande
bsecro pallium tuum super me miseram, desolatam, *Ruth 3.*
nudam : & me quoque solis iustitiæ fac amictu
uniri, contra omnem aëreæ potestatis iniuriam;
tque decore virtutum vestita, & gratijs adornata,
oni cuncti datori complaceam.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui lucem habitans inaccessibilem, solem hunc adspectabilem in vsum humani generis condidisti; & dilecti Filij tui matrem, amictam sole, singulari munere solatio præstitisti: da, vt quam deuotæ mentis veneramur officio, pio quoque virtutum imitemur affectu. Amen.

19. PVLCHRA VT LVNA.

Luna ſubobſcuro diffindit lumine noctem;
Nocte ſed hæc mediâ dat ſine nocte diem.

Eſth. 1. & 2. ERAT autem Eſther pulchra valdè, & in credibili pulchritudine, omnium oculi gratioſa & amabilis videbatur. Quando Domine, de titulis, nouæ vitæ prole ornantibus agimus, & in Filij tui genitrice Maria, ve ut in omnium ornamentorum ſpeculo contempla mur; occurrit pulchritudinis formæque exterior ornatus & decor non contemnendus, in quantu videlicet ille pulchritudinis animæ eſt internunciu ac interpres. Neque tantum hac in re momenti pone rem, vt quæ alioqui in vanis atque caducis numera conſueuerit; niſi animaduerterem, non ſolùm lauda biles à probitate morum vitæque ſanctitate mulere antiqui Teſtamenti, ã præſtanti quoque forma in Sa cris literis fuiſſe laudatas, quarum etiam pulchritudi nem nonnumquam adauxeris; verumetiam ſaluti noſtræ auctricem Mariam à formæ fuiſſe gratia com mendatam; atque Vnigenitum tuum, Dominum no ſtrum Ieſum Chriſtum, ſpecioſum fuiſſe formâ pra filijs hominum.

Itaque pulchritudinis ac formæ titulum ſic in Di ua Virgine, per excellentes Heroinas, ipſius figuras admiremur & expendamus, vt ad pulchritudinem lunæ ſpeciem ipſius interiorem attollamus, eiuſdem- que decoris ſtudioſi reddamur æmulatores. Num-
Gen. 11 quid in primis de Sara ſic legimus Abrahamum
Gen. 20 teſtante ſcriptura locutum fuiſſe; Noui quòd pulchra ſis mulier. Et quemadmodum hîc in Ægypto Pha raonis occaſione, ita poſteà apud Regem Gerara; qu re percepta, dixit Saræ; Ecce, mille argenteos ded

fratr

PVLCHRA VT LVNA.

Luna ſubobſcuro diffindit lumine noctem;
Nocte ſed hæc mediâ dat ſine nocte diem.

O ſchoone, ey Vrel ghedaey, ſchoonder dan Voſſe-mane!
Helpt-my, dat ick mach gaey, der deughden vrchte bane.

La lune fend la nuit, d'une clairte fort ſombre:
Mais la votre reluit, ſans iecter aucũne ombre.

A

fratri tuo (Abrahæ ſcilicet, qui ſe fratrem ipſius dixerat) hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt: & quocumque perrexeris, memento te deprehenſam; occaſione nimirum eximiæ pulchritudinis. De Rebecca verò, quid? Erat puella decora nimis; virgoque pulcherrima. De Rachel autem; Erat decora facie, & venuſto adſpectu. Sed quid de Eſther? Erat autem Eſther pulchra valdè, & incredibili pulchritudine, gratioſa omnium oculis; & amabilis videbatur. Sed numquid in Iudith minor antecedentibus formæ commendatio? Erat (inquit Scriptura) eleganti adſpectu nimis: & Dominus hanc pulchritudinem ampliauit: vt incomparabili decore omnium oculis appareret. Numquid & milites eam apprehendentes, conſiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum ſtupor; quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis, dicentes; Non eſt talis mulier ſuper terram, in adſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum? Verùm, ſicut arte picturæ præcipua tabula iam abſoluta, præcedentes omnes rudiores delineationes obliterat & vincit; ita tu, ô pulcherrima mulierum, Maria, omnes iſtas tui adumbrationes excedis & ſuperas.

Gen.24 *Gen.29* *Eſth.2.* *Iudith 8.&10*

Valeat autem omnino illa Aſpaſia, gentilium ferè omnium puellarum, vt ferunt, pulchritudine excellentiſſima: valeat illa, ad quinque pulcherrimarum in vno vultu imitationem depicta, Helena; cum omnibus vniuerſi mundi formoſis, quarum (eheu!) tot millia ſunt apud infernos: nihil ad pulchritudinem eius, quæ ſoli comparatur & lunæ. Porrò, ſi quid ab illa cuiquam mortalium in pulchritudine concedendum; tibi, ô Pulcheria, pulchræ nomen, ob formam quidem, admitto, ſed potiſſimùm ob inſignem pietatis omniumque virtutum ſplendorem, qui Regiam in monaſterij formam mutauit, meritò conceſſum exiſtimem. Neque paruæ vobis eſt laudi veſtra pulchritudo, ô Catharina, Barbara, Agnes, Lucia, Apol-

lonia, Agatha, ceteræque præclaræ noui Teſtamenti virgines; quæ tametſi ob formæ ſplendorem mundi amatoribus mirè placuiſtis, maius tamen in interiori mentis pulchritudine momentum poſuiſtis, quâ ſoli Chriſto ſponſo veſtro placere ſtudebatis.

At nunc, ô formoſarum formoſiſſima, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, Maria; pulchritudinem tuam, præſertim internam, tametſi alioquin incomparabilem, pulchritudini tamen lunæ comparatam contemplemur: & tu, ô pia, pro tua in nos benignitate, fac nos inter contemplandum huius tuæ pulchritudinis vtcumque conſortes. Nónne pulchra vt luna es; quæ, ſicut luna à ſole, ita tu à Chriſto tuam habes pulchritudinem & ſplendorem? Numquid etiam, ſicut luna maior eſt in adſpectu hominum ſplendidiorq; ſtellis omnibus; vt eapropter à Deo quoque luminare magnum cum ſole vocetur; ita, tu, Virgo pulcherrima, inter animas Sanctorũ & Angelorum choros ſupereminens & euecta, merita ſingulorum, & omnium titulos antecellis? Vtramque naturam, & humanam & angelicam, Virgo ſingularis exſuperas & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum. Numquid idcircò, quia thronos, hierarchiæ nempe ſupremæ tertium ordinem tranſſcendiſti, thronus meritò nuncuparis? Sed pergamus. Nónne ſimiliter, quemadmodum luna decor eſt noctis, menſura temporis, æmulatrix ſolis, atque aëris immutatrix; ita tu, ô Virgo diuina, in ſublunari noſtro ſpirituali Eccleſiæ regimine, ſeptem hiſce conditionibus præpollere dignoſceris, ſi quis ſingula ritè expenderit? Denique, ſicut creſcente luna, creſcunt & medullæ in oſſibus hominum ac beſtiarum; ita tua luce adueniente, creſcit quoque in
Pro. 3. noſtrorum cordium medullis deuotio? Sanitas es ſiquidem vmbilico noſtro, & oſſium noſtrorum irrigatio. Numquid inſuper, ſicut luminare maius, ſol iuſtitiæ nimirum Chriſtus filius tuus, præeſt diei, hoc eſt iuſtis, ſicut in die honeſtè ambulantibus; ita tu luna

nocti,

nocti, peccatoribus nempe ſolandis & illuminandis?

Nónne etiam, quemadmodum luna ſemper æquè magna eſt in ſe, ſed non æquè ſemper ex omni parte illuminatur; ita tu, ô Maria, tametſi aliquando Filij tui, vt ſolis, occaſione, fueris quaſi obſcurata, ac mœſtitudine obnubilata; ſemper tamen in te conſtans permanſiſti, tibiq; ſemper in Domino ſimilis? Et nónne, quemadmodum luna ex ea parte lucet, qua ſolem adſpicit; & quando eſt ex diametro inter nos & ſolem, nihil à parte noſtra dat luminis, ſed parte tantùm ſuperna lucet ſolem verſus; ita tu ſemper Deum intueris, tametſi nobis interdum nullum huiuſce illuminationis ac colluſtrationis appareat argumentum?

Tu itaque modis omnibus, ô beata Dei Genitrix, pulchra vt luna; claritate dilecti tui mirificè illuſtrata. Tu thronus eius, ſicut ſol, & ſicut luna perfecta in æternum; quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Da nobis, ô Domina, patrona ac magiſtra noſtra, vt aliquantulum animæ pulchritudinis, in ſpiritualis noſtræ prolis, vitæ inquam melioris, ornatum, de hac tua pulchritudinis plenitudine ſortiamur. *Pſ. 88. Eccli. 50.*

Oratio.

AVres tuas, quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda, & mentis noſtræ tenebras ſordeſq; deterge; vt beatæ Mariæ meritis ac ſplendore perfuſi, gratiam in tuo conſpectu inuenire mereamur. Amen.

20. ELECTA VT SOL.

Sol oculus mundi: tuus est & solis ocellus,
Sola cui lecta es filia, sponsa, parens.

Eccli. 43. SOL in aspectu, anuntians in exitu; Vas admirabile opus Excelsi. Dum verum animarum ornatum, in virtutum nitore positum, sectamur auidiùs; & in huius disquisitione, vestigia Deiparæ virginis, facemque virtutum ac splendescentium titulorum, qua prælucet, insequimur; ecce, ad solis vsque fulgorem ac singularem decorem peruenimus. Quid iam te, ô totius Ecclesiæ lumen indeficiens, Maria, vel amictam sole, vel pulchram vt lunam admiremur, quæ à dilecto tuo electa & prædilecta, vt Sol prædicaris? Da nobis, oramus, hanc veniam, vt dum hebetes mentium nostrarum obtutus, in tui fulgoris aciem, amoris instinctu dirigimus, in temeritatis pœnam non opprimamur à gloria maiestatis; sed potiùs aliquousque tuæ lucis reddamur participes. Pro. 25

Verè, ô Maria, si attendimus Seraphim; & in illius superioris naturæ supervolam dignitatẽ oculos mentis defigimus, videmus quidquid maius est, illud omne te minus existere; solumq; opificem omnium, opus istud supergredi. O celsitudinem, præter auctorem vniuersorum, cuncta transscendentem! O verè solam electam vt sol, & sole amictam, & sole maiorem! Fateor, nec est qui diffiteri præsumat; summa gloria est post Deum, te videre, & adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. Verbis quidem alienis in hac veritatis professione vti possum; sed nihil alienum à mentis sententia possum profiteri. Si solẽ, quod solus luceat, siue quòd solus totius sit fons luminis, appellamus; electa vt sol tu meritò Maria perhiberis,

cuius

Sol oculus mundi: tuus est et solis ocellus,
Sola cui lecta es, Filia, Sponsa, Parens.

Schoon naer dees sieley leeft, als de Son uyt-verkoren:
Deed lesse sy u gheeft, dan Vriey Godt is gheboren.

Ce soleil duit bien mieus, pour esclairer au monde;
Esleu pour de tous lieus chasser la nuit profonde.

cuius ceu ſolis radiatione, ſuperiora atque inferiora irradiantur.

Sed, vbi moramini, filiæ Ieruſalem, in tam clari fulgoris tam amica luſtratione? Oculos tergite, lucis huius immaculatæ ſplendorem mecum attendite: ſic enim expedit nobis, vt & nos illuminemur. Nónne ſol iſte, quem corporalibus oculis admiramur, eſt oculus mundi, diei iucunditas, pulchritudo cæli, menſura temporum, virtus & vigor omnium naſcentium, dominus planetarum, decor & perfectio omnium ſtellarum? Excellit ſol omnia luminaria cæli, in quantitate, dignitate, claritate, poteſtate, & effectuum multiplicitate. In his omnibus ſol ſolus ſolum Deum, omnium Dominum & auctorem repræſentat, certum eſt: ſed præ omnibus creaturis beata virgo Maria ei aſſimilatur; quæ ſolum Deum ſupra ſe habet. Atque adeò, videte obſecro, fideles animæ Mariæ deuotæ, Numquid ipſemet ſol iuſtitiæ Chriſtus, ſolem eam appellat, dum per ſuum Prophetam vt electum paranymphum, ſic ait; In ſole poſuit tabernaculum ſuum; *Pſ.* 18. & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo? Numquid & ipſa non inaniter glorians, ſed plenè congratulans, idipſum commemorat, dum inquit; Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo? Et, *Eccli.* ſicut ſol oriens mundo, ſic mulieris bonæ ſpecies, in 24. ornamentum domus ſuæ. Verè, ô Maria, mundi ſola- *Eccli.* tium in ortu tuo, in ornamentum Eccleſiæ veniſti in 26. lucem: ſed multò magis, in aſpectu præfulgido ſolem iuſtitiæ Chriſtum annuntians & producens, vas verè fuiſti admirabile, opus Excelſi.

Verùm, ô anima mea, conſurge, & ad opus hoc, per ſeptem præcipuas ſolis conditiones perueſtigandum, accingere. Aude; ne trepida: purgaberis, illuminaberis, & accenſa perficieris. Nobilitatem in primis in ſole conſideras? Regali ex progenie Maria exorta refulget; & cum ſplendore ſanctitatis exorta eſt. Formoſitatem ſolis admiraris? quid formoſius illâ,

quæ ſpecioſum præ filiis hominum genuit? Impermiſtionem attendis? dum ſiquidem ſol per fæces & lutum tranſit, nihil inficitur. Sic Maria, & originale peccatum illibata præteriit, & toto vitæ curriculo, immunis ab omni culpa fuit.

Luminandi vim in ſole deprædicas? ceteris enim omnibus planetis atque ſideribus lumen ſuppeditat. Sic & Mariæ vita glorioſa lucem dedit ſæculo, cunctiſque præfulget. Sed fortaſſe fructificandi facultatem ſtupeſcis; nam ſine ſole, ſterileſcerent omnia. Nihil B. Maria ſoli debet hac in parte: vt quæ fructum protulerit, ſine quo nihil boni fructus toti mundo oboriretur. Generalem ſui communicationem in tanto iubare expaueſcis? quia oritur ſuper bonos & malos. Et Mariæ non deeſt hæc gratia, ſed abundat vbique, toto terrarum orbe teſtante. Sed fortè incomprehenſibilitatem ſolis non capis; ita vt in ſua rotunditate videri nequeat, tanta luce circumfulgente. Crediderim, quia non ſatis perſpicaces ſunt oculorum noſtrorum acies, & ad ſolis directum adſpectum plus noctuæ quàm aquilæ habemus. Sed videte, mirabilium Dei operũ ſpectatores, num in Deipara virgine virginitatem & fœcunditatem, excellentiam ac humilitatem, aliámve aliquam ipſius dotem ſigillatim aut coniunctim valeatis mente complecti.

Denique, nónne etiam ſicut ſol tres ſupra ſe, totidemque infra ſe habet planetas, ipſe in medio conſtitutus; ita beata Maria tres ſupra ſe habet ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas; infra verò tres ſtatus ſaluandorum, virgines, viduas, coniugatos? Numquid ipſa in medio eſt conſtituta, tres iſtos ſtatus beatiſſimæ Trinitati coniungens & vniens?

Nónne quoque, ſicut ſol, cùm centies & ſexagies ſexies, maior ſit totâ terrâ, tamen ob ſitus ipſius altitudinem, vix cubitalis apparet; ita beata Maria cùm creatis omnibus ſit multò maior, humilitatis tamen celſitudine paruam ſe nobis oſtendit? Nónne item,

ſicut

ſicut ſol in ortu ſuo atque occaſu, maior videtur, quàm in meridie, cùm tunc tamen ſit nobis vicinior; ita & Maria à primis & nouiſſimis mundi hominibus pluris facta & facienda eſt, quàm à vicinioribus eius temporis fidelibus? Deinde, cùm ſol moueatur inceſſanter celeriùs ſagittâ, tamen non videtur moueri; nónne ſic beata virgo Maria feruore ardentibuſque virtutibus citiſſimè ferebatur in Deum atque in hominum ſalutem; ſedatiſſimo tamen ſemper habitu?

Nónne & iſta Mariæ ſub ſolis obtentu conuenient? Ortus eſt ſol, & in cubilibus ſuis collocabuntur. *Pſ.* 103 Ortus eſt ſol, & auolauerunt locuſtæ. *Nahũ* 3 Ortus eſt ſol, & æſtuauerunt feruore, charitatis ſcilicet & deuotionis. *Matt.* 13. Sol eſt rex naturæ. *2. Par.* 18.

Sed hoc diligenter attende, ô anima. Mortuus eſt, occidente ſole; ne te vmquam ſic geras, vt ſol Chriſtus, & ſicut ſol B. Maria, tibi intercidant; ſed nouo te ſemper exortu lætificent. Immò, ſi rerum vel anguſtia temporis hoſtiumque tuorum importuna neceſſitas te premunt: potiùs Soli cum Ioſue præcipe, ne te deſerat in opportunitate; ſed ſtet, teque adiuuet.

Oratio.

DEus, qui facis in tenebris noſtris tuæ gratiæ lumen ſplendeſcere, & ſolem tuum ſuper bonos & malos oriri permittis; da nobis ita Deiparæ virginis virtutum radiis illuſtrari, vt eius ope cæleſtibus inſeramur. Amen.

21. HONORIFICENTIA POPVLI NOSTRI.

Gloria Christi adum; Princeps digniſsima turbâ,
Fac tua te digna vt Principe turba ſiet.

Iudith 15

TV gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Adorna thalamum virgo, filia Sion, anima, Deo virginiq́ue Matri deuota: adorna cunabula, fœtumque ſpiritualem, nouum hominem, qui tibi ſecundùm Deum natus eſt, omni virtutum decore exorna. Teipſam redde decentibus vitæ moribus dilecto tuo gratam & honorabilem. Eſto tu quoque vna de ſapientibus & prudentibus virginibus, de caſtis matronis, de mulieribus fortibus: quia honorabilis in portis vir tuus, ſponſus tuus, dilectus tuus, frater & Dominus tuus: cuius introitus & exitus, honoris & ſalutis pleniſſimus.

Iudith 15.

Tu quoque patronam tuam in hoc etiam titulo imitare, ô anima; in cuius olim figura Iudith hoc elogio fuit à toto populo collaudata; Tu gloria Ieruſalé, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Verè quidem Iudith illa caſtiſſima & fortiſſima merebatur hos titulos; ſed, ô Maria, tuarum in illa laudum ſublimitas adumbrata ſolummodò fuit. Tu verè cæleſtis æquè ac terreſtris Ieruſalem, Eccleſiæ triumphantis iuxtà ac militantis gloria eſſe cognoſceris, quæ diuinæ pacis viſionem toti mundo conſpicuam ex te corporaliter natam, magno cum cæleſtis gloriæ cumulo præſtitiſti. Tu lætitia Iſrael, fortium nempe cum Deo luctantium, hoſtem humani generis ſupplantantium: quæ riſum nobis in vero Iſaac filio tuo Ieſu Chriſto peperiſti: cuius in ortu gaudium magnum omni populo ab Angelis eſt nuntiatum.

Tu

1. HONORIFICENTIA POPVLI NOSTRI.

Gloria Christiadum : Princeps dignissima turbâ,
Fac tua te digna vt Principe turba siet.

Dvaecht u in alt eerbaer, alt suyuer vbitte vorcke:
Thelyck Maria claer, tot lof bay haeren vorcke.

Vray honneur des Christiens, de ton peuple la gloire,
Ayes touſ-iours des tiens, en leur besoing, memoire.

Tu itaque verè honorificentia populi noſtri, quæ
itiatam generis noſtri compagem, immunis ab omni
ontagio, reſtauraſti; & in ſemine tuo, à debita mor-
is æternæ ſentẽtia vindicaſti. Verè dixiſti, ô Raphael;
Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt: quia *Tob.12*
non ſolùm ipſi Deo mirabilium operatori; verum-
tiam ipſius dilectæ Matri, Dominæ noſtrę, per quam
am magna fecit qui potens eſt, hinc honor conſur-
git. Quin & nos, illius ope redemti, gloriamur in
hoc facto, magnoque nobis honori ducimus, quòd
tantæ ſublimitatis patronam, generiſque noſtri col-
lapſi reparatricem habeamus. Ad te clamamus ea-
propter, ô Domine, ac præ nimia tantæ felicitatis læ-
titia geſtientes confitemur & dicimus, Nimis honori- *Pſ. 138*
ficati ſunt inimici tui, Deus, facti per Mariam amici:
nimis confortatus eſt Principatus eorum, qui ſua
culpa proiecti & ad nihilum redacti fuerãt. Per illam
ſiquidem, vt olim per Eſther Iudæis (ô Deus omnium *Eſther*
Dominator) diem nobis mœroris & luctus vertiſti in *16.*
gaudium: neque tradidiſti nos in manus inimicorum
noſtrorum; ſed propitius fuiſti ſorti & funiculo tuo,
vt viuentes laudemus nomen tuum, Domine, nec
concluſiſti ora te canentium.

Eat nunc Balac noſter, mille nos olim inuoluens
erroribus, gentiſque noſtræ deſtructor diabolus; di-
catque nobis, vt ad Balaam aiebat, deceptam populi
vetuſtatem ſuo nomine referentem; Decreueram qui-
dem magnificè honorare te; ſed Dominus priuauit te
honore diſpoſito. Et quid obſecro, ſerpens antique *Nu. 24*
promiſeras miſeris? quonam quæſo parentes noſtros
honore volebas afficere?

Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Egre-
giam verò laudem! fallaci verborum lenocinio pel-
lectos, in certum exitium præcipitaſti. Ito itaque,
ac munera tua alijs da, & honore quos voles tam in-
ſano proſequere. Deo, cui ſoli honor & gloria, *Eccli.*
& poteſtas, & imperium, adhærere deſidero; qui *11.*

humiliantem se subleuat;& qui potens est subitò ho
nestare pauperem.

Noli, ô anima mea, talem honorem ac honorifi
centiam ab hominibus, à mundo, nedum ab inimi
co salutis tuæ emendicare, vel impensam admittere
Caue ne vmquam Saulem imprudentem imiteris; v
inobediens Deo, propriæ innitens sapientiæ, tibiqu
in tuis oculis placens, nihil laude dignum, vituperi
verò plenissimum præstans, velis tamen honorabili
apparere; gloriæque inani dans operam, dicas cuili-
1. Reg. 15. bet occurrenti, quod ille Samueli; Honora me co
ram Senioribus. Num ignoras, ô homo inanis, quòd
honor ille de vanitate collectus, non solùm euane-
scat, sed secum etiam quæcumque repererit, eua-
nescere faciat? An nescis, clamare Chaldæos (quod
interpretatur dæmones) Idumæis permistos, in de-
Ps. 136 structione Ierusalem, animæ fidelis; Exinanite,
exinanite, vsque ad fundamentum in ea? Numquid de
3. Esd. 1 iisdem legisti; Consummauerunt, hoc est, consum-
matè vastarunt, omnia honorifica eius,& ad nihilum
redegerunt?

Oculos potiùs ad omni honore digniſſimam, hu-
millimam omnium Dominam ac patronam tuam
conuerte: quæ, vt verè est honorificentia populi no-
stri, decus & ornamentum humani generis,& singu-
lariter Christianorum, virginum omnium,omnium-
que mortalium splendor & gloria; numquid ita quo-
que cunctis mortalibus in exemplum statui digna est,
Esther 6. de qua præconis voce, Dei mandato clametur; Sic
honorabitur, quemcumque Deus honorare volue-
rit? Te Dei thronum Maria laudamus, te Dominam
Dan. 13. confitemur. Te æterni matrem omnis terra venera-
tur; eò quòd verè sis honorabilior omnium; & præ
cunctis creatis acceperis à Deo Patre honorem &
2. Pet. 1 gloriam, voce delapsa ad te huiusce modi à magnifica
gloria, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Fi-
lius Dei.

Tibi

Tibi nos eapropter, ô Domina, ſupplices exhibe-
us, tuam opem ac patrocinium imploramus. Dic
fac in nobis, ô pia, quod de te legimus: dic, vt au-
iat cor noſtrum, & fac, vt in medullis noſtris ſentia-
us: In plenitudine ſanctorum detentio mea. Rectè,
t cui non defuerit fides Patriarcharum, ſpes Pro-
hetarum, zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum,
obrietas Confeſſorum, caſtitas Virginum, fœcun-
litas Coniugatorum, ſed nec ipſa puritas Angelo-
um. Dicis & tu; Radicaui in populo honorificato. *Eccli.* 24.
Fiat; & tecum in ſalutem honorificabimur, gloriæ
uæ facti participes. Mitte igitur, ô Virgo inter om-
nes mitis, radices humilitatis tuæ in corda noſtra, vt
cæleſtis honoris & gloriæ ſurculos proferant.

Oratio.

PRæſta nobis, quæſumus Domine, diuinæ bonitatis auxilium, ac perpetuam benignitatem largire ſupplicibus; vt qui te auctore ac redemptore gloriamur, beata Maria intercedente, ſemper in tuæ miſericordiæ laude lætemur. Amen.

IN

IN VII. TITVLOS TVTELARES ARGVMENTVM.

MVLTA *mortalem (præsertim in adolescenti circumueniunt pericula, quemadmodum toto dein vitæ curriculo; vt eapropter assidu sit opus vigilantiâ & tutelâ. Hominem seruare summa laus, inquit ille. Hinc etiam quernea coron apud Romanos olim dignissima; quam ille promerebatur qui ciuem in mortis periculo liberasset. Vt igitur quod natum est, ali ornariq; debet, ita non minus debet contra vniuersa nocitura muniri; vt ad perfectum educetur educaturque. Quapropter septem modò Tituli tales sequuntur, qui ad munitionem tutelamque nouæ vitæ, ceu prolis spiritualis, pertinent, sub Diuæ nostræ Mariæ præsidiis educandæ.*

Plin. Sen.

22. VIRGA MOYSIS.

Virgo Mosaicæ superat miracula virgæ:
Virga salum potuit pandere, Virgo polum.

QVid debemus facere, de puero qui natus est nobis? Custodiendus fideliter & protegendus contra omnia saluti atque incolumitati eius aduersantia. Domine, docuisti me à iuuentute mea, & nunc pronuntiabo mirabilia de lege tua. Imperfectum meum vident oculi tui, & infirmitatem meam ego cognosco; & multiplicati sunt inimici mei, qui quærunt animam meam. Ideò, ad te confugi: doce me hodie, in virgine Maria matre tua, facere voluntatem tuam, & contra omnia mundi pericula, peculiarem ex eius titulis tutelam accipere.

Iudic. 13.

Ecce, ô anima mea, quàm excellens in hoc nostro rerum statu nobis occurrit encomium; magnæ, illud in B. Maria mirantibus ac venerantibus, prærogatiuæ; quando illam deuoto mentis affectu, Virgam Moysis appellamus. Numquid Moyses & Aaron, similesque viri

VIRGA MOYSIS.

Virgo Mosaicæ superat miracula virgæ:
Virga salum potuit pandere, virgo polum.

Nu dient de bruyght berstervet, belbeert in teghen-spoede,
Mariam daer toe mervet, als Wonder Moysés roede.

D'Egypte et des enfers verge tres-effroyable;
Tu es de l'uniuers Vierge tres-pitoyable.

principes, virgas seu baculos habebant, non tam
is niterentur, quàm in signum auctoritatis & præ-
turæ? neque interim paruo erant subsidio ad sui
ensionem, aliorumque castigationem. Nónne ita
piones olim apud Romanos; vt & Scipionum
ilia?

O virgam Moysis admirandam! ô Mariam, for-
adiutricem fidelium? Dixit Dominus ad Moy- *Exo. 4.*
, quid habes in manu tua? qui dixit; Virgam: *& 7.*
proiecta in terram, versa est in colubrum, atque
ùm in virgam. Ita virga Aaron quoque coram
araone proiecta, conuersa in colubrum deuorauit
gas maleficorum Ægyptiorum, & ita in decem
gis Ægypti fuit mirifica. Tu autem, ô Maria vt
ga potens, omnes serpentes & dracones, hæreses
uersas interemisti in vniuerso mundo. Virgam
m extendit Moyses in mare, & apertum est ilicò,
umque reductum super Ægyptios. Quid, ô Ma-
, in tam stupendis notamus, quod tibi non multo
stantiùs applicetur? Per te siquidem Deus spiri-
liter omnia aduersus infernalem Pharaonem in
populi salutem exercuit, quæcumque per virgam
oysis & Aaron in Ægypto patrauit. Numquid il-
quoque in te completum, quod scriptum & fa-
m est: Percussit petram & fluxerunt aquæ? Siti, *Psal.77.*
ariditate gratiæ peribat mundus; tu verò, tam-
am virga Moysis, diuinam ita petram, rigentem
titiæ lege, humilitatis tuæ sinceræque mentis re-
tudine, quasi gemino pulsu feriisti, vt gratiam in-
ires; & misericordiæ fluentis abundè faceres sca-
ire. Numquid inde vniuersæ benedictionis & gra-
per totam Ecclesiam aquæ fluxerunt?

Et vos, Angeli, atq; Archangeli, Throni, & vniuer-
nilitia cælestis exercitus, numquid admirantes stu-
ntesq; præ rei nouitate, dixistis, quãdo Domina no-
, iuxtà ac vestra in cælos ascẽdit; Quæ est ista, quæ *Cant. 3*
endit de deserto: sicut virgula fumi, ex aromatibus

myrrhæ

myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij
Rectè, quia virtutum tuarum odore, & præcellen
animæ tuæ fragrantiâ,& homines, ô B. Maria,lætifi
casti & angelos. Adde tu quoque, Zacharia Pro
pheta, tuum per figuram encomium, quo præsenter
Zac.11 beatæ Virginis titulum magis illustres. Assumsi mi
hi duas virgas. Audio:quid de illis feciſti? Vnam vo
caui Decorem, aliam Funiculum. Nónne virga ist
Funiculus, fuit Eua, quæ nos vinculis peccatorum
constrinxit? Nónne verò virga Decora, Maria, qu
summo genus humanum affecit decore, quando d
castissimis suis viscеribus genuit Deum & homi
Nu. 17 nem, vniuersi redemtorem? Nónne virga decor
virgo, quando virgæ in altari florenti comparatur
Sicut illa virga, sine quolibet naturæ adminiculo fru
ctificauit; ita virgo Maria sine coniugali opere filium
procreauit. Nónne Filium tuum,ô Domina,rectè pe
florem designari propter speciem eius asserimus; &
per fructum quoq; propter eius vtilitatem? Est enim
speciosus formâ, præ filiis hominum; & vitalis refe-
ctio,non solùm hominum, sed etiam angelorum.

O laudem, ô iubilum, ô honorabilem generis no-
Nu. 17 stri in Virgine matre splendorem! Germinauit virga
Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis erupe-
runt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas defor-
mati sunt. Venite ô Christiani, atque vtilitatis digni-
tatisque huius fructus estote participes in Christo Ie-
su Domino nostro. Numquid amygdala rectè Chri-
stum significat, in tribus præsertim ipsius conditioni-
bus? Nũquid pellis exterior fragilis, carnis & huma-
nitatis infirmitatem repræsentat? Numquid intus nu-
cleus dulcis,diuinitatis intus latentis suauitatem figu-
rat; & in medio fortis testa, fortem ipsius, & contra
cuncta aduersa constantem animam ritè significat?
Tu itaque, ô Maria, virga multis de causis decora &
honorabilis,quæ tam suauem amygdalam virgo pro-
Apo.22 tulisti. Folia verborum tuorum salutarium ad sanita-

tem

tem gentium; ecce quoad proximum. Flores verò redolentium cogitationum, verè flores tui fructus honoris & honestatis; en quoad Deum. Fructus autem operum tuorum (præter superbenedictum fructum ventris tui) primi & purissimi: & ecce quoad teipsam: quorum omnium totus quoque mundus suum habet emolumentum. O virga frugifera! ô virga tutelaris! ô virga saluifica! Vt prætores virga sua seruos in capite certo modo ferientes solent liberos facere; ita nos per te libertate donamur. Nónne sic virgam auream & decoram posuit Assuerus super collum Esther, & à morte fuit liberata? Virga directionis virga Regni tui, tu ipsa Virgo benedicta: quia sedes fuisti in qua Deus omnia dirigens requieuit: & virga directionis, quæ omnia tua in Deum direxisti, omnesque nos ad ipsum tuo exemplo dirigis. Virgo, virga Regni Dei fuisti, quia per te Regnum suum recuperauit, quod diabolus cousque in nobis vsurparat. Recta virga quoad Deum, per rectam intentionem: flexilis verò in omnem partem intuitu indigentium, iustorum, pœnitentium, viuorum & mortuorum. Ne autem contra malos virgæ nostræ deesse putetur auctoritas; audite: Consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab; vastabitque omnes filios Seth: & erit Idumæa possessio eius. Virga es, ô Maria, protectionis, omnibus ad te piè confugientibus; terror verò tuis tuorumque cultorum inimicis, iuxta illud: Virgam virtutis suæ emittet Deus ex Sion, dominari in medio inimicorum suorum.

Eccli. 24. *Pro.* 3. *Esth.* 5. *Nu.* 24

Oratio.

CConcede quæsumus, omnipotens Deus, vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, beata Maria semper virgine intercedente, ab omnibus aduersitatibus animæ & corporis expediti, securis tibi mentibus seruiamus. Amen.

23. CIVITAS REFVGII.

Præsidium, tutela, salus, pietatis asylum,
Materno vsque patent Virginis in gremio.

Ps. 103 MONTES excelsi ceruis, petra refugium he-
rinaciis. Naturæ nostræ debilitas, & con-
scia propriæ infirmitatis conditio, Domi-
ne, nos docet formidare, trepidare, & ac
tutiora fortioraque confugere. Vtque propterea va-
nè maleque consulta dicebat illa; Hæc ara tuebitur
omnes; ita nos de te, ô Virgo sanctissima, rectè fiden-
terque præsumimus, dicentes; Tu virtus, refugium
& salus nostra. In te siquidem completum agnosci-
mus, quod olim apud antiquæ Legis cultores sanci-
Nu. 35 tum recolimus; Decernite, quæ vrbes esse debeant in
præsidia fugitiuorum, qui nolentes sanguinem fude-
runt. Nos, nos homicidæ, nos fugitiui, nos, ô dulcis
Maria, exules filij Euæ. Nos sanguinem Abel iusti,
innocentis agni, Domini nostri, profudimus; neque
nolentes, innocentes, sed videntes scientesque. Atque
eapropter (ô Domine, legis huius tam benignæ ac
fauentis dictator) nobis multò magis ciuitate Re-
fugij est opus: non ad hoc tantùm, vt intereà tem-
poris innocentia nostra innotescat, & culpâ vacare
nos constet; verumetiam, vt culpa quæ in confesso
est, ciuitatis huius salutaribus meritis eluatur.

Magna quondam basilicarum immunitas, cun-
ctis in hostili vastatione ad eas confugientibus. Huc-
usque sæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem
trucidatoris furor. Illò ducebantur à miserantibus
hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. Numquam verò templis idolorum quorumcumque tanta vel à suis delata dignatio.

Tem-

Præſidium, tutela, ſalus, pietatis aſylum,
Materno vſque patent virginis in gremio.

Noch ió Maria meev, alſó een ſtadt dan toe-vlúchte:
Niemandt dan al te ſeev in angſt en bveeſe duchte.

Que chercés-vous ? ſecours, contre toute furie?
Prendés voſtre recours, vers le ſein de MARIE.



Templorum Christianorum immunitas, vrbium quidem refugij typo adumbrata dignoscitur; sed in beatæ ac Deiparæ virginis Mariæ tutela ac patrocinio fuit hoc asylum adimpletum. Dico propterea, & audacter dico, cum Dei amico, ac singulari Patronæ nostræ cultore; Impossibile est, vt aliquis ad eam conuersus, & ab ea respectus, damnetur. Quæ ratio? quódve huius tantæ fiduciæ fundamentum? Quia ipsa eum genuit, per quem mortua reuiuiscunt, & homines à peccato saluantur. Ipsa est mater saluantis & saluandorum. Maria, mater Dei qui solus damnat, qui solus saluat, quem solum timemus, in quo solo speramus, est mater nostra: Iudex verò, & saluator noster & frater noster. Quomodo ergo desperemus, cùm salus siue damnatio, à boni fratris & piæ matris pendeat arbitrio?

O dulcis, ô decora, ô amabilis, & speciosa! quàm glorioſa dicta & scripta sunt de te Ciuitas Dei! Virgo Maria, Ciuitas refugij nostri! Quia, omnia quæ ad perfectionem, decorem, ac munitionem ciuitatis requiruntur; in te singulari quadam præeminentia reperiuntur.

C Ciuitas hæc nostra, ô filiæ Ierusalem lætantes in ea, videte cum primis, quomodo in humilitate profundè fundata, nullis sit arrogantis sublimitatis obnoxia moliminibus; nihil illic fures aut alij hostes inueniãt, D quod suffodiant aut furentur. Videte præterea, quàm eximiè & excelsè per castitatem continentiamque murata sit, vt nulli vitioso incentiuo subiecta sit, aut ab vllo sit illi insultu metuendum.

E Per charitatem turrita, quàm sublimis in cælum attollitur, vt cunctas inuidiæ machinas tuta derideat. Attẽdite quoque, quomodo ciuitas ista, Maria virgo, ditata per paupertatem, humanarum diuitiarum non timet insidias. Custodita per discretionem, à cunctis errorum ambagibus est immunis. Tentationum su-F peratione pacifica, nullarum hostilium bestiarum

formidat incursum aut irreptionem. Per elegantiam meritorum, ceu mœnium ordinata; quidquid inordinati foris consurgit, nihil est quo moueatur aut timeat. Libera est immunitate peccatorum, altissima excellentiâ priuilegiorum, inuictissima munimento virtutum.

In te itaque, ô Maria, nostrum refugium ponimus, ac solamen animarum nostrarum. Tu nobis refugij ciuitas, tu asylum, & immunitas nostra. Hoc tantùm nunc, ô piissima Domina, suppliciter petimus; vt in mille periculis & malis versantes in tuam tutelam admittas, nobisque dicas ore tuo superbenedicto, instar faui pleni distillantis, quod alterius olim ore præ-
Psl. 86. dixisti; Memor ero Raab & Babylonis scientium me; ad Deum teque Dei matrem confugientium peccatorum. Si ita feceris, Domina in Raab superba, & in Rahab meretrice omnes peccatrices, eamdem per bonum propositum imitantes, spem veniæ & gratiæ haud dubiè obtinebunt, & in Babylone cuncti peccatores, qui licet sceleratissimi fuerint, singulare tamen in tuæ benignitatis auxilio patrocinium sunt inuenturi. Et verè sciunt te, quicumque audiunt, neminem vmquam afflictum ad te confugisse, quin mirabili fuerit solatio refectus, ac patrocinio restitutus.

Si quis tuum, ô pia patrona, implorauerit vmquam auxilium, & repulsam passus est; desinat ille te superuacuo labore vel clamore lacessere: sed non est, qui istud vel in se aliquando sit expertus, vel ab aliis audiuerit enarrari.

Verùm, si quis sit in hac parte timidior, & cum trepidante Iacob non audeat matris suę adoriri consilium, quo gratiam ac benedictionem accipiat tam salutarem: audiat ille Mariam in Rebecca dicentem
Gen. 27 sibi; In me sit, fili mi, ista maledictio, quam ob peccatorum tuorum enormitatem, grauitatem, ac multitudinem reformidas: tantùm audi vocem: consilium sequere; monita salutis attende; serua mandata; virtutum

tutum exempla commiſſis omiſſis imitare; ſpera in Domino, & fac bonitatem.

Meritò, mediatrix noſtra Maria, ſuſcipis hac lege cauſæ noſtræ defenſionem, clientumque tuorum ad te ſe applicantium patrocinij munus; eiſque præſcribis clientelæ præcepta: quia qui ad aſylum confugiunt, leges aſyli ſeruare debent.

O ſalutare refugium, de noxiis reddens innoxios, & de viliſſimis peccatoribus ſanctos efficiens! Nullum tale aſylum mundus habet, quod quos admiſerit, meliores reddat quàm acceperit. Id tu facis, ô Maria, peccatorum ſolatium, pereuntium ſalus, ac damni totius reparatrix! per te, meretrices & publicani præcedunt domeſticos in regno cęlorum. Nouiſſimi fiunt primi, & de ſtercore peccatorum pauperes ſuſcitantur, qui thronos angelorum poſſideant. In te, ô Maria, refugium, ſolatium, & protectionem mei repono. In hoc, Domine te largiente, tutus ſaluabor; quia altiſſimum poſuiſti refugium iſtud. *Matth.* 21.

Oratio.

PRotector noſter adſpice Deus; vt quos omni vides virtute deſtitui, ſic interiùs exteriuſq; cuſtodias, vt beatæ Filij tui genitricis Mariæ patrocinio communiti, nullis prorſus hoſtilis nequitiæ vel fallamur inſidiis, vel inſultibus conturbemur. Amen.

24. VRBS FORTITVDINIS.

Gratia quam triplici circumfluit aurea riuo,
Rideat hostiles vrbs benè tuta minas.

Isa.26. RBS fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea, murus & antemurale. Quę- A
ris adhuc, ô anima mea, Deo placere B
desiderans, quid debeas facere de puero, qui tibi natus & datus est? quomodo vitæ sanctæ progressus tibi sit contra cuncta aduersa muniendus, vtque sicut auroræ crepusculum, magis ac magis in lucem assurgat vsque ad claram diem? Fortitudine muniri debet, quasi vrbs in medio inimicorum constituta. Doceri hanc artem desideras? Edoctam ab Angelo, Samsonis nostri matrem Mariam interroga, quemadmodum hactenus consueuisti: titulumque præsentem expende, qui requisitæ munitionis formam ritè tibi præscribet, & dabit suppetias.

Sancta Maria, patrona nostra; refugium, & auxi- C
lium; doctrix & datrix eorum quibus in educanda nostra prole spirituali, vita noua, per te concepta, Deo nata & dicata, fuit opus; ad te rursum confugimus, tamquam ad vrbem fortitudinis, vt saluemur in ea, in qua Saluator noster est positus.

Et meritò: Nónne siquidem in te completum est, sanctissimæ Trinitatis præsidio, quod de fortibus illis
1. *Mac.* Machabæis sic legimus? Ædificauerunt montem
4. Sion; & per circuitum, muros altos, & turres firmas: nequando venirent gentes, & conculcarent eam? Meritò iuxta nequitiam & fortitudinem aduersariorum, etiam munitiones, mœnia, & turres præstantes exstruuntur. Numquid huc spectat illud, quod sponsus sponsæ Ecclesiæ laudans prudentiam, vigilantiam, & contra omnem hostilem incursum munitionem,

sic

VRBS FORTITVDINIS.

Gratia quam triplici circumfluit aurea riuo,
Rideat hoſtiles vrbs bene tuta minas.

Weeſt alſ een ſtadt, en ſlot, tWerkf niet en is vn Winnen:
Hebt ulieden Heer en Godt, alſ Maria bay binnen.

Contre tous aſſaillans, cette ville tient ferme:
Car, entre ſes veillans, ſon SAVVEVR *elle enferme.*

D sic inquit ; Collum tuum, sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum ? Dauid enim illam in monte Sion erexerat, vt & hostem eminùs visu detegeret, & cominùs ciues sua mole muniret. Ita tutissimo nobis refugio ac præsidio es, ô Deipara virgo, atque econtrà hostibus vniuersis terrori. Eapropter non immeritò clamabas ô Dauid omnium desolatorum nomine & figura ; Quis deducet me in ciuitatem munitam ? quis deducet in locum refugij, vt saluum me facias? *Cant.7* *Psal. 59. & 107.*

E Nónne loci firma munitio, in tribus præsertim consistit, quæ omnia in te, ô Patrona nostra fidissima, concernuntur? In murorum nempe fortitudine: in præstantium militum præsidio & custodia: & postremò in rerum ad victum & arma pertinentium copia. Attendite fideles, Christo militantes, & quod in vobis natum est sanctum, & in hanc vsque diem educatum, custodire ac tutari cupientes, attendite inquam, & quomodo tres istæ fortis vrbis ac munitionis conditiones in Deipara virgine reperiuntur, & quomodo de iisdem vobis quoque prouidere debeatis. Quid dicis, ô anima? Nónne sicut in Diua Virgine, ita quoque murus fortis in circuitu tui est continentia ; præsertim in omnibus in quibus pro humana fragilitate, limites diuinæ legis vel rationis possis excedere ? Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: monet nos Sapiens. Antemurale verò patientiam esse quis dubitet ; qua, velut propugnaculo quodam, primus hostium insultus excipitur ac sustinetur, ne vltrà se moueat? Dum itaque murus continentiæ quatitur, patientiæ antemurale obiiciatur. In omni tentatione sta fortis, ac sustinendo resiste ; nam hîc, qui patitur vincit: & non vinci, vincere est, in hoc certandi genere. *Eccli. 30.*

Præsidium autem armatorum quale quamque eximium in beata Maria exstiterit, quis enumeret? Vtinam & in te, ô anima, non desideretur. Nónne istud rectè potentias animæ, gratiam Dei, angelorum

custodiam, præclaraſq; animi dotes dixerimus, quorum omnium militum fidelis tibi præfectura gerenda eſt, quiſquis inexpugnabilis eſſe deſideras? Neque id quidem tuæ fortitudinis præſtantiâ, ſed illo donante, qui te confortat: ſine quo nihil, & cũ quo omnia, potes. Sed quæ rerum prouiſio, munitioni ſeruientium? numquid arma ſunt, virtutes, deſideria bona, piæ eiaculationes, preces, ſuſpiria, Dei graria? Nónne autem verbum ipſius, collocutiones pię, pia lectio, meditatio rerum ſpiritualium, & præſertim ſacroſancta Sacramenta, pro munitionis eiuſmodi conuictu atque alimentis cenſenda ſunt, vrbi fortitudinis neceſſarijs? Quin & panis lacrymarum, licet inſuauis videatur, cor tamen hominis confortat. Præ cunctis autem, panis angelorum; iuxta illius teſtimonium, qui illud in
Pſ. 22. ſpiritu præuidebat & præguſtabat: Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Et calix meus inebrians, quàm præclarus eſt! Sed arma ſpiritualia diſcretè tractanda ſunt, & vnicuique conuenientia deligenda. Alioqui dicere poteris, quiſquis
1. Reg. 17. indifferentet his vti volueris; Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. F

At cauendum tibi cum primis, ô cuſtos animæ vel arcis tuæ, ne tuipſe tuiipſius ſis proditor, neque puſillanimis, neque ſegnis in cuſtodia. Nónne tu, quiſquis hoſtium ſigna, arma, veſtes, actus, aut nomen extollis, pluſquam Domini ac Ducis tui Chriſti, proditoris meritò ſuſpicionem incurris? Nónne, ſi cum infidis exploratoribus, plus de viribus hoſtium metuis, quàm ſperas de Domini auxilio, puſillanimis es? Numquid ſegnis excubitor & præſidiarius deprehenderis, ſi in te confidens, & incurius, nec de pugna, nec quidquam de hoſte recogitas? Si denique teſſera hoſtili fueris vſus, nónne hoſti fauere conuinceris? Beatiſſima virgo Maria modis omnibus vrbs fortitudinis exiſtit, & fideliſſima ſuorum clientium defenſatrix contra omnes hoſtiles incurſus, ipſaſque portas G

inferni

inferni. Mulier siquidem est ista fortis, quæ fortitudine præcinxit lumbos suos. Quis hîc addubitet? Tria nominatim obseruet, in quibus vera fortitudo consistit. Nónne fortis est primùm, qui ardua viriliter aggreditur, quæ virtus magnanimitatis appellatur? Mariæ fortitudo, & decor indumentum eius, per votum perpetuæ castitatis emicuit. Manum suam misit ad fortia, quando Deum ex cælis attraxit: vt illud ei dici possit; Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? *Pro.* 31 *Pro.* 31 H

Numquid fortitudo quoque in aduersis sustinendis monstratur; quæ virtus est tolerantiæ, seu patientiæ? Numquid iuxta crucem stans beata hæc Virgo vt virago, præclarum fortitudinis huius edidit specimen? numquid totius vitæ suæ & Christi decursu, in hoc genere patiendi ferendique præfulsit? Nónne quoque in perseueranter agendo fortia, fortitudo conspicitur; quæ virtus est perseuerantiæ? Erant Apostoli perseuerantes in orationibus vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Finis autem omnigenæ fortitudinis Mariæ, quàm sublimi modo in eiusdem miraculis ornata morte, & præsertim in glorioſa Assumtione resplenduit! *Act.* 1.

Vrbs itaque es, ô Maria, fortitudinis: in te quidem iuxta omnes fortitudinis & vrbis conditiones requisitas: nobis verò clientibus tuis, exemplo atque refugio singulari.

Oratio.

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris; vt, qui infirmitatis nostræ conscij, de tua virtute confidimus, beata Maria semper Virgine intercedente, sub tua atque eius semper protectione lætemur. Amen.

25. CLYPEVS OMNIBVS IN TE SPERANTIBVS.

Diua, nec ignitus penetrabilis vmbo sagittis;
Hostica in auctoris tela retunde caput.

Pro. 30 OMNIS sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. Exurge; quare obdormis, anima mea; in medio laqueorum, in hostium medio, in mille periculorum constituta? Non vides mundum blanditijs tendentem insidias? Non audis aduersum te furentem diabolum, iuratum nostri generis hostem? Non sentis in tuam perniciem lenocinãtem tibi carnis rebellis lasciuiam? Quid sibi volunt? quidnam quærunt? Eheu, animam pueri. Elidere satagunt quidquid in te vitæ melioris elucet. Educanda, nutrienda, fouenda, ornanda, firmanda, omnibusque modis est proles hæc beata munienda, & ad perfectum per Dei gratiam beatæ Marię præsidijs perducenda. Itaque præsentis tituli præstantiam, hunc in finem pariter expendamus.

Scimus Domine, de sermone tuo ignito, quem clypeum omnibus in eo sperantibus Scriptura commemorat, elogium hoc intelligendum est: sed quidni purissimæ matri Filij tui, Mariæ, dictum hoc & symbolum applicemus, cum qua sermo tuus ita viuus consensit, vt verbum tuum in ea caro factum sit? Ipsam igitur verè & meritò clypeum omnibus in eam sperantibus profitemur, quia nominatur, & est. A

Nónne videtur ipse quoque Salomon hanc ex ore parentis tui Dauidis hausisse sententiam? Sic etenim
Ps. 17. ille: Eloquia Domini igne examinata. En nobis Dei sermonem ignitum. Vis & clypeum? Audi quod subdit; Protector est omnium sperantium in se. Siquę Nahum Prophetam accersimus; non deerit etiam ipsius dictis, quo præconij præsentis nobilitas, ac diuæ

Vir-

25. CLYPEVS OMNIBVS IN TE SPERANTIBVS.

Diua, nec ignitis penetrabilis vmbo ſagittis;
Hoſtica in auctoris tela retunde caput.

Iſt noodt, dy beter Vrilt u teghen alſ̃ be-Vreeren;
Schuylt vnder deſen ſchilt, ſoo dy marſh u niemandt deeren.

Si l'ennemy, de dards de toute part vous charge;
Venés, Chriſtiens ſoudards, venés ſous cette targe.



Virginis gloria illuſtretur. Clypeus, inquit, fortium eius ignitus: viri exercitus, in coccineis. Sed nónne de Chaldæis, hoſtibuſque ſalutis noſtræ in figura ſic loquitur? Omnino: nam & illis igniti ſunt clypei, & ignita ſunt tela, quibus nos laceſſunt infeſtiſſimè. *Nah. 2.*

Sed ignitum eloquium vehementer, quo protegimur: viuuſque eſt Dei ſermo & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus; compagum quoque ac medullarum; & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: ne quid in toto homine reperiatur immune & immunitum, quò vel ſubtiliſſima diaboli framea, vel acutiſſimum nequitiæ ſpiculum queat penetrare. *Pſ. 118* *Hebr. 4*

Tu verò, virgo Maria, verbi huius igniti mater, eamdem ab illo vim accepiſti. Ignitus es gladius, in actiuæ virtutis efficacia: clypeus verò ignitus, in tutela muniminis. Sed numquid præter præſidium, etiam à te nobis exemplum ſumendum eſt? Anne (ô filij matris veſtræ olim antiquæ, nunc Euæ nouæ) moneri nos per Apoſtolum ignoramus? Exhortantem audite: In omnibus ſumentes ſcutum fidei; in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere: & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Numquid & tu nos ita docuiſti, magiſter bone & Domine, quando contra tentationum iacula in deſerto, tali te modo muniuiſti, ignitoque ſermone, ceu clypeo, ignita diaboli tela in caput ipſius retorſiſti. *Eph. 6.*

Gratiæ tibi Domine, quòd tam certum pugnandi vincendique modum & ſpecimen exhibueris, quòd hoſtem protriueris: ſique inſurgat, quòd tam efficax remedium, in ignito tuo eloquio, tamque fidum refugium ac præſidium tuis tyronibus, nobis inquam ad trophæum adſpirantibus, in tua matre dediſti.

Sed age, quomodo nobis, ô B. Maria, clypeus es ignitus, & ſcutum inexpugnabile? Verùm, quid rogo? An viuit, qui iſtud ignoret? ſiquis ſe ignorare

affirmârit, illum ego eumdem negauero viuere. Quis non videt, ô Domina, quotquot ad tuam protectionem & patrocinium fugiunt; omnes vt clypeo contra hostis insidias, tentationes, ac impugnationes defendi & protegi? Quis neget hoc de te dici posse,
Iosue 5. & 8. quod ipsi Iosue dictum à Domino; Leua clypeum, qui in manu tua est, contra ciuitatem Hai? Sed, quid hoc rei? quænam est hæc parabola? quid mysterij sub hoc cortice delitet? Attendamus.

Numquid Hai, coaceruationem significat? quorum, nisi peccatorum; si totius rei gestæ historiam, typique naturam considerauimus? Vtque illa Deo rebellis atque infesta ciuitas clypei Iosue rutilantis interuentu deuicta superataque fuit; ita Deiparæ virginis, patronæ nostræ præsidio, laude cultuque
Rom. 6. dignissimo, deuincitur Hai, corpusque peccati destruitur. O clypeum ignitum, fulgentem, radiantem, virtute diuina scintillantem! Sed in veneratione beatæ Mariæ, honorisque eius continua sublimatione seruandum est, quod de Iosue legimus: Iosue verò non contraxit manum quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Prudenter eapropter Theophile tibi consuluisti, qui constanter huius patronæ implorationi institisti, donec omnes & scelerum tuorum coaceruationes, & tetrorum hostium machinas superasti, & sanctus effectus es.

1. Reg. 17. Ito tu, cum tuo fusili clypeo tartaree Golia. Clypeus æreus tegebat humeros tuos; sed non protexit frontem tuam contra lapidem fundâ rotatum, qui Christum præsignabat; quia frõs tua signo Saluatoris carebat. Clypeus noster in diuina Virgine, & humeros & caput & pedes aduersus tuas machinationes tuetur. Quinimò, quantumvis ventricosus, & crassior Crasso sit aliquis, vel crapulæ vitio, vel fastu turgentis superbiæ adeò intentus & distentus, vt tribus aliis clypeis tegi non possit; modò se præbeat humilem,

lem, & dictis obsequentem, sub hoc clypeo salutem inueniet tutumque refugium: qualescumque tandem fuerint peccatores, modò B. Mariæ deuotè implorent opem meliora spondentes hæc pelta tuebitur omnes.

Valeat proinde pelta tempore Numæ cælo delapsa, quam immissam vrbi salutem interpretatus est; cùm octauo eius anno pestilentia per vniuersam Italiam debacchata, Romam quoque vrbem inuasisset. Nónne longè præstantius, quod D. Gregorij tempore, pestilentia Romæ grassante, per imaginem Deiparæ virginis est obtentum, vrbe tota testante, ac sentiente præsidium?

Valeat & clypeus Saul, quem in monte Gelboë abiecit, vt non valentem eum à periculis præsentis mortis eripere. Valeant sic lapsa ancilia cælo, valeant Argolici clypei, cum Phœbæa quoque lampade conferendi; quin & orbis figuram referens clypeus, qui quod à sapientia gubernatur, à Pallade teneri describitur, iuxta illud; Hunc tibi dat clypeum Sapientia, quo regat orbem. Noster hic clypeus omnibus in se sperantibus, vniuersos præcellit, salutis æternæ præsidium conferens: qui, vt ignitus est, & charitate accendit, & illustrat scientia. Refulsit namq; sol in clypeum hunc aureum, auream inquam virginem Mariam, & resplenduerunt Sancti, ceu montes ab eo, quando Spiritus sanctus in eam cælitus superuenit. 2. Reg. 1. 1. Mac. 6.

Oratio.

PRECES nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, vt qui ex nulla nostra actione confidimus, contra aduersa omnia, sanctissimæ Vnigeniti tui genitricis protectione muniamur. Amen.

26. TVRRIS EBVRNEA.

Quanta foret castæ in MARIA *substructio mẽtis,*
Aethereo turris vertice eburna docet.

Cant. 17. COLLVM tuum sicut turris eburnea. Mirabiles elationes maris; sed mirabilis quoque in altis es, Domine. Video, experior, res ipsa testatur & clamat; Tentatio & militia est vita hominis super terram;& quærunt inimici nostri deglutire nos : sed benè prospectum nobis, vt beatissimæ Virginis ope, aquam pertranseamus intolerabilem. Expedire nos tamen intereà debemus ad pugnam; atque educata hactenus sub eius tutela vitæ melioris proles, debet quoque in omni armorum bellorumque genere exerceri.

Tu Domine, qui docés manus nostras ad prœlium, & digitos nostros ad bellum; etiam turrim nobis eburneam, propugnaculi documentique causa exædificasti, quando nobis beatam Mariam in patronam & exemplum præstitisti. Dignare igitur Domine, qui nobis dedisti signum, etiam dare intellectum, reique exequendæ obsequentem animi motum. Nónne te dictante scripsit quod scripsit Salomon, singulari per te lumine collustratus tantis mysteriis describen-
Cant. 7. dis; dum sponsæ tuæ dilectæ collum sicut turrim A
eburneam esse testatus est? Ecclesia hæc est, Maria est, B
fidelis est anima: sed Matris tuæ benedictæ præconiis modò applicamus.

Verùm, numquid, ô anima mea, duo potissimùm in hoc elogio animaduertenda sunt; turris nimirum & ebur? Turris ad munitionem, ebur verò ad ornatum spectat, vtrumq; ad mysterium. Figuram desideras, quò magis hac tua felicitate in huius tituli fructu sub beatæ Mariæ tutela exultes! Præter turrim Dauid C
in Sion, amicos saluantem, & hostes arcentem, turrim

quoque

Quanta foret caſtæ in Maria ſubſtructio mentis,
Aethereo turris vertice eburna docet.

Maria, ſtaet my by, alſ toren van yuoore;
Op dat ick ſuyuer zy, en ſtevck, ſoo ick behoore.

La tour d'iuoire blanc, monſtre en ſa bien-ſeance
De votre chaſte flanc l'inuincible conſtance.

ioque Sichem obſerua: ex qua mulier, fragmento olaris, caput obtriuit Abimelech, ignem oſtio ſubii- *Iud. 9.*
re molientis. Vidéſne prælustrem hîc confracti ca-
itis ſerpentini figuram, per Deiparæ virginis ſemen?
idéſne etiam, dum turris illa terrendis hoſtibus ſer-
iebat, quomodo amicis quoque tuendis præſidio
ierit? Aliámne figuram requiris? Audi Michæam:
t tu turris gregis, nebuloſa, filiæ Sion; vſque ad te *Mich.*
eniet. Nónne prædictam hîc à captiuitate liberatio- 4.
em fructumque Regni venturæ gratiæ latenter
nimaduertis?

Sed quare collum præcipuè, turri comparatum udimus? Miraris? Nónne colli figura & vſus, id ſatis rætendunt? Nónne caput velut in ſpecula, & in colli eu turris ſummitate collocatum conſideras? Ad quid, niſi ad excubandum, & procul venientia con-emplandum? Tu Maria, tuorum propugnatrix, noſtiumque propulſatrix; tu videns & prophetiſſa; tu præſaga futurorum, & noxia diſcutis, & profutura concilias.

Verùm, quid in ebore ſuſpicamur nobis ob oculos ſtatui? quid in illo præter munitionem & robur, quod ad ornatum quoque ſpectet, eruemus? Nónne iam antè de throno Salomonis eburneo diſquirentes, candorem quoque in ebore & ſoliditatem perſpeximus? Caſtitatem itaque & omnimodum animæ corporiſque candorem, ipſius præſertim elephantis intuitu perpendamus.

Sed numquid & alia ſunt in humano hoc animali notatu digna, quæ dignis Beatiſſimæ laudibus attollendis ſubſeruiant? Omnino, quæ propterea quoque non prætermittemus intacta, ad maiorem ipſius ac Dei omnipotentis gloriam, noſtrarumque animarum conſolationem. Numquid animal iſtud (elephas inquam) caſtiſſimum perhibetur, & quaſi continentiæ typus vbique locorum notiſſimus? Semel tantùm in vita, quaſi cõſeruandæ ſolummodò ſpeciei indul-

indulgentes, elephantes congredi referuntur. Quin etiam, post eiusmodi velut inuoluntarium, sed instinctu tantùm naturæ necessarium, congressum, se, non sine notabili ritu, in profluente videntur abluere.

O meritò igitur per candorem eburneum honorata & significata virginitas, quæ in ipsis quoque animalibus sic elucet, & in veneratione habetur! Sed numquid elephas mirabiliter etiam cognitione & memoria valet? planè. Salutant se mutuò, quo valent motu; gregatim incedunt: si hominem errantem in via repererit elephas; primùm se aliquantulum de via subducit, ne tum terreat, cùm prodesse desiderat: posteà paulatim præcedens, eumdem in viam reducit. Numquid, elephantem maximæ esse virtutis, asseritur; vt vix in hominibus tanta probitas inueniatur? Filios instruit; & quando illos malè valere cõspexerit, herbas quasdam salubres sollicitè congregat, & antequam eis vtatur, supino capite easdam ad cælum leuat, ac quasi quadam religione à supremo numine sibi auxilium postulat. Nónne præter hæc omnium animalium maximè obediens perhibetur, quodque mansuetissimum ac quasi domesticum redditur, heroque suo non sine rationis atque intellectus argumento præbens auditũ & dictis obsequentissimum?

Sed quorsum hæc omnia, de elephantis natura tam fusè relata? Tum vt summam in beatissima Virgine castitatis excellentiam, integritatem, candorem, humanitatem, mansuetudinem, benignitatem, & in mortalium genus innatam misericordiam in hoc admirabili animali adumbraremus; & nobis in exemplum statueremus: vt non immeritò, neque vnam ob causam turri eburneæ vel ebori ipsi sciremus comparatam.

Quin igitur admirandum quoque elephantis cum F dracone certamen, reportatamque victoriam recensemus, cùm & illa ad Mariæ præconium ac laudem non modicum faciat? Duplici draconem victoria

superat

perat elephas, typo quodam victoriæ, qua Maria abolum triumphauit. Primùm, caput eius obteren-, vnde etiam ſtupendè draco plangit: iuxtà Prophe- m; Faciam planctum velut draconum. Deinde quam in eius vultum proiiciendo, quam proboſcide auſerat. Nónne victoriam hanc ab alio Propheta ſtatam audimus? Percuſſiſti caput de domo impij: enudaſti fundamentum eius vſque ad collum: prout rædictum fuerat; Ipſa conteret caput tuum. En pri- num victoriæ genus. Secundum attende. Numquid uaſi fluctus iniectu occæcatus deceptuſque fuit dia- olus, expectans quando Virgo eſſet paritura, quod criptum ſciebat; dum interim Maria diuino conſilio irum accepit. Numquid ideò virgo fuit deſponſata, t à ſecretis cæleſtibus hoſtis excluderetur, eiuſque conceptus obnubilaretur? *Mich.* 1. *Hab.* 3.

Numquid & in Chriſti morte, aquæ tribulationis pſius diabolum fefellerunt, quando victor latebat Deus? Sic igitur, ô virgo Maria, & tu & ſemen tuum, draconem viciſti; & nobis omnibus ad te ſuppliciter confugientibus turris eburnea es effecta. Eſto tu quo- que, ô anima, turris eburnea, fortis & caſta; & ipſis quoque dæmonibus fies terribilis.

Oratio.

ESto nobis, quæſumus Domine, ſanctificator & cuſtos; vt qui peccatorum noſtrorum pon- dere premimur, & pro naturæ noſtræ fragilitate timemus; interueniente beata Maria virgine, à periculis mentis & corporis liberemur. Amen.

27. TVRRIS DAVIDICA.

Teq; MARIA, notant clypeatæ symbola turris, Armamenta sacræ publica militiæ.

Pro. 18 TVRRIS fortissima nomen Domini : ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. Nónne rectè nomen hîc tuum, teipsum intelligimus? Tu siquidem Deus refugium & virtus; tu fortitudo & salus nostra. In te peccator lapsus erigitur, & in te stans iustus exaltatur. Sed numquid vnigeniti Filij tui matrem, generis humani reparatricem, omnium afflictorum patronam, Mariam, rectè quoque turrim hanc fortissimam nuncupamus? Tanta est etenim titulorum donorumque inter matrem & filium communicatio; vt nihil ipse boni mortalibus largiri voluerit, quod non per hanc Mediatricem concederet. Regia namque hæc via, per quam Saluator aduenit in mundum, tantæ facta est in nostrum bonum prærogatiuæ; vt per eam quoque accessum habeamus ad Filium: dumque ipse, & nomen ipsius turris fortissima nobis efficitur; etiam meritò mater eius superbenedicta, talis turris perhibetur.

O Maria, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater Saluatoris & salutis, ora pro nobis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Ad te currit peccator, & sinum ei misericordiæ pandis, gratię fontem ostendis & aperis, solaris afflictum, vitam ei promereris & gratiam. ad te currit iustus, & iustificatur adhuc; & dum, te patrocinante, meritorum fructus incrementum accipiunt, amplioris quoque gloriæ sublimitate in cælis exaltatur.

Sed, quandoquidem Dauidicæ stirpis origine Regali ex progenie Maria refulges, numquid te meritò Turris Dauidicæ titulo insignimus? Præcine, Salomon,

Teque, Maria, notant clypeatæ ſymbola turris,
Armamenta ſacræ publica militiæ.

Ghy zydt een ſterck-beburydt, deó Vry tot u verlanghen;
Als Saudó toren Vydt, met ſchilden rondt be-hanghen.

Une tour, au dehors, de boucliers toute ceincte;
Armure des plus forts, eſt cette Vierge ſainte.



mone, electæ & præelectæ præconium, huic dignitati conueniens: Sicut turris Dauid collum tuum: quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Nónne, quod suprà meminimus, turris illa Dauidica in Sion ab ipso ædificata, ad duo potissimùm seruiebat; tum in munitionem, hostibus procul arcendis; tum in refugium, ciuibus & amicis in tutelam admittendis? Ita te, ô beatissima Virgo, protectrix nostra, duabus hisce de causis, turris instar Dauidicæ, præsentissimo nobis esse præsidio, profitemur, in quo gloriamur. Plaudebat diabolus, plangebat mortalis; infernus gaudebat, cælum mœrebat; peccatum regnabat, prostrata iacebat iustitia; mors exsultabat, vita lugebat; paradisus euacuabatur, infernus hiabat absque vllo termino & replebatur; omnes nos gementes & flentes exules filij Euæ suspirabamus, ac rugientis diaboli minas formidantes fugiebamus: non dabat nobis requiem reatus commissi discrucians miseros; desuper læsæ maiestatis ira terrebat; vndique pericula & clades ingruebant attonitis, & ecce, cùm nihil ferè ad miseri nostri status augmentum nisi extremum restaret exitium; nihilque in spem meliorum adspiraret; ecce, inquam, tu, ô sidus affulgens, ô spes vnica miserorum, Maria, ceu turris nobis in domo Dauid erigeris, firmissimis tuta præsidiis; afflictos excipiens, & deterrens instantes. Hîc iam ex eo tempore, solatium & salus eluxit, hîc finem inuenit hostilis sæuitia. Cant. 4

Dum tu terris exorta es, ô Maria, protrita absorptaque est omnis aduersa nos vrgens iniquitas; & potestas inferni, in fracta serpentis ceruice, prostrata est.

Quis tuas igitur, ô sanctissima Dei genitrix Virgo, laudes ex æquo decãtet; quam, etsi omnium nostrûm membra verterentur in linguas, nullus tamen vmquam laudare sufficeret? Quo pacto namque te dignè possit celebrare mortalis hæc nostra infirmitas, quæ gaudium parere meruisti angelorum, & mater effici

perditorum? Accedite tamen cantatrices, accedite iuuenculæ tympaniſtriæ, quæ Dauidis olim ceciniſtis encomium. Pſallite, iubilate, & præ lætitiæ magnitudine modulamini; & cantate omnes canticum nouum, quia fecit Dominus miſericordiam populo ſuo. Mariæ laudes extollite, militia cæleſtis exercitus; & cælo altiorem quantis poteſtis elogiis exaltate, quia omni laude digniſſima. Nam tametſi nullo modo dignum quid ipſius laudibus valeamus expromere, multo minùs tamen poſſumus ab eius laude ceſſare.

Ad hanc interim turrim confugite puſillanimes, grauati criminibus, deſperabundi, & ſaluabimini. Si hoſtis inſequitur, ad meliora tutioraque ſalutis tendentes; propugnacula diuinæ dignationis, probatæ virtutis, inuictæ conſtantiæ, ſagacis prudentiæ, pietatis incenſæ, & eminentis charitatis, procul omnem arcebunt incurſum. Si nudus, inermis, omnique virtutum præſidio es deſtitutus; nihil tamen morare; perge, refugium hoc pete, eò te recipe; turrim hanc tene: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, atque infirmorum potentia & virtus. Non fuit vnquam, nec eſt modò, vel vnquam futurus eſt ſanctus, iuſtus, fortis, in terra; cuius non in hac turri virtutes eluceant; ſeruiuntque illæ vniuerſis, ad eam ſpe magna confugientibus: fiuntque participes omnium timentium Dominum.

O igitur, B. Maria, ſingulare miſerorum ſolamen, & turris in monte Sion, & in Eccleſiæ vinea, à cæleſti patrefamilias æquè miſericorditer ac mirabiliter exſtructa. In te vinitores, agricolæ, paſtores, cuſtodeſque ouilis Dominici totiuſque Eccleſiæ, tranquillè requieſcunt, & circumcurſantium rident ſecuri nequitias. Non huc accedit, te cuſtode, diabolus; non leo rugiens; non vulpecula ganniens, non draco ſibilans, non lupus vlulans & inſidians, non fortis armatus inſultans. Felix tutela cunctorum, in te confidentium. Læta vindemia, per te colligentium & calcantium in

torcu-

torculari. Et beata verè habitatio ſanctorum omnium, ſiue in cælo ſiue in terra, ſub tui patrocinij (ceu turris Dauidicæ) tutela lætantium. *Pſ.86.*

Age porrò Dauid, & turrim agnoſce quam ædificaſti; vide trophæa, quæ de Idumæis contra Damaſcum victrix hæc turris reportauit, quibuſque circumueſtitur triumphans. Sublimatum ad cælos vſque, immò ſupra cælorum conuexa, culmen eius conſidera: immota viciſſim per tot ſæculorum iniurias fundamenta mirare: ſaluatorum in ea, ſi potes, myriades numera; laudantium illam colentiumque ſanctorum exercitum obſtupeſce: percenſe, ſi vales, proſtratorum eiuſque veſtigiis calcatorum hoſtium infinitas cateruas: gloriam Dauidicæ turris, ô Dauid fidelis, ſupra cæleſtium ſpirituum ſublimitatem, è ſede tua ſancta in cælis ſuſpiciens contemplare.

Exſurge, exſurge, pſalterium & cithara, vnáque cum cæleſti melodia, nobis in iubilo cordis collætantibus, in pſalterio decachordo cum cantico, Deiparam virginem Mariam, ſeminis & ſanguinis tui totiuſque generis humani reparatricem collauda. Nos tibi, ô beata Protectrix noſtra, profectum noſtrum in ſpiritu, aſſiduam in melius operam, & vitæ nouæ præſidium ac tutelam, ſingulari mentis affectu commendamus. *Pſ.56. & 91.*

Oratio.

DEuotionis noſtræ, quæſumus omnipotens Deus, tibi grata ſit ſeruitus: vt qui per intemeratæ Mariæ virginis partum, in Eccleſia tua ſingulare ſtatuiſti præſidium; per eius apud te preces & merita, ſalutare virtutum ſumamus augmentum. Amen.

28. CASTRORVM ACIES ORDINATA.

Castrorum directa acies, te vindice, detur
Fundere victrici castra inimica manu.

Cant. 16. QVÆ est ista, quæ progreditur; terribilis, vt castrorum acies ordinata? Siccine igitur, Domine, magis ac magis ingraueſcit prælium noſtrum ſpirituale? Itane iam ad caſtra diſpoſita, acieſque ordinatas venitur. Itáne poſt murorum munitionumque turritarum tutelam, poſtque leues cum hoſtibus noſtris velitationes, in campum apertum erumpitur, in conflictum deſcenditur, & quàm proxima expectari videtur impreſſio? O Maria, quàm multiplicati ſunt inimici mei qui tribulant *Pſal. 3.* me! quàm multi dicunt animæ meæ; Non eſt ſalus ipſi in Deo eius; fruſtrà ſperat in Deo ſalutari ſuo! Sed, benè eſt; plures fortioreſque nobiſcum ſunt, quàm cum illis: & non eſt ſimilis ſicut Deus noſter.

Tu quoque, ô Patrona fidelis & conſtans adiutrix, terribilis omnibus eris, vt caſtrorum acies ordinata. Pone me iuxta te, & cuiuſvis manus pugnet contra me. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi conſurgat aduerſum me prœlium, in hoc tuo ſalutari ſperabo.

Verè res admirabilis, acies armatorum in certum debitumque ordinem ritè diſpoſita: pulchra, propter ordinem armorumque ſplendorem; ſed eapropter etiam fortis & terribilis hoſtibus. Numquid è contrà victus cenſetur exercitus fuſus? Venite fideles, venite bellatores, venite cæleſtis militiæ exercitus, atque ordinatam in terris aciem intuemini, & nobiſcum admiramini. Numquid fortitudo & decor in Maria præfulgent? en vobis aciem adſpectu decoram, ſimulque

C

Castrorum directa acies, te vindice, detur
Fundere victrici castra inimica manu.

Weest alsʒ een heyr tot spoedt, vloeyt in slaxhorden staende,
Alsʒ Maria deur t'goedt, al t'quaet te bouen gaende.

Ce bataillon fourny, eſt rangé ſous tel ordre;
Que d'enfer l'ennemy, n'y pourra iamais mordre.

qúe terribilem; fortitudine ac decore permiſtis duplicatum effectum producentibus.

Trepidate, clamate, & conturbamini Philiſthæi, tentatores diaboli, & dicite: Væ nobis, væ nobis! quia arca fœderis Domini venit in caſtra. Meritò terremini poteſtates aëreæ; quia caſtra Dei ſunt hæc, in Deipara Virgine ac Regina cæli in aciem ordinatam diſpoſita, ſub Rege regum merentia. 1. Reg. 4. Gen. 32.

Videte vos interim, filiæ Sion, angelorum, virtutum, donorumque cæleſtium in hac patrona veſtra amicum vobis exercitum, fouentemque caſtrorum horum aciem ordinatam. Videte cum lætitia vultus atque animi veſtri, diuinam erga vos prouidentiam, & benignitatem: potentiam eius atque inuictum robur admiramini.

Videte inquam præſago Mariæ myſterio partuque virgineo, tamquam panis hordeacei devolutione, cuncta Madianitarum caſtra ſubuerti: atq; adreptantis Gedeonis ac Ionathæ typo, per Chriſti aduentum ex Virgine, & Madiam & Philiſthiim, infernorum exercituum turmas turbari, vireſque comminui. Iudic. 7. 1. Reg. 14.

Putáſne, ô anima mea, tantopere timeant hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum aciem ordinatam, vel multitudinem copioſam, quantopere aereæ poteſtates, ac ſpirituales nequitiæ, Mariæ patrocinium, vocabulum, vel exemplum? Fluunt ſiquidem & pereunt, ſicut fluit cera à facie ignis, vbicumque crebram illius inuenerint recordationem, deuotam inuocationem, & præcipuè ſedulam imitationem. Quid putas, quàm efficax ſit vel ſola illa benedictæ noſtræ Dominæ angelica ſalutatio? Cæli rident, angeli gaudent, mundus Chriſtianus exultat, infernus contremiſcit, cùm deuotè dicitur, Aue Maria: quid igitur quando ſeriò imploratur?

O benè conſultum illis, qui ſub tantæ, tam præſtantis, tamque præſentis propugnatricis patrocinio militant! Si Domino Magdalenæ dicente, Maria,

proprio illam nomine tantùm compellante, & metus, & trepidatio, & mœror, & dubitatio, omnisque querendi lamentandique decessit anxietas; vt quamprimùm in amabilissimam illam vocem eruperit; Rabboni! quod est interpretatum, Magister! quomodo non ipsa quoque Deipara virgo Maria, ad humilem ipsius salutationem, vel solam nominis ipsius piam compellationem, in gratiæ precationem effundetur super nos, tamquam tacta dulcore nominis sui Mariæ, intrinsecus?

Sed eheu! quàm malè sibi econtrariò consulunt omnes illi, qui beatissimæ Virginis ac Matris huius officiis minùs addicti sunt! Numquid de his horumque similibus, illud Machabæorum dici potest; multi
1. Mac. 9. subtraxerunt se de castris: de deuotione, cultu, veneratione, sodalitio, & præsidiis tantæ adiutricis. Vos
Cant. 7 ego conuenio, qui tales existitis: Quid vidistis in Sulamite, nisi choros castrorum; quibus & parata est, omnes sibi deuotos ab inimicis defendere, & efficere fortiores? Quid in D. Virgine Maria notatis, quod non omni ex parte gratiam, pietatem, & misericordiam spirat, in qua nihil vmquam inordinati repertum est?

Verùm adeste deuoti, qui Mariæ laudibus exultatis; atque admirandum in ea notate mysterium. Ros
Exod. 16. iacuit per circuitum castrorum: manna nimirum cæleste, roris instar, per castra diffusum: sed nónne præstantiùs id in Maria completum est; quando ros gratiæ cælestis, eam virtute Altissimi obumbrante impleuit? Denique, quæ vmquam castra (si castra spectamus) meliùs vmquam perfectiusque castrorum nomen sortita sunt, quàm hæc Virgo castissima? Numquid castra primùm à castitatis obseruatione sic dicta sunt; quam olim antiqui milites obseruabant, vt iura testantur? Numquid etiam per castra, hospitia intelliguntur; ac propriè loca illa, in quibus moratur exercitus, ad pugnam paratus? Iam videte, quomodo-

modocumque castra accipiamus, an non beata Maria rectissimè castrorum acies ordinata nuncupetur.

Numquid vterus eius virgineus & castus, viscera casta, in quibus Dominum exercituum hospitio excepit, per modum castrorum ordinatorum se habuerunt? Nónne in hisce puris penetralibus ordinauit charitatem Rex & Imperator omnium, fortis & potens in prælio, à quo omnia ordinata procedunt? *Cant. 2* *Ro. 13.* Numquid istis in castis castris, castis inquam visceribus intemeratæ semper Virginis, genitus est ros cælestis, vnigenitus Dei Filius, Iesus Christus, Dominus noster? Nónne de hoc rore Pater eius cæleſtis sic Iob interrogat? Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit *Iob 38.* stillas roris? ac si dicat, nisi ego?

Verè, ô beata Maria, quemadmodum es nobis amabilis defensatrix vt castrorum acies ordinata; ita es aduersariis eamdem ob causam terribilis: tribus
F hisce modis præsertim; primùm, quia caput diaboli
G contriuisti; deinde, quòd omnes hæreses sola intere-
H misti in vniuerso mundo; & postremò, quòd omnes tuos aduersarios debellas, superbos in primis, tuæque humilitatis contemtores.

Nos verò tuis semper præsidiis insistentes, te deprecamur, vt quâ apud Deum vales gratiâ, nobis impetrare digneris; quo, & tuo simus securi munimine, & tuis meritis etiam castrorum aciem ordinatam virtutum in nobis impetremus.

Oratio.

DEus, inuictæ virtutis, & immensæ maiestatis, quem nosse viuere, cui seruire regnare est; protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos; vt qui in defensione tua confidimus, beatæ Mariæ patrociniis, nullius hostilitatis arma timeamus. Amen.

IN VII. TITVLOS ALLICIENTES ARGVMENTVM.

RAHIT *sua quemque voluptas, vt vulgato sermone est receptum, atque vsu quotidiano probatissimum. Sic namque pueri pomis, & oues ramis, ac Dei seruus dilectione Patris cælestis attrahitur. Vnicuique (inquit Philosophus) est delectabile, quod amat. Omnes habemus, vnde lætemur. Delectatio, vt cum D. Augustino loquar, parit tolerantiam laborum. Inescare nos quodammodò voluit Deus, vt pisces, & aues, & ita capere. Hinc illud inter alia allectiua proposuit; In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Ioan. 14.

Quæ cùm ita se habeant; quandoquidem desiderium humanum ad illecebrosa non bona deflectit, nisi pius, bonis, diuinisque oblectamentis, tamquam sanioribus inescatus, intendat; iam septem titulos ALLICIENTES *subiungimus; quibus, præter nouum Dei Genitricis encomium, spiritualia quoque eiusmodi irritamenta continentur.*

29. PARADISVS VOLVPTATIS.

Ille tulit mortem vitæ mala, tu aurea vitæ
Mala refers, potior quis paradisus erit?

Gen. 2. PLantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominẽ, quem formauerat. Audio Domine, lego Domine, & quasi video ante oculos meos, quid feceris olim electis amicis tuis, & quid adhuc modò fidelibus tuis seruis impendas, te tuamq; dulcedinem assiduè desiderantibus. Ps. 20. Desiderium cordis eorum tribuis eis, & voluntate labiorum ipsorum non fraudas eos. Et dicunt eapropter, in crassitudine animæ suæ, sicut tuę gratię repleti dul-

PARADISVS VOLVPTATIS.

Ille tulit mortem vitæ mala, tu aurea vitæ
Mala refers, potior quis paradisus erit?

Sey kindt Godts, goedt ey Voyd, heeft vorh bermaeckt, ey Vbenschey
Maria id't paradyd, lust-hof der Christey menschey.

L'autre auoit notre mort cachée sous sa pomme:
Et cettuy, pour confort, porte la vie à l'homme.

dulcedine & pinguedine; O quàm bonum est, nos hîc esse! O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus! O quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum! O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondis & recondis; quam ostendis & rependis timentibus te! Sed & ego, ô pie Domine, in desideriis sum; & anima mea, præ ariditate sitibunda, sicut terra sine aqua tibi, clamat ad re de profundis abyssi. Respice me Domine, & miserere mei: consolare afflictam, desolatam animam refocilla, & ariditate deficientem conforta. Tu Domine, qui corda nosti omnium, vides quòd te diligam, quòd te quæram, tibique placere desiderem. Ad quem enim alium ibo solatij gratiâ, nisi ad te, Domine, qui verba viræ æternæ habes, qui creator ac redemptor es meus, salus & vita mea, gaudium meum, diliciæ meæ? Allicit mundus, caro blanditur, inuitat diabolus; sed fuco & fallaciâ plena sunt omnia: & in illis omnibus blandimentis ac irritamentis ridentibus, extrema gaudij luctus occupat. Trahe tu me Domine post te, & in odore vnguentorum tuorum curremus. Trahit sua quemque voluptas, tuque Domine voluptas mea es, tu lætitia & iubilus cordis mei. In te proiectus sum ex vtero, de ventre matris meæ, susceptor es animæ meæ.

Conuerte itaque, ô anima mea, desideriorum pleniſſima; oculos tuos in paradisum voluptatis tuæ,
B beatissimam inquam Dei genitricem, ibique pasceris deliciis æternis, ibi tuta moraberis, & cælestibus benedictionibus adimpleberis: & dilecto tuo in dilecta frueris. Gratiæ tibi Domine Deus, pro tanta tua erga genus nostrum humanitate, & munificentia, quòd præstantiorem nobis voluptatis paradisum in Filij tui matre plantasti, quam plantaueris olim primorum
C parentum vsui, á principio. Percurre, si potes & sapis, ô anima mea, & vos deuotæ mentes per singula, & paradisum hunc excellentem, ex omni parte lustra-

te, datorem laudate, vosque illo fruimini. Numquid vt ille terrestris, sic & iste spiritualis paradisus, singulari Dei sapientia & bonitate plantatus fuit? Sed nihil in isto lethale, nihil serpentinum & pestilens: ast omnia florida, tuta, salutaria, in quo Deus delicias deliciarum cumulauit. Nihil vmquam in Maria Virgine prauitatis inuentum, à qua tamen nec angelorum fuit immunis conditio. In hoc paradiso, apis illa cælestis, hoc est incarnata Sapientia, pascebatur: hîc fauum mellis distillantem inuenit, quo vniuersa tabefacti mundi amaritudo in dulcedinem versa est. D Hunc paradisum ex omni parte, angelicum cingebat præsidium; & in eius medio lignum vitæ inuentum fuit, mirabiliter insitum à principio. A principio inquam, à partibus orientis, scilicet gratiæ. In hoc positus est secundus Adam, Christus, quem Deus formauerat, cùm operatione Spiritus sancti concipi fecerat. E Benè, ô bone Samaritane, paradisum custodisti, & operatus es, in quo positus fuisti.

Verùm, amœnitatem paradisi Mariæ, in quinque præsertim causis consistentem aduertite, filiæ Ierusalem, vt illo delectemini. Nónne cum primis rectè illa paradisus dicitur voluptatis, ob diuersitatem arborum, in cuius medio positum est lignum vitæ, cuius foliis sanantur infirmi, cuius odor viuificat mortuos, cuius sapor & gustus dulcorat amaros, cuius vmbra refrigerat miseros, cuius adspectus lætificat angelos? Numquid etiam iucunditate riuulorum paradisum exæquat, cùm ipsamet dicat: Ego sicut aquæductus exiui de paradiso? Nónne quoque paradiso ritè comparatur, propter auræ tenuis gratũ refrigerium, quæ suauissimo sibilo, præsentiam & opus sancti Spiritus, in eadem fœcundanda, testata est? Numquid deinde F cantus etiam angelorum, velut auium spiritualium, huius nostri paradisi suauitatem atq; amœnitatem auget? iuxta illud: Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Nónne postremò dul-

Eccli. 24.

Iob 38.

cedo

cedo fructuum licitorum atque vtilitas paradiſum noſtrum in Maria collaudant & commendant? Quid enim aliud nobis inſinuant ſancta illa verba Eliſabeth; Benedictus fructus ventris tui?

Dic igitur, ô anima mea; O paradiſe de paradiſo! duc me ex agro Damaſceno, per peccata nimirum rubente, in paradiſum voluptatis: vt ibi malorum omnium præteritorum oblitus, & à futurorum euentu ſecurus, in amœnitate patronæ meæ iucundiſſimæ recreer; ſanitatem, ſalutem, & vitam inueniam, quam nullis vmquam ſerpentis inſidiis deceptus amittam. Sed audiam continenter, non ſolùm ſemel, illud Prophetæ; In deliciis paradiſi Dei tui fuiſti; ſed illud Apoſtoli quoque; Raptus eſt in paradiſum: immò & illud, omnium iucundiſſimum ac ſecuriſſimum, Tranſlatus eſt in paradiſum. Tunc replebor, tunc ſatiabor, tunc ero ſecurus & conſolatus. Scio namque, quòd iſte paradiſus noſter, B. Maria, alium paradiſum produxit, quando illum peperit, cuius deliciæ atque voluptas, eſſe cum filiis hominum: ſcio quoque, quòd iuxta ipſius ſponſi promiſſum emiſſiones eius, paradiſus. Vnum cole, poſſidebis & alterum. Dic igitur, ô Domine, animæ meæ, ad te ſuſpiranti, te ſingulariter deſideranti ac quærenti; dic ei inquam; Hodie mecum eris in paradiſo. Gratiæ Domine: interim Dominæ meæ veſtigiis inhærebo.

Eze.28
2. Cor. 12.
Eccli. 44.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui mirabili ſuauitatis affectu, tuorum ad te corda fidelium ſoles attrahere: da nobis, ita cæleſtibus in beata Maria deliciis ineſcari; vt huic, ceu paradiſo voluptatis inſerti, tibi in paradiſo tuo ſociari mereamur. Amen.

30. DESIDERIVM COLLIVM ÆTERNORVM.

Aeterni te ſuſpirant ſua gaudia colles:
Nos ad te æternis collibus ire pares.

Gen. 49. FILIVS accreſcens Ioſeph, filius accre- A
ſcens & decorus adſpectu. Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius; donec veniret deſiderium collium æternorum. Vtinam & ſpiritualis noſtra proles vitæ ſanctioris, Domine, fiat magis ac magis accreſcens, & coram oculis diuinæ bonitatis tuæ, decora adſpectu. Interim tamen, deſiderat anima mea ad te Deum meum; quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Deſidero te millies, mi Ieſu; quando venies? Tu verè deſiderium collium æternorum, Sanctorum in æternum manentium: tu deſideratus cunctis gentibus: quique de virgine te naſciturum promiſiſti: facta eſt & illa ſanctiſſima tua Genitrix, deſiderium collium æternorum. Veni itaque Domi-
Cant. 2 ne, ſaliens in montibus angelorum, & tranſiliens colles Sanctorum; ac conſolare me minimum ſeruulorum tuorum, vt tametſi maximus peccatorum, ſpem tamen accipiam Regni cælorum.

Sed, quid latentis myſterij ex iſtis æternis collibus eorumq; deſiderio, eruemus? Quænam illa, ô Iacob fortiſſime, tuæ benedictionis, Ioſeph impenſæ, ſententia? quid arcani magniq; conſilij, verborum iſtorum inuolucro cõmemoras? Quinam illi colles æterni? quale vel quodnam illorum deſiderium? Anne illud hîc, futurorum præſagus, ſubindicaſti, quod poſt-
Nu. 21 eà factum cognouimus; Scopuli torrentium inclinati B
ſunt, & quaſi geſtierunt, vt requieſcerent in Arnon?
Pſ. 113 Item quod cecinit Dauidica cithara; Montes exultauerunt, vt arietes; & colles ſicut agni ouium: illudque

iam

Aeterni te ſuſpirant ſua gaudia colles :
Nos ad te æternis collibus ire pares .

Dan Vrouwt bost-bvorght den Vrouwen, der heylighen uyt-berckoven,
Als Christus, Godt en mensch, van Maria Vrouwt gheboren.

VIERGE-MERE, *desir, et plaiſir des ſaints Peres,*
Vueilles-nous àfranchir, quand et eus, de miſeres.

A
A
B
C
F
F
F

iam olim præsignasti futurum desiderium collium æternorum? Suadet, ô Domine, nos id ita colligere; eò quòd iuxta Arnon colles sint asperrimi, adeoq; saxei, vt eapropter æterni dicantur: quatuor habentes cornua, vnde & tetragoni, & à sancto Propheta tuo, rupes perennes nuncupentur. O quàm admirabilis es Domine, in operibus tuis! pars quædam collium istorum inclinata fuisse perhibetur coram populo tuo Israel, vt facilè transirent, & quodammodò applausisse tuorum aduentui. Et fortasse dimidia tribus Manasse, quæ citra Iordanem remansit, sortem suam annuente Iosue circa colles istos obtinuit. Ecce, iam capimus, iam benedictionem Iacob, Ioseph impensam, in cortice saltem tenemus, atque intelligimus; vt sic ipse benedicatur, duretque eius benedictionis virtus & efficacia, donec intret in terram promissionis; per colles scilicet illos æternos in cælum se solidissimè erigentes, eique sese inclinantes, exultantes; completumque suum desiderium, in eius optato in terram promissam ingressu, quodam applausu contestantes. *Bar. 5.*

Sed, tu Domine Iesu Christe, desiderium es reuerà collium æternorum; à Sanctis omnibus desideratus; qui propter virtutum eminentiam, mentisque constantiam, rectè montes & colles æterni appellantur. Colles quidem vos & montes, ô superbi dicimini, sed non æterni: quia per Christi Dei excelsi se demississimè humiliantis sententiam, non estis in vestra sublimitate mansuri: qua dixit; Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Deus enim superbis resistit; & excelsas eorum petras confringit, dicitque; Ecce ego ad te superbe; quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ: & cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum. Item: Ecce, ego ad te mons pestifer, ait Dominus: extendam manum super te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combustionis. *Ier. 50. & 51.* De vestri similibus & ista testantur Prophetæ: Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati. Item: *Nah. 1.*

Montes

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini. Neque etiam, ô miſeri, vobis deſiderium Chriſtus eſt, vt collium æternorum : quos quemadmodum vitæ doctrinæque confundit humilitas ; ita iudicaturam vos aliquando ſcitis eius æquitatem.

Sed, ô Maria, Dei mater, aduocata & adiutrix noſtra ! ô quale tibi fuit à vitæ tuæ primordiis deſiderium Saluatoris! deſiderium Angelorum, deſiderium Sanctorum, deſiderium collium æternorum ! Et, quàm ſingulare tu quoque deſiderium talium collium es effecta, ſic vniuerſorum ſalutem Saluatoremque deſiderans ! Numquid ingens tuum deſiderium circa Meſſiæ aduentum, vel hoc ſolo verbo innuiſti, cùm exultans in ſpiritu, dixiſti; Eſurientes impleuit bonis ? Et quo verbo rectiùs Saluator noſter filius tuus, ſalutis noſtræ deſiderium, quam priùs deſiderio deſiderare ſe dixerat, explicare potuiſſet, quàm cùm in cruce diſtenſus dixit; Sitio ? Nónne ſitis & eſuries, ardentiſſimi deſiderij ſunt ſymbola & ſignificationes ? Vnde enim beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, niſi propter ardentiſſimum recti ac æqui deſideriũ, quo tales boni æmulatores exæſtuant? Et quanam quæſo alia re beatiſſima Virgo delectabatur, afficiebatur, tenebaturque, quàm Deo? Numquid illud in votis habebat prę omnibus, vt Meſſiæ venturi tempore præſens eſſet & viueret, eiuſq; auguſtiſſimæ Matri aliquando poſſet ancillari? Quis dubitet, ô Maria, quin illud ſingulari mentis affectu & guſtu, tecum aſſiduè ruminabas ; Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te, Deus! Sitiuit in te anima mea ; quàm multipliciter tibi caro mea ! Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum ; quando veniam, & quando veniet ? O Domine, ante te omne deſiderium meum ; & gemitus meus, ſicut columbæ tuæ, à te non eſt abſconditus.

Matt. 5.

Pſ. 41.

Et verè, ex qualitate deſiderij, poteſt mens honeſta cognoſci : atque eapropter, qui Chriſtum deſiderat illoque

illoque pane vescitur, vt dicit Sanctus quidam, non quærit magnopere, de quàm pretiosis cibis excrementa conficiat. Ingens itaque fuit, ô Maria, tuum salutis nostræ studium, quod per verbum (Fiat) indicasti; quod non in dubitantis indicium, sed in vehementer desiderantis signum, prolatum est.

O beatissimæ igitur sponsæ Dei ardentissimum desiderium; quod tantæ fuit efficaciæ, vt illum facere sibi mereretur filium, per quem facta sunt omnia! Numquid meritò propter hoc exaudiuit Deus desiderium collium æternorum, Patriarcharum, Prophetarum, & Patrum sanctorum omnium? Nónne tunc impletum est illud; Desiderium pauperum exaudiuit Dominus; & ad ipsum die ac nocte clamantium; veni Domine & noli tardare? *Psal.9.*

Nónne, ipsa quoque, vt diximus, desiderium colliuin æternorum effecta est Deipara virgo; postquam Isaia præcinente innotuerat, totique mundo in votis erat Virgo illa, quæ conceptura erat filium & paritura; cuius nomen præferret id quod erat futurus, Iesus scilicet & Saluator humani generis? Sed nónne & tu, ô Maria, tibi desiderium eras, quotiescumque hanc Virginem legebas, audiebas, cogitabas, & te fore ignorabas? Numquid illam videre, eique toto cordis desiderio famulari peroptabas? O igitur eximium desiderij nostri desideratique desiderium! Foue in nobis hanc in te dilectumque tuum filium voluntatem, ac desiderium voluptate condîtum; vt aliquando pia nostra desideria compleantur. *Isa.7.*

Oratio.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera; da fidelibus tuis illam, intercedente beata Maria semper Virgine, voluntatem, vt à terrenis affectibus expiati, cælestibus desideriis insistamus. Amen.

31. LILIVM INTER SPINAS.

Lilia pungentes inter fragrantia ſpinas
Fac nos in mediis florida Virgo malis.

Iudic. 13. VID debemus facere, de puero, qui datus eſt nobis, & hucuſque educatus? Miraris, ô homo, noſtram in hac vitæ nouæ tamquam prolis ſpiritualis educandæ curâ ſollicitam inueſtigationem? Periculoſas adoleſcentiæ illecebras, & quaſi teneræ ætatis lubricitatem attende, & mirari ceſſabis: quin & multò maiori diligentiâ opus eſſe fateberis, vt homo Deo placere deſiderans, nullis mundi fallaciis ac deliciis à ſuo ſtudio reuocetur.

Pro 6. Diſcurre itaque, ô anima mea! non ceſſet manus tua, neque des requiem oculis; quò minùs ſemper æquè ſedula quæras & obſerues, quid tibi facto ſit opus; ne ſpiritus tuus bonus, ſimplex & rectus, ad illicita mundi carníſve deflectat, ſed deliciis cæleſtibus ineſcatus, delectetur in Domino. Patronam noſtram communem, Deiparam virginem, hoc in titulo contemplemur. Nam proles noſtra, vitæ inquam ſanctæ propoſitum & cœptum, virtutum pulchritudine, vitæque puritatis ſplendore, eò amoris adduci pelliciique debet, vt ipſa quoque ad imitationem Mariæ, lilium inter ſpinas efficiatur. Numquid, ſponſa ſpondente, liliis, puris caſtiſque animis, delectatur ſponſus Chriſtus? Dilectam audi de dilecto *Cant. 2* teſtantem; Dilectus meus mihi, & ego illi; qui paſcitur inter lilia. Sed fortè ſcire deſideras, quonam modo titulus hic patronæ noſtræ conueniat? Audi iam *Ibidem* ipſum quoque ſponſum id affirmantem; Sicut lilium inter ſpinas; ſic amica mea inter filias.

Venite, audite, videte, & intelligite myſterium, filiæ, virgines, ſponſę, dilectę, & ſorores dilecti, ſponſi, Chriſti;

Lilia pungentes inter fragrantia ſpinas
Fac nos in medijs florida virgo malis.

Maria als lely ſoet, met doornen vondt-beplant
Leert, hoe ghy vbeſen moet, in dit droef ballyntje landt.

La douleur embellit votre beautè diuine
Comme un lis ſ'anoblit au milieu de l'eſpine.

Christi; fideles animæ, mentes piæ, deuotæ omnes. Spinæ vocamini, sed nihil illæ, neque vos ipsæ, vestro vel decori vel incolumitati nocebitis, si Mariæ, lilio vestro singulari coniunctæ manseritis: nam, tametsi sensu quodam spinæ dicimini, & sitis; lilia tamen & ipsæ verè estis, & nominamini. Itaque, pari passu procedite; ac lilium hoc singulare inter spinas multimodis situm attendite, atque in eius decore delectamini.

Numquid in primis rectè lilio comparatur Maria, si formam ipsam floris aspicitis! Nónne lilium à radice rectà sursum tendit; & quò magis ad perfectum adscendit, eò se magis flos ipse in terram inclinat; in virtutum excellentia maiorem demissionem suo typo signando? Quid dicit Scriptura? quid Sapiens monet? Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Nónne sic Maria, quò magis cælo Deoq; appropinquabat per virtutum celsitudinem, eò de se humiliùs sentiebat per submissionem? Numquid huc quoque Dei oculos deflexit, ad gratiam inueniendam? Respexit humilitatem ancillæ suæ. Numquid & ipse candor lilij Mariæ candorem, puritatem virgineam, mentisque splendorem, designat? Numquid eam ob causam Angeli quandoque in vestibus albis apparuerunt; & virgines in stolis albis agnum sequuntur? Sed, quis insuper neget, odorem quoque lilij beatæ Mariæ fragrantiam, odoremque vitę in vitam, totam Ecclesiæ domum replentem, repræsentare? Si iam lilij vim, ad sanitates exquirimus, quis finis futurus? Nónne tumorem sedant, saniem purgant, morsumque serpentis curant lilia? Quis hîc non videat, superbiæ, luxuriæ, ac morsus auaritiæ, ceterorumque vitiorum in Maria remedium, per eius humilitatem, castimoniam, paupertatem, ceteraſque ipsius virtutes innumeras figurari, ac in earum exemplo proponi? Quidnam igitur vobis, de lilio nostro videtur? Numquid meritò dicimus omnes, rerum omnium conditori Deo; Ex omnibus floribus, elegisti tibi lilium vnum? Nónne meritò etiam

Eccli. 3

4. Esd. 5

in huius honoris argumentum & testimonium, in
Exo.25 antiquo Testamento, lilia in candelabro aureo, in vsum tabernaculi, Dei iussu facta sunt?

Sed nunc, quomodo lilium inter spinas beata sit Virgo, requiritis? Totidē & istud modis edisseramus, videlicet quatuor. Verè mirabilis horum connexio & societas! Sed numquid vt ipsi Iob maiori fuit laudi, quod in terra Hus, & peruersorum medio simplex ac rectus fuerit; ita ad maiorem quoque lilij laudem conducit, quòd in tam horridis spinis illæsum consistit? Attendite itaque & videte. Nónne Maria lilium E inter spinas cumprimis fuit, quando doloribus, vt gladijs, fuit circumdata? quando filij matris eius synagogæ contra eam pugnarunt. Deinde, nónne lilium inter spinas fuit, quando tam benedicta inter omnes mulieres declarata resplenduit; vt omnes, quotquot ante ipsam fuerunt, vel post eam futuræ sunt, quantúmvis speciosæ & gratiosæ exstiterint, omnes tamen eius comparatione spinæ tantummodò censeantur? Sicut lilium inter spinas, sic, ô Maria, omnes in omni genere laudis excellis mulieres. Sed numquid, ô sanctissima Domina, te quoque sicut lilium inter spinas agnoscimus, inter animas omnes, æterno Patri per Christum reconciliatas, & filiarum loco adoptatas? Tametsi enim illæ inter se comparatæ, & mente, & carne virgines existentes, lilia videri possint, & verè sint; si tamen illæ omnes tecum, ô Maria, sponsa Christi selecta, conferantur, in spinas abeunt: neque odorem vllum, neque colorem, vel gustum vllum habere, tibi comparatæ, videntur, spinarum instar. Tu, ô superbenedicta Dei mater, lilium inter spinas, quasi rosa in spinis nascens, vniuersis es creaturis admirationi. Tu sola, cum alijs collata, sicut columba in accipitrum medio, dici potes ouis in medio luporum, stella in medio nubium, germen iustitiæ in oppido iniquitatis.

Sed numquid & alio adhuc modo Maria, lilium inter spinas habenda est? Etsi namque ex lege naturæ,

omnes

omnes filiæ humanæ ſpinoſæ, vt in peccato conceptę, ſunt; nónne tamẽ hæc Virgo ſingularis, & Chriſti mater ſanctiſſima, per legem gratię immaculata permanſit? O lilium, ô ſpinæ! ô inter & interim! ô anima mea! ſpinæ ſenteſque circumſtant, horrent, minantur inceſtum, vellicationem & excidium: ſed tu, inter mundi, carnis, & diaboli tentamina, firma conſiſte, ſuccreſce, vireſce, candorem conſerua: ſique icta hinc inde compungeris, maiorem ex te melioremque patientiæ, verborum humilium odorem exhala, & coronaberis. Sine macula, nihil virtutis amittens, dilecto placebis magis, qui in tui medio conſidebit, & lilium in medio liliorum commorabitur.

De te ipſa diffidis, ô anima! age. Quidquid eſt quod Deo hunc in finem paras offerre, gratiſſimis Mariæ manibus trade. Nimirum candidiſſima quædam ſunt lilia. Nec cauſabitur ille liliorum amator, inter lilia non inuentum, quidquid illud ſit, quod inter Mariæ manus inuenerit. Deſcendit ſiquidem dilectus noſter in hortum ſuum, ad areolam aromatis, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. Hortus Eccleſia, areola Maria, & lilium: lilia & virgines & nos ſimus. Colligi vis à Chriſto? Eſto lilium tu quoque; ſi non in virginitate, in iuſtitia ſaltem & ſanctitate. Spinæ non deerunt tamen, tentationes. *Cant. 6*

Oratio.

VOta quæſumus Domine ſupplicantis animæ cæleſti pietate proſequere; vt quæ tot cincta periculis tibi fideliter adhærere deſiderat, beatæ Mariæ munita præſidijs, & à nullis aduerſitatibus obruatur, & libera tibi mente deſeruiat. Amen.

23. RVBVS ARDENS INCOMBVSTVS.

Qualis inoffensum lambit sacra flamma rubetum;
Talis in integrâ virgine mater ouat.

Exod. 3 APPARVIT Dominus Moysi in flamma A ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses; Vadam & videbo visionem hanc magnam: quare non comburatur rubus. Rectè tu quidem, ô Moyses, quia verè res admiratione adspectuque dignissima, rubus ardens incombustus. Et nos tecum omnes idipsum admiramur, scrutarique contendimus: quia admirari, facit homines tandem etiam philosophari. Omnes afficimur, allicimur, & desideriis variis inescamur. Si non cælestibus & diuinis; reuerà quasi certum periculum, ne terrenis & vanis; immò, quod deterius est, etiam mortiferis abducamur: rectis itaque inhærendum.

O anima mea, quàm allectiuum & attractiuum electuariũ est istud, quod huius tituli cortice nostris mentibus obtectum proponitur! Moysi quoq; ipsius ardentissimum videndi rimandique desiderium nos docet, quàm efficax fuerit latens in sic ardente rubo mysterium. Sed nónne geminato nobis sensu tantæ rei secretum euoluitur? Video, video, ô Iudæi, sed non in bonum nec in laudem vobis. Video inquam, in vobis rubum ardentem & non combustum; vobis in testimonium, sed non in salutem: synagogam nimirum vestram, per legem accensam, sed non correctam. Ignis quidem vobis fuit in rubo, sed rubus vester non est consumtus. Lex peccata designauit & reprehen-
Ier. 6. dit; sed non fuit ignis illas spinas consumens. Frustrà vobis omnia, ô infelices, obdurati, & occæcati! Frustrà conflauit conflator; malitiæ enim vestræ non sunt B consumtæ. Fruſtrà fuit vobis ignis in rubo peccatorum,

2. RVBVS ARDENS INCOMBVSTVS.

Qualis inoffensum lambit sacra flamma rubetum;
Talis in integrâ virgine mater ouat.

Siet hier den dooren vlam sonder verbranden gheuen;
Soo heeft Maria t'lam ghebaert, en maeght ghebleuen.

L'on doit intituler cette mere sans blasme,
La ronce sans bruler, au milieu de la flame.

rum, quia consumtus non fuit. Meritò tibi (ô Moyses) à Domino prædictum fuit; Dormies cum Patribus tuis; & populus iste consurgens fornicabitur post Deos alienos. *Deu.31*

Verũ enimuerò, felicius fuit istud Ecclesię noui Testamenti præsagium. Ignis siquidem immissus arsit & exarsit in terra, quia Deus noster ignis consumens est, per charitatem multitudinem peccatorũ operientem, delentem, & consumentem. Numquid interim, ô fideles Ecclesiæ zelatores, rubus etiam ardens & incombustus Ecclesia ipsa, tribulationis & persecutionis igne probata, turbata, agitata, sed non consumta? *Heb.12*

C Tu verò, beatissima Dei genitrix, ô quàm sublimi mysterio rubus ardens & incombustus prædicaris! ô quàm in hac flamma ignis, eluxit tua fœcunda virginitas! In rubo ignis, in partu virginitas, & partus in virginitate. Quid etenim rubus ille Mosaicus portendebat, flammas quidem emittens, & ardens, sed incombustus & illæsus persistens, nisi Mariam parientem, & dolorem vel pudicitiæ detrimentum non sentientem? Sicut namque rubi naturam excedit, si flammis vndique coopertus, nihilominùs tamen maneat incõbustus; ita non humanæ, sed diuinæ virtutis opus proprium fuit, prægnans & pariens Mariæ virginitas. Magna reuerà visio, rubus ardens, sine combustione; sed magnum quoque signum in cælo, mulier illæsa manens amicta sole. Tu, ô Maria, sola corruptibilitatem cum incorruptibilitate coniunctam habuisti; atque eapropter admirandum signum mundo dedisti. *Exo. 3.* *Apo.12*

Hanc imitemur, ô virgines, ô Deo deuoti fideles, ac præsertim Religioso statui consecrati! Si exardescit ignis in spinis, si fortè carnis tentamenta succendunt, si sæcularis amoris vos flamma corripiat, si terrenarum rerum cupido lacessit; state, durate, viriliter agite. Consumat & decoquat amoris diuini flamma quod prauum est; maneatque de cetero rubi viror intactus & incombustus. Si in medio laqueorum periculorumque

rumque incedendum est; si in vitiorum vitiosorumque hominum incendio, atque in medio Nationis prauæ versandum; stemus illæsi, incombusti, atque ab omni detrimẽto immunes. Numquid quàm plurimos inaudimus in mediis ignibus à Deo conseruatos?
Dan. 3. Numquid trium puerorum in ardentis camini, & quidem septuplum accensi, flamma tutelam, immunitatem, immò refrigerationem nouis frequenter exemplis renouatam audimus? Si pestilentem in animas vestras peccatorum ignem grassari non permiseritis; nihil etiam vobis omnia incendiorum incommoda obesse posse videbitis. Numquid legimus, mulierem igni adiudicatam, suumque scelus in Diuæ virginis Mariæ templo, quod in via occurrebat, deplorantem, eique se commendantem, in ignem bis térve coniectam, nequiuisse comburi; sed populo in beatæ Marię honorem flagitante, liberam fuisse demissam? D

O Maria, solatium afflictorum, fidelis adiutrix desolatorum peccatorum, ad te suppliciter confugientium! Patrocinium quoque tuum nobis impende misericors, ne nos vitiorum flamma comburat, æternæque combustioni tradat puniendos. Quisquis igitur sanctissimæ Dei genitricis exoptat auxilium, imitetur exemplum; atque ita rubum in ea ardentem & non combustum veneretur, vt & ipse in semetipso talis rubus effici mereatur.

Quid agimus, anima? quî tibi arridet ista conditio, vtque te ad istud aggrediendum sentis animatam?
Ps. 38. Non concaluit cor tuum intra te, ad istud eloquium; & in meditatione tua non exardescit ignis? Sed, quid audio te gementem, & lugubre nescio quid tecum ruminãtem? Heu, heu, me miseram & desolatam! Egres-
Iudic. 9 sus est ignis de rhamno, & deuorat cedros Libani. O Domine; ecce ignis in conspectu tuo exardescit, & quis est qui exstinguet eum? Vtinam sic tãdem Domine, aura tuæ gratiæ rorem adducens ab oriente adspiret, vt & vniuersa aduersarij mei arma & scuta comburat

burat ignis,& ſpecioſa deſerti animi mei,virenteſque rubi, ceteraque vireta illæſa permaneant! Emitte ſaltem Domine vocem tuam de alto, ſed vocem validam,vehementem,& imperantem tempeſtati præſenti: vocem quæ intercidat flammam ignis,& pretioſa à vilibus, amica ab hoſtilibus, vt ſenſata, diſcernat. Alioqui,incendet hic ignis,timeo,ſanctuarium tuum, & montium ſanctorum tuorum fundamenta comburet. Domine, remitte mihi vt refrigerer, priuſquam abeam,& ampliùs non ero. Ardeat ignis,immò & rubus ſpinoſæ cupiditatis exardeat, & conſumatur; ſed rubus virentis virtutis, bonæ voluntatis, ac pretioſæ animæ vigor illæſus ſeruetur. *Pſ.* 38.

Beata Maria, rubus ardens incombuſte, adiuua me,atque ignis tuæ charitatis à prauo me igne eripiat; vt cantans laudem tuam, dicat tibi anima mea: Liberaſti me à preſſura flammæ quæ circumdedit me: & in medio ignis non ſum æſtuata. Mitte Deus de excelſo ignem in oſſibus meis, atque ignis ignem abſumat: vt incenſa igni & ſuffoſſa,ab increpatione vultus tui depereant; & ego per ignem & aquam euadam incolumis.

Oratio.

IN mentibus noſtris, quæſumus Domine, veræ fidei ſacramenta confirma; vt Vnigenitus tuus Ieſus Chriſtus, qui Matris integritatem non minuit ſed ſacrauit; & vitiorum noſtrorum flammas exſtinguat, & amoris ſui faces in nobis accendat. Amen.

33. HORTVS CONCLVSVS.

Clauſus es? ô benè! nam claudens qui paſcitur inter
Lilia, prô quantas Hortule claudis opes!

Cant. 4 HORTVS concluſus, ſoror mea, ſponſa, hortus concluſus. Quantò magis, ô Domine, dulcedine tuæ matris illecti, deſiderio mentis noſtræ amantis ſatisfacere nitimur; tantò maior appetitus accenditur, ad plura ſemper maioraque delibandum. Et neſcio quid ſit, quod quò magis admiranda ſuaueolentiæ ipſius occultantur & occluduntur, eò magis inardeſcit animus ad illa perſcrutanda. Curandum nobis, & adlaborandum agnoſco, vt puer nobis datus & natus, vitæ ſanctæ propoſitum & cœptum, bonis & pulchris delectetur, & in ſummo tandem bono & pulchro conquieſcat; quod es tu, Domine Deus meus. Et ecce, quàm opportunè præſentem Patronæ noſtræ titulum, vt exemplar & ſpeculum, hunc in vſum contemplamur, vt imitemur, tibique per illam placeamus!

Audi colloquium ſponſi cum ſponſa, merum, ô ani- A
ma mea, tui doloris ſolatium. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus. Quid ad hæc, ſponſa reſpondes? Veniat dilectus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.

Hortus es, ô Maria, per operationem Spiritus ſancti, propter amœnitatem, vbertatem & vtilitatem. Concluſus, caſtitatis intuitu; ante partum, in partu, & poſt partum. Sed numquid etiam concluſus contra omnia nequiſſimi nequam molimina? Huc quidem B
irrepere conamini, inueterati malorum, miniſtri diaboli, hæretici; nunc eius pudicitiæ, nunc fœcunditati
Dã. 13 maternali, per inſidias calumniam ſtruentes; quemadmodum ſenes illi deprauati hortum apertum fuiſſe conaban-

Clauſus es? ô bene! nam claudens qui paſcitur inter
Lilia, prô quantas hortule claudis opes!

Dat ghy alſ Maria zydt een hofken wel be-ſloten;
Dan quaetheit wel be-wrydt, met graty ouer-goten.

Ce iardin entouré d'une ferme cloture,
Eſt fort bien aſſeuré encontre toute iniure.

conabantur adſtruere, quem caſta Suſanna concluſerat: ſed, ſed inquam, ô malignantes! Suſcitauit Dominus Spiritum ſanctum Pueri iunioris, cui nomen Ieſus; atque per eum conuictæ interemtæque ſunt omnes veſtræ hæreticæ prauitates & machinationes in vniuerſo mundo.

Nónne, ſicut tunc Daniel clamauit; Mundus ego ſum à ſanguine huius: quaſi dicat; Tam munda eſt hæc ab iſta calumnia, quàm ego mundus & immunis à culpa haberi volo & debeo; nónne (inquam) ita Chriſtus illibatam matris integritatem contra cunctas aduerſantium voces ac molitiones tuetur? ac ſi dicat; Mea res agitur, dum Matris meæ & Virginis intemeratæ pudicitia & partus (qui ego ſum) vocatur in dubium. Sic fatui filij Iſrael, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, iudicaſtis filiam Iſrael! Reuertimini ad iudicium; quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam.

O Maria! ô quauis Suſannâ caſtaque matronâ perfectior puriorque! Vide, quomodo filius Dei, filius tuus, factus filius hominis, matris ſuæ cauſam in ſe recepit, ac definiuit in vtraque (quæ maximè ſemper à partibus agitabatur) litis difficultate! Numquid, ſicut dum tua ſugebat vbera, ſe natum ex te, te ſuam eſſe matrem aſſerebat; ita dum in ſtellis, & Angelis, & Magis faciebat miracula, ſe tali pacto Deum declarabat? Numquid igitur, te matrem ſuam, veram Dei matrem teſtabatur? Iam verò, poſtquam per Prophetas prædici, per figuras verò præſignari, perque totum mundum expectari curarat, quòd virgo conciperet, & mater eius eſſet futura; nónne quoque re ipſa hoc ipſum poſteà confirmauit? Ecquando id fecerit, poſtulas ô anima mea clariùs intueri? Nónne tibi ſatis videtur matris ſuæ integritatem adſtruxiſſe, quando corporaliter, & intrando ianuis clauſis cubiculum, & exeundo ſigillis non fractis clauſum ſepulchrum, oſtendit fieri potuiſſe, & verè factum eſſe, quod fieri

voluisse & prædixerat & prefigurarat? Numquid igitur certum, id iam tum accidisse; quandoquidem facto ipso in se ostendit, quod tale quid fieri potuit, quod vt sic fieret voluit?

Mater es igitur, ô Virgo sanctissima, naturalis & vera Christi Domini nostri, Filij hominis, filij Dei,
Rom. 1. Mater Dei. Filij Dei, inquam, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem; & ex nulla alia matre, quàm ex te: ad quam specialiter ac nominatim
Luc. 1. missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth, certâ & indubitatâ loci, nominis, conditionis, progeniei ac status descriptione adhibitâ; vt nullus tanto in mysterio dubitationi vel ambiguitati locus relinqueretur.

O hortum ergo fœcundum ad mundi collapsi recreationem! ô hortum conclusum, ad tuæ puritatis & integritatis conseruationem? Huc neque serpens ille Euæ supplantator accessum vel in minimo habuit; nulla hîc peccati labes, nulla (vt in paradisum) Dei maledictio est ingressa. Cor tuum, ô Maria, ne minima quidem diaboli suggestio subintrauit. Deus hunc hortum plantauit, coluit, clausit, clauemque solus portauit: neque adeò reuerà Magdalena errasti,
Ioan. 20. quando Christum, huius horti custodem ac Dominum, hortulanum putasti.

Esto tu quoque hortus conclusus, ô anima mea; nec sus vlla luxuriæ, nec canis inuidię, nec vulpes fraudulentiæ, neque venenatarum cogitationum serpentes, ingressum in eum inueniant: sed solus ipse, qui Dominus eius solus esse debet, Christus, sponsus, dilectus, & frater tuus. Colet & custodiet illum, vt deliciarum suarum ac voluptatis diuinæ paradisum.

Dic igitur, anima mea, dic dilecta dilecto tuo, dic
Cāt. 4. cum sponsa lætanter; Surge aquilo, veni auster: perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Procul abscede, diabolica suggestio. Veni sancte Spiritus, cor meum & carnem meam perfla. Reple tuorum corda fidelium

delium : & tui amoris in eis ignem accende. Fluant omata piarum cogitationum, verborum ædificanum,& ſuaueolentia opera virtutum. Fluant inquam, rę vbertate de cordis abundantia,& plenitudine græ tuæ. Sic tamen, ô Domine,ad tui nominis laudem roximiąque ſalutem fluant, vt non penitus effluant. a verbis & factis hortuli mei, proximorum indientiæ per charitatem ſubſeruiam, vt tamen propriæ luti non deſim : quia quid proderit homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? *Matth.* 16.

Hortus noſter igitur, ô anima, ſit apertus in alioum ſolatium ac commodum, per fructuum bonoumq; operum communicationem; ſed ſit cautè conluſus, per prudentem contra omnes inimici inſidias *Deut.* 16.
ræmunitionem. Cuſtodi itaque temetipſam ſollicitè,atque attende tibi.

Oratio.

DEus,qui fidelium mentes, beatæ Mariæ intercedentibus meritis, fœtu nouæ prolis ampliſtas: da nos ita tuis ſemper communiri præſidiis; vt nullis neque inimicorum pateamus inſidiis,neque violentis incurſibus elidamur. Amen.

34. TABERNACVLVM DEI CVM HOMINIBVS.

Quàm modica immensus sibi conopæa tetendit,
Cùm nos delicias vellet habere suas.

Apo. 21 AVDIVI vocem magnam de throno dicentem; Ecce tabernaculum Dei, cum hominibus; & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. O defectionem salutarem per concupiscentiam hanc spiritalem! Tuus sum, Domine Iesu: tibi viuere, tibi soli seruire desidero, quia tibi soli placere concupisco. Tabernacula me tua dilecta pelliciunt, atria spatiosa recipiunt; sed tu Domine solus replere potes animam meam concupita dulcedine. Quia tamen ad illam non peruenitur, nisi pater tuus traxerit nos, etiam illa delectant, per quæ nos ad summam illam beatitudinis æternæ fruitionem trahit & allicit.

Trahe nos Domine, attrahe, & pertrahe nos, admiranda tuæ Matris dulcedine & sublimitate, qua eam decorasti. Audi itaque, ô anima, quod vidit & audiuit Apostolus. Audiui vocem magnam. Miraris? Vocis huius intensæ magnitudine, diuinæ erga nos bonitatis ac misericordię magnitudo declaratur, ipsiusque beatitudinis ac felicitatis immẽsitas. Sed numquid etiam vox magna nos excitat, atq; attentos reddit, vt omnes eam audiamus, ac spe tantorum bonorum ad assensum inuitemur? Miranda profectò nobis hic titulus B. Mariæ singularis ob oculos ponit. Thronum audimus; & cuius, nisi Dei, de quo vox ita magna processit? magna vox à magno, de magnis, ad magna. Taberna-

TABERNACVLVM DEI CVM HOMINIBVS.

Quàm modica immenſus ſibi conopæa tetendit,
Cum nos delicias vellet habere ſuas!

Godts tabernakel veyn, dat zyn de goede menſchen:
Maria d'eelſte gveyn: mocht ghy yet meerderø wenſchen?

Sous ce ſacré rideau, Dieu a l'homme ſ'aſſemble;
Et d'un fait ſi nouueau toute la terre tremble.


B
A

rnaculum Dei monſtratur, non iam in cælis, ſed in
ra cum hominibus. Habitatio, quies, gubernatio,
otectio, mutuus amor, opima ditatio, & ſumma
atitudo promittitur. O magnalia, ô deſiderabilia, ô
mmè felicia, ac potentia Deo & hominibus!

Anima mea, leua oculos tuos, & vide, omnia iſta *Iſa.60.*
ngregata, & accumulata venerunt tibi. Admirare,
ardeſce, concupiſce; quia concupiuit & ipſe Rex de- *Pſ. 44.*
rem tuum; quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus,
tu ancilla, ſponſa, ſoror eius. Quid audimus? quid
idemus? quid accipimus? mira, magna, ſuauia, ſaluta-
a, & ipſummet datorem in omnibus. Numquid ta-
ernaculum hoc eſt, quam antè Ioannes vocauerat Ie- *Apo.21*
ſalem nouam, deſcendẽtem de cælo, præparatam, vt
onſam ornatam viro ſuo? Ergo tabernaculum iſtud,
iuitas Dei eſt, & nos populus eius, conciues Chriſti
coheredes. Sed quare iam tam ſolenniter taberna-
uli nomine, cæleſtis Ieruſalem percenſetur? An igno-
as quàm celebre tabernaculi nomen apud antiqui ſę-
uli Patres exſtiterit, quod à Moyſe conſtructũ, iuxta
xemplar quod ei Dominus ipſe in monte monſtra-
erat, quaſi è cælo profectum ac delatum in terras ha-
ebatur? Præterea, nónne etiam, eò quòd in taberna-
culo illo teſtimonij ac fœderis erat arca, & propitiato-
ium, & Cherubim, & Sanctum ſanctorum, cæleſtis
manſionis figuram prætendit? Nónne tabernaculum
Dei, Apoſtolo teſte, cæleſte domicilium appellatur?

Venite igitur, & congaudete fideles, congratulami-
ni, & confitemini Domino quoniam bonus, quoniam
in ſæculum miſericordia eius. Ecce, tabernaculum
Dei, manſio Dei, habitatio, ciuitas Dei cum homini-
bus, in hominibus, & pro hominibus; in ſalutẽ, in ex-
altationem, in glorificationẽ ſempiternam. Numquid
de Eccleſia ſancta verum id eſſe, clariſſimum eſt?
Numquid ſimiliter æquè verũ de ſacroſancto Domi-
nici corporis Sacramento? Numquid & de vnoquoq;
noſtrũm, inquantum veri ſumus Chriſtiani? Planè: ſed
ſingu-

singulari modo, in sanctissima Domini nostri geniti-
ce Maria, mysterium hoc contemplemur.

Quid ipsamet inquit, tam sublime cognoscens
considerans sacramentum, & tantæ dignitatis rei tes-
Eccli. monium præbens? Qui creauit me, requieuit in tabe-
24. naculo meo. Quid hoc est? De tabernaculo Dei, ô vi-
go Deipara, loquimur, & tu tuum vocas? Tuum era-
ô Maria, tabernaculum, quia vterus tuus; sed tame-
eius veriùs fuit, quia te creauit, & in eo requieuit:
de tuo suum accipiēs, factus est homo, te matre Deu-
Ps. 18. filium pariente. In te, velut in sole, posuit tabernacu-
lum suum, quod & sanctificauit Altissimus. Nónn
igitur benè dicimus nos, ô Dei genitrix pręclara, quo
singularem quemdam amicum tuum prædixisse me
minimus, te sanctissimum, augustissimumque esse D
tabernaculum.

Sed accurrite virgines, paranymphi concurrite, &
nobiscum, excelsum hunc in genus humanum ab ani
marum nostrarum sponso collatum thesaurum, gra-
tantes expendite. Nónne Virgo castissima, Domina a
patrona nostra, tabernaculum Dei, thalamus eiu
Ps. 18. quoque vocatus est. Ipse tamquam sponsus proce-
dens de thalamo suo. Et ita reuerà est: nam respectu
desponsationis, & consociationis ibi per Christum
factæ cum humano genere, thalamus fuit: respectu
verò eius, quòd idem ipse Dei filius est, & Emma-
nuel, hoc est, nobiscum Deus, rectè tabernaculum
Dei cum hominibus Maria censetur.

Magnum reuerà beneficium, ac priuilegium singu-
lare, Tabernaculum Dei esse cum hominibus; in quo
tutò possint homines ad Deum accedere, hominem
factum. Nónne, quando ad magnum aliquem Domi-
num quisquam aliquid petiturus accedit, gaudet, se-
que felicem iudicat, dum custodes, vestibulum, & ipse
aditus, conniuent? Tabernaculum Dei cum homini-
bus; neque solùm in hominum medio, sed cum homi-
nibus, illis fauens, illos protegens, causam illorum

ſcipiens, patrocinans, donans ſecuritate, & ditans, ans, ac cæleſtibus aſſerens. Omnibus itaque modis hominibus eſt hoc tabernaculum; quòd eos omnias modis ad libertatem, ſecuritatem, ac ſublimitam (maiorem quàm vmquam aliquis in ſæculo à begniſſimo Domino exoptare poſſit) adducat. O faciam acceſſum, ô promtum auxilium, ô decus immenum, ô diuinum æternæ ſalutis præſidium!

Sed, ô anima mea, ne tibi defueris; nam quid tibi abernaculum hoc cum hominibus, profuturum extimas, ſi tu non præparaueris in corde tuo tabernaulum ſponſo tuo, tabernaculi huius ſancti conditori c Domino? Nam, cuius æternum eſt in cælo taberna- *Heb. 9.* ulum non manufactum, & in terris elegit Mariam in halamum & tabernaculum virgineum ac viuum, ille dem in corde tuo, ceterorumque fidelium cordibus, abernaculum habere deſiderat, in quo requieſcat.

Oratio.

DEus, qui de viuis & electis lapidibus æternum Maieſtati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cæleſtia; vt qui tabernaculum tuum cum hominibus conſtituiſti, beata Maria intercedente, viuum Spiritus ſancti tabernaculum effici nos, concedas. Amen.

25. THALAMVS SPONSI.

Dius Hymen, quo naturæ Deus oscula nostræ
Libauit, casto Virginis in thalamo.

Ps. 18. IN sole posuit tabernaculum suum; & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum; & magis magisque me tuus amor inebriat Domine. Vtinam me tandem veri virum desideriorum efficias, vt neque me mundi deliciæ moueant, neque tuis vmquam sufficienter exsatier. O quàm mihi hoc esset bonum & delectabile! Sic enim me carnalium terrenarumque rerum fastidium certò teneret, & delectationum tuarum affectus semper accresceret.

Luc. 15 Angeli Dei, quibus tam ingens super vno peccatore pœnitentiam agente in cælis est gaudium, orate pro me, tantillumque cælestis beneficij mihi à fonte bonorum Domino impetrate; vt ex animæ penetralibus, amoris alieni & peregrini radices euulsæ, numquam repullulent; sed igne diuini amoris consumtæ supprimantur, atque ille me deinceps totum possideat. San-

Phil. 3. cti Dei, qui Christi amore saucij, omnes mundi voluptates, diuitias, & honores, vt quisquilias reputastis; totoque cordis vestri desiderio pellecti fuistis in castissimam Saluatoris Iesu amœnitatem, pro me vos quoque intercedite, vt incendium hoc sanctum & ardor diuinus me totum sibi vendicet; atque omnia mihi vilescant, præ Christi dilecti mei dulcedine.

Sancta Maria, singulare refugium afflictorum, huc-
usque me tuus amor, exemplum virtutum tuarum, ac salutare præsidium, Deo duce, feliciter adduxerunt. Bonus esse desidero, Deo seruire percupio, atq; ipsius diuinæ voluntati placere; tuam ad hoc opem, ô Domini

Dius hymen, quo naturæ Deus oscula nostræ
Libauit, casto virginis in thalamo.

Maria maeght met eer, alsó hoftey vn-betovdey,
Jó moeder vandey heer, ey slaep-kamer gheWovdey.

La chambre de l'espous sont tes chastes entrailles.
Ausquell's Dieu auec nous a fait ses espousailles.

A
F
B
C
I

mini noſtri Mater, imploro. Speculum ſummæ tuæ perfectionis intueor, defectum meum atque imperfectum agnoſco; ſuccurre poſcenti, vt per te dilecto tuo Filio commender; ac virtutum veſtigia, quibus illi tam grata fuiſti, vtcumque vel eminus ſectari valeam.

Veni itaque, ô anima mea, ſolitaque freti fiducia & familiaritate, beatiſſimæ Dei Genitricis obſequiis nos inſinuemus, humiliter ſupplicantes. Pia eſt & clemens, miſericordiis ſcatens & affluens gratiis; non confundet faciem noſtram, neque vota fruſtrabit ſibi libenter ac fideliter famulantium.

En, in præſentiarum, ceu thalamus ſponſi nobis contemplanda proponitur. 3. *Reg.* 20.

O mellitum nomenclaturæ genus! ô titulum amœnum, piorumque cordium allectiuum! Tu Domine, ſicut ſponſus, de thalamo hoc tuo proceſſiſti; permitte quæſumus, vt nos eumdem, humiles, amantes, venerabundi, trementes, & obſequentes intremus. Hic eſt enim reconciliationis humanæ ſecretum, pacis initæ ictique cum Deo fœderis firmamentum, ſcrinium amoris diuini, tutum atque commune ſalutis armarium, afflictorum aſylum, & inuentæ gratiæ conditorium, triclinium ſanctiſſimæ Trinitatis, ac reparationis noſtræ munimentum. O thalamum charitatis, pacis, gratiæ, miſericordiæ, & diuinæ naturæ cum humana connubij ſalutaris! O quàm bonum eſt, nos hîc eſſe, atque in eius dulcedine æternùm commorari! O anima mea, hîc pariter commoremur, donec qui induxit, eduxerit.

Tu Domine Ieſu, ceu ſponſus virginalis de hoc thalamo proceſſiſti; non ſponſam repudians vel relinquens; ſed eam æterna tibi confœderatione deuinciens, & morte tua ab æterna ſeruitute diaboli liberans. Sit tuus hic thalamus iam nobis loco refugij, portuſque fidelis in noſtris aduerſitatibus & procellis. Tabernaculum tuum, quod in hoc ſole tibi conſti-

tuisti, sit nobis contra cuncta mundi tabernacula munimentum. In hoc lætemur, quiescamus, spem sanctam vitæ æternæ exspectantes. O Maria, tabernaculum, thalamus, thronus, templum, & ciuitas Dei! da nobis ita tuis meritis & exemplis proficere; vt ciuitatis sanctæ, cælestis Ierusalem, ciues effici atque inueniri mereamur: quia sicut in illa, ita lætantium quoque omnium habitatio est in te, sancta Dei genitrix virgo.

Ps.86.

Venite sodales, virgines, & quotquot fideles estis huius sponsæ cultores, & assectlæ; atque in ipsius splendore, sublimitate, & gloria collætamini. Sperate consortium, exspectate præsidium, & exemplum sectamini. Auditis paranymphum, dilectum Christo sponso discipulum, cui virgo sponsus, sponsam suam ac matrem, virgini virginem commendauit, clamantem & dicentem; Veni, ostendam tibi sponsam vxorem Agni? Audio, video, desidero.

Apoc. 21.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, quem niueo virginei corporis vellere mater & sponsa vestiuit; qui coram tondentibus obmutuisti; qui mortuus es, & viuis; qui hostem deuictum, mortemque ipsam, cum mundo prostrato triumphasti; qui te sequentes interno miræ charitatis vinculo post te trahis; qui eosdem canticum cunctis aliis ignotum edoces; qui sectatotes tuos mirè lætificas, & gloriæ corona exornas; da nobis aliquid abundantissimæ tuæ mansuetudinis, bonitatis & gratiæ: vt sponsæ matrisque tuæ Mariæ præsidiis adiuti, virtutum eius exempla imitemur; certi, quòd tibi placebimus, si meritis eius tam placidis insigniti fuerimus.

Nónne per Moysen hæc nobis benedictio in Beniamin est prædicta? Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros eius conquiescet. Vox igitur sponsi, & vox sponsæ audiatur in nobis, vt benedictionibus repleamur.

Deut. 33.

Ier. 33.

Dic

Dic itaque nobis, ô Domine, ſponſe ſanguinum, animarum noſtrarum amator, dic inquam vt audiamus & ſentiamus; Benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini. Dic & tu, ô ſponſa, virgo Maria; & ſonet quoque vox tua in auribus noſtris, vox enim tua ſuauis, & facies tua decora; dic oro; Eſurientes impleuit bonis; & quod dicis hoc impetra. Nos autem, ita te Chriſte colemus aſſi duè, quaſi ſponſum decoratum corona; & te, ô virgo Maria, quaſi ſponſam ornatam monilibus: vt tecum, & per te videntes Ieſum ſemper collætemur. *Pſ.* 128 *Iſa.* 61.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in nuptiarum fœdere, Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum præſignaſti; qui & aſſumtâ carnis noſtræ ſubſtantiâ, ex vtero matris, quaſi ſponſus de thalamo ſuo proceſſit, concede propitius, vt myſterij tam ſalutaris participes, æternùm cum ſponſa & Agno lætemur. Amen.

IN VII. TITVLOS CORROBORANTES ARGVMENTVM.

Matt. 15. QVEMADMODVM *benignissimus Dominus noster, in deserto curabat, ne turbæ, quæ eum verbi ipsius pellectæ dulcedine illuc vsque secutæ fuerant, in via deficerent; ita curandum in via spiritali virtutumq; profectu, ne quis in vitæ nouitate succrescens deficiat; dum allectus ad id, quo trahi se sentit, anhelat sequique contendit: quare confortatione illi est opus. Sic namque & Eliæ, iam quasi præ angustia*
3. Reg. 19. *spiritus deficienti, ab Angelo dictum est, Surge, comede; grandis enim tibi restat via. Ita vir ille Ægyptius, quem*
1. Reg. 30. *Dauid inimicos persequens in via semimortuum reperit, cùm comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocillatus est. Eapropter,* ALLICIENTIBVS *Deiparæ virginis titulis delibatis, ne in eorum dulcedinem decurrentes deliquium animi patiantur, septem* CORROBORANTES *subiungemus.*

36. TABERNACVLVM FOEDERIS.

Papilione sub hoc Deus atq; homo fœdera iungũt:
Ara sed arcani conscia Virgo fuit.

Exod. 25. DIxit Dominus ad Moysen; Iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius, sic facietis illud. Ó quàm verè Domine Deus, admiratione & animaduersione dignũ, quod tam seriò Moysi mandasti, non solùm dum prędictis iam verbis illũ, ante mõstratum exemplar, faciendi operis præmonuisti; verumetiam, quãdo iam ostenso prototypo sic dixisti, Eriges tabernaculũ iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Nónne vehementer corroborat hominem, A

Exod. 26.

ô anima

Papilione ſub hoc Deus atq; homo foedera iungunt:
Ara ſed arcani conſcia virgo fuit.

O Wonder-baer ſpertakel! Godt neemt vnd byder handt;
Maria iſt tabernakel, daer dit ſalich ver-bandt.

D' enfer le noir brouillon perd Adam et ſa race;
Que ſous ce pauillon Dieu reprend' ore en grace.

ô anima mea, non solùm, quòd aliquando talis exsti-
terit locus, certumque manufactum tabernaculum,
B quod Deus ipse fœderis tabernaculum nominauit, &
ab omnibus nominari sic voluit; verumetiam viuum
in Diua virgine tabernaculum fœderis erexit: vt
quemadmodum omnibus constabat, Deum in illo
C priori cum hominibus iniisse certum pactum & fœ-
dus; ita in isto toti mundo innotesceret, admirandum
esse diuinæ substantiæ cum humana factam confœ-
derationem; quando in vtero beatæ Mariæ, verbum *Ioan.1.*
caro factum est, & Deus homo? Numquid vtrique
tabernaculo conuenit, quod in vtroque mirâ Dei
prouidentiâ gestum agnoscitur; nimirum quod ipse
promiserat, qui & tabernaculi auctor & fœderis
ictor est Dominus? Quid obsecro? Ego ero vobis in
Deum, & vos mihi in populum. Ego in medio ve-
stri habitabo, & protector vester ero. Domine mise-
ricors & miserator; magnus in maiestate, & in boni-
tate mirabilis, quid dicam tibi, quídve retribuam,
pro omnibus quæ retribuisti nobis? Quid est homo, *Psal.8.*
quia memor es eius; aut filius hominis, quia visitas
eum? Magnum reuerà, captumque humanum su-
perans, & mysterium & beneficium. Iterùm dic igi-
tur, anima mea; Domine, quid est homo, quia inno- *Ps.143*
tuisti ei; aut filius hominis, quia reputas eum? Visi-
tas eum diluculo; & subitò probas illum.
D Venite filij hominum, audite me; & misericordiam
Domini docebo vos. Parentes nostri comederunt *Ier.31.*
vuam acerbam, de ligno vetito gustarunt, Dei præce-
ptum transgressi sunt, & dentes nostri obstupuerunt,
venter noster amaricatus est, atque animam nostram
gladius damnationis pertransiit. Omnes catenis con-
stricti, morti deuincti, & inferno mancipati in certum
exitiũ trahebamur. Non erat qui redimeret; ad omne
bonũ opúsve salutis eramus impotes; morsus mortis,
& inferni exactores erant implacabiles, nulla redẽtio-
E nis spes miseris affulgebat. Tabernaculũ sibi tandem

erexit omnipotens & misericors Dominus, Architecto Spiritu sancto; in quo, cùm Dei Filius carnem assumeret, homo factus & manens Deus, Patris æterni cum mortalium genere fœdus admirandum & hactenus inauditum iniretur, ac maxima ibidem fieret duorum extremorum affinitas; Dei nimirum immensi, immortalis & summè boni, cum homine terreno, Dei inimico, & creaturarum omnium infimo per peccatum. O tabernaculum, ô fœdus, ô confœderatos Deo felices mortales! O beata Maria, partium tam distantium propitia conciliatrix! Te meritò veneramur & colimus; tuas omni iure canimus laudes, ex qua pacis & salutis nostræ sublimitas tam præclaram duxit originem.

Sed & tu, ô anima mea, & quisquis es Christo deuotus ac fidelis Mariæ imitator; tabernaculum fœderis te quoq; esse memineris; atque eapropter, agnosce dignitatem tuam, & pro tali te gerito. Non audis à
Exod. 25. Deo dictum tibi? Fac mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Non habes artificem? Spiritus sanctus est ille Beseleel, artifex omnium. Potuítne ille F in omni materia operari? multo meliùs iste poterit, sine quo nihil poterat ille, quo Dominus eum ad ista repleuerat. Quid enim interpretemur Beseleel, nisi vmbram Dei? Quid igitur Deus ipse, si tantum valuit vmbra? quantum? Audi. Ecce, vocaui ex nomine Beseleel, & impleui eum spiritu Dei; sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest, ex auro, & argento, & ære, & marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum. Dediq́ue ei socium Ooliab, quod interpretatur, G splendor patris, tabernaculum, aut tentorium patris.

Vides, ô homo; tabernaculum Dei & fœderis esse debes; & cuiuscumq; materiæ vel conditionis existis, Spiritus sanctus Architectus ex omni materia sibi tabernaculum efficere potis est. Tu tantùm te præbe tractabilem, eiusque ductui obsecundantem. Si renouaueris

uaueris in te, ceu tabernaculo, fœdus in baptiſmate initum, multiplici figura adumbratum, implebitur. Fœdus nempe Abrahæ cum Deo de circumciſione; fœdus Iacob cum Deo, de mutua conſociatione; fœdus Moyſi cum Deo, de cultu, clientela & patrocinio, renouabuntur, & in te perfectionem accipient. Arca Dei requieſcet in te, bonorum omnium theſaurus; Chriſtus inquam Dominus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & bonitatis abſconditi. *Coloſ. 2*

Fœderis autem hæc ſumma eſt; vt ſit Deus noſter, & nos eius populus: nos legem eius ſeruantes, & ipſe nos protegens, ac ſaluans in æternum.

O Maria, tabernaculorum tabernaculum, & fœderis excellentiſſimi procuratrix & teſtis; hanc nobis à filio tuo gratiam impetrare dignare; vt legi ſic initi fœderis ſtemus, & Deo vſque ad mortem fideles ſimus.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ beatæ Mariæ virginis vterum diuinæ tuæ Maieſtati habitaculum, Spiritu ſancto cooperante, præparaſti, & pangendo nobiſcum fœderi tabernaculum effeciſti; præſta ſupplicibus tuis, vt eiuſdem protecti ſuffragiis, & corpore tibi famulemur & mente. Amen.

37. ALTARE THYMIAMATIS.

Mater odorati thymiamatis ara, mephitim
Criminis heu nostri corrige odore tuo.

Exod. 30. FACIES quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim. Cornua ex ipso procedent; vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, & cornua. Facieſque ei coronam aureolam per gyrum. Et duos annulos aureos sub corona, per singula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipsos quoque vectes facies de lignis Setim, & inaurabis. Defectio Domine tenuit me, pro mirabilibus concernentibus legem tuam; sed benigna visitatio tua custodiuit spiritum meum, in suauí fortique dispositione secretorum tuorum; quæ vt mirabiliter in antiquis præsignasti, ita in nouis ac recentibus misericorditer adimplesti. Benedictum sit A B nomen sanctum gloriæ tuæ, quòd in hoc mundo corruptibili, variis rerum inanium putoribus pleno, de tam præstanti virtutum fragrantia in Vnigeniti tui Matre dilectis tuis prouidisti. Plurima nos ad vanitates abstraherent, ad incentiua vitiorum illicerent, in certum exitium proturbarent; nisi mirificis sanctissimæ Virginis huius ac matris odoribus confortati, contra eiusmodi cuncta saluti nostræ aduersantia fortiter obstaremus.

O diuinum consilium! ô donum cæleste! ô præstans mundo labenti remedium, in Mariæ sacrario C consignatum! Inter innumera tibi, ô Moyses, à Domino in monte monstrata, quoad tabernaculum Dei, & multiplicem ipsius sacram supellectilem, sacris vsibus deputatã; non infimæ fuit dignitatis ac sacramenti, pretiosum & excellens illud Altare thymiamatis,

Mater odorati thymiamatis ara, mephitim
Criminis heu nostri corrige odore tuo.

Leeft soo, komt Godt soo naer, dat u herte marh voesey,
Als eenen reuck-autaer, met Maria ghepreseij.

Adreße de chacun vers le ciel la priere,
Saint autel de parfum, meslee a tã fumiere.

matis, tam determinatis distinctisque tibi descriptum nominibus, tam exactâ materiæ, formæ, partium, ornatus, magnitudinis, & vsus distinctione depictum; & tam excellentis mysterij figurâ præfulgens. O felices nos Christianos, veros patris fidei Abrahæ filios, & spirituales Iudæos, nomen tuum, ô Domine, & magnalia confitentes, eique diuinas laudes canentes in sæcula!

Venite eapropter, lætantes accedite, fideles; ac cæleste beneficium in sacrosancta Deipara virgine Maria, nostro generi præstitum in altari thymiamatis animaduertite, ac felicitatem tantam gratulabundi agnoscite. Numquid iam legistis, numquid audistis, & vidistis altare descriptum, confectum, erectum, sanctificatum, & vsui suo deputatum? Cuncta mirando modo in Patrona nostra Maria, adimpleta miramini. Numquid vnica verè ara fuit illa reperta nostris infortuniis? nónne peculiaris ara miserationi sacrata? Vtque vno verbo dicam, nónne beata Maria cunctis mortalibus ad extrema redactis sacra ara esse dignoscitur?

Sed scire desideras, ô anima mea, quibusnam illa modis ad adolendum thymiamata altare exstiterit? Expende per singulas dicti iam altaris partes & munia, & confitebitur cor tuum & lingua laudabit, in Maria veritatem. In primis, de lignis Setim altare confectum, nónne perpulchrè beatæ Mariæ virginis incorruptam atque incorruptibilem præstantiam, in mentis ac corporis integritate figurauit? Numquid etiam argumento fuit, quòd post beatam ipsius obdormitionem, Deus non permitteret corpus eius sanctum videre corruptionem? Anne cornua quatuor, virtutum cardinalium & angularium, quibus vt eminentioribus tota probitatis moles innitebatur, huic altari nostro Diuæ virgini defuerũt? An auro purissimo vestitam quis dubitet, quæ diuina sapientia circumornata, & sole vestita splendebat? Quis, præter

hæc, aurea corona redimitam ignoret, qui virtute Altissimi obumbratam agnorit? Quis annulos aureos in ea desideret, qui fidem ipsius, qua se Deo obstrinxit; ac charitatem, qua se totius mundi saluti mancipauit, expenderit? Duobus quoque vectibus in omnem terram certo modo perlata est, quando piarum precum, & sanctorum meritorum suffragiis, omnes vbique mortales propitiationis suæ facit esse participes.

Nunc autem vsum ipsius altaris, ô virgines, castæ
Exo.30 & piæ mentes, attendite. In altari thymiamatis, manè & vesperi, quando adornabantur & componebantur lucernæ in tabernaculo, fiebat odoris boni suffitus, & incensum thymiamatis adolebatur. Cumque per singulos dies, super altare holocaustorum cremarentur carnes; non censebatur hostia consummata, quousque sacerdos acceptis prunis de altari in batillo, intraret tabernaculum, venienſque ad altare thymiamatis, super craticulam eius prunas collocaret, & puluerem thymiamatis superponeret, vt ita fumus odoris gratissimi ad Sanctum sanctorum ascenderet. Quid vobis, ô virgines, animis sedit?

Numquid ab origine mundi, & quasi primo manè, Mariæ bonus odor adhibitus fuit, quando iam serpentino afflatu, peccati mortisque fœtor in orbem terrarum fuisset insperſus? Numquid item opportuna spei frangrantia, & odore solatij, Maria morientes, quasi sub vitæ veſperam, refocillat? Numquid de cetero suaueolens iste thymiamatis fumus ad Sanctum sanctorum ascendit, contra letalem peccatorum nostrorum fœtorem, quotidie ad diuinæ Maiestatis nares ascendentem?

Sed, vnde nam istud thymiama conficitur? Illud ex quatuor speciebus aromatis, Dei iussu, confectum agnoscimus, stacte nimirũ, onyche, galbano, & thure lucidissimo. Numquid præter odoramenta præstantia precum, desideriorum, operum, meritorumque sublimium

ium & exemplorum, quæ in corde noſtro velut in ari thymiamatis, ad ſacroſanctæ Dei genitricis Ma- æ imitationem, debemus quotidie incendere. Deo- ae offerre; quatuor etiam haſce ſpirituales aromatis ecies, in ſacri thymiamatis vſum commiſcere & olere debemus? Vt nimirum per dies ſingulos quibus multa committimus diuinæ bonitati non ad- odum grata, proximis non adeò bonum odorem ræbentia, & optima quæque noſtra munia quodam uaſi pœdore inficientia) hæc quatuor in altari cor- is noſtri expendamus Deoque offeramus: 1. Tibi Domine ſeruire debeo, certum eſt. 2. Non id fa- io ſatis; confiteor. 3. Pœnitet omnium defectuum eorum, vt par eſt. 4. Emendabo me, te adiu- ante, ſic firmiter propono. O raram aram cordis euoti! ô ſacram aram Mariæ patrocinantis! ô ſalu- arem aram crucis, nos ſaluantis! hæc ara tuebitur mnes.

Oratio.

ANnue quæſumus Domine precibus noſtris, & altare hoc cordis noſtri tuo cultui dedicatum, cæleſtis virtutis benedictione ſanctifica; vt beatæ Mariæ virtutum fragrantiâ confortati, gratum quoque meritorum odorem diuino tuo conſpectui iugiter offeramus. Amen.

38. VIRGA IESSE.

Virga, parens floris, quem spiritus ille coronat;
Nos tibi, te nobis, inseruisse velis.

Isa. 11. EGREDIETVR virga de radice Iesse, flos de radice eius ascendet; & requiescet super eum spiritus Domini. Noli hîc multùm rogare, ô anima mea, vel dubitare, quid debeamus facere de puero qui datus est nobis à Domino; iuxta sanctum vitæ nouæ propositum, ceu prolem spiritalem, hucusque beatæ Mariæ præsidiis ac patrociniis educatam. Postquam iam siquidem bonis ac honestis delectari cœpit, atque in cœpto vtcumque confortari; foueri magis ac magis debet, frequenterque nouis modis animari, atque ad altiora semper excitari: ne fortè tristium interuentu reique præclaræ difficultate perterritus, fatigetur, tædeat cœpti, animúmve despondeat.

1 Para. 11. Non recordaris, ô anima mea, quod de Dauide Scriptura commemorat? Audi; Proficiebat Dauid, vadens & crescens; & Dominus exercituum erat cum eo. Nónne Samuelis exemplum hoc ipsum confirmat? 1. Re. 2 Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat; & placebat tam Deo quàm hominibus. Virga Iesse iuuabit & confortabit nos, si ritè nobis illam illiusq; typum nobis applicuerimus. Virgo Maria consueto nos patrocinio proteget, atque ad altiora virtutum & gratiæ dona ac pignora promouebit. Non recordaris, Prophetam de Christi natiuitate populorumque conuersione vaticinantem, virgamque Iesse, florem, fructumque eius ex Maria prouenturum exaltantem, Spiritum Domini super eum requieturum dixisse? Numquid & inter septem Spiritus sancti dona, spiritum fortitudinis singulariter proclamauit? In

hoc

VIRGA IESSE.

Virga, parens floris, quem ſpiritus ille coronat;
Nos tibi te nobis inſeruiſſe velis.

Neemt teghen allen ſtoot, van Maria deed Iesse,
Draeght in der herten ſchoot, de roede en boom van Jesse.

Bourgeon, d'ou ſort la fleur, que l'eſprit ſaint couronne,
Nourry de ſon odeur en nous toute oeuure bonne.



ſpiritu, in hac fortitudine ſpem ponentes, huius
cti Maria mediante participes, non deficiemus
uando; ſed nouis ſemper gratiæ incrementis, ſo-
íque fomentis adiuti, proficiemus & creſcemus,
am Deo & coram hominibus, quia Dominus
rcituum erit nobiſcum.

Venite itaque formidoloſi, venite puſilli, & labo-
tes in remigando; venite ponentes laborem in
ecepto, quibuſque ventus contrarius eſt: nolite
idere, nolite deficere, neque retrò reſpicere, neque
ento veniente terreri, ne fortè in puſillanimitatis
rticem, & deſperationis abyſſum ſubſidatis. Ma-
m attendite, virgam Ieſſe prehendite, confortami-
, nolite timere. Numquam illa deſpexerit, quiſquis
am adſpexerit. Audi proinde Prophetam, ſignum
iantem, omnes hortantem atque animantem, cer-
mque ſalutem gentibus in Virginis fructu magno
m animi ſenſu decantantem: Radix Ieſſe; qui ſtat in *Iſa.11.*
gnum populorum: ipſum gentes deprecabuntur.
eſſe non noſti, qui & Iſai dictus eſt, pater Dauid?
ſumquid in Saluatoris noſtri genealogia ſic legi-
mus: Booz genuit Obed ex Ruth; Obed autem ge-
uit Ieſſe, Ieſſe autem Dauid Regem? Quid hîc ani- *Mat.1.*
maduertimus? Nónne deſcriptum Chriſti ortum ex
emine Dauid, ſub nomine patris ipſius Ieſſe? Num-
quid hæc omnia plena tibi videntur myſterij confor-
antis, & animum ad præclara ſuggerentis? Nónne
neritò tibi fructus horum omnium eximius, Domi-
nus noſter, in ſignum populorum ſtatutus videtur;
non ſolùm in quem, ceu in ſcopum, conuitiorum &
contradictionum tela, maleuolorum inuidiâ, tor-
queantur; verumetiam, in quem certatim populi fi-
delium coniiciant oculos, pia vota colliment, & tur-
matim anhelent, vt ad certam ſalutem confugiant?

Sed nunc tria præcipua in præſenti titulo, ad eam-
dem pertinentia, perpẽdamus. Nónne radicẽ, virgam,
& florem audiuimus? Et quidem aliquando Radix
Ieſſe,

Ieſſe, aliquando Virga Ieſſe, tum Maria virgo, t
vnigenitus eius, Chriſtus, nuncupatur. Numquid
Ro. 15. loquentem audimus Apoſtolum; Et Iſaias ait; E
radix Ieſſe: & qui exſurget regere gentes; in ipſ
Gentes ſperabunt: quod ſuprà, ex ipſo Propheta n
minimus. Videtíſne, caſtæ, deuotæque animæ, ex
omnibus colligi, radicem eſſe ſemen Dauid, filij Ie
ſtirpem illam Regiam? Numquid & beata virgo M
ria, virga eſt iſta, ex progenie Dauid, quemadmod
ex Ioſephi progenie, cui iuxta legem fuit deſponſa
conſtabat? Florem autem de radice ex virga naſce
tem requiritis? Ieſum Chriſtum, fructum vteri be
tæ Mariæ benedictum attendite; cuius in odore v
luptatem ponentes, mirum quantopere ſentie
corda veſtra confortari.

Sed, venite vos quoque, animales, nihil ſpiritu
Gal. 3. habentes; &, qui, cùm ſpiritu cœperitis, carne tande
conſummamini: ad hunc florem accedite, adſpirate
reſpirate, os & nares aperite, & attrahite ſpiritú: qui
requieſcit ſuper hunc floridum florem & verè Naza
renum, ſpiritus Domini, ſeptiformi gratiâ ſuorum
corda fidelium refocillans. Mutate conſilium, ô ſtul
ti, miſeri, & cæci mundi amatores, inanes & vani; a
dicite; quodque dicitis, hoc & ſentite in vobis; dicit
Pſ. 50. lingua, dicite ſpiritu; Cor mundum crea in me Deus
& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Nón-
ne ſpem vobis id impetrandi ſat magnam dedit, qu
& in Iordane Spiritum ſanctum, in columbæ ſpecie,
ſuper eumdem hunc florem Ieſum requieſcere fecit?

Habemus itaque radicem confortatiuam, virgam
directricem, & florem vitam ſpirantem. Florem in-
quam, ex radice & virga Ieſſe; ſuper quem tota diuini
ſpiritus gratia requieuit. Florem incorruptũ, immar-
ceſcibilem, ſempiternũ. Hæc autem virga Ieſſe, virgo
Maria, numquam curua, ſemper erecta, præque om-
nibus benedicta, quæ benedictum & florem & fru-
ctum, toti mundo extremè lauguenti progenuit.

O Ma-

O Maria, ô radix, ô virga, ô flos, ô Spiritus ſancte in ſummo flore quieſcens, & infirma quæque confortans, atque ſubiecta quæque fœcundans! Fac, vt & nos ex ſingulis, in bono vitæ nouæ propoſito ac cœpto hucuſque producto, peculiarem contra aduerſantia cuncta corroborationem conſequamur. Sit nobis in radice ſtabilitas, in virga rectitudo, & in flore fœcunditas, atque in Spiritu ſancto deſuper quieſcente conſolatio permanens atque indeficiens.

Numquid eapropter etiam idem Spiritus nobis poſt Baptiſmum in Confirmatione eſt datus? At, eſto tu quoque, ô anima mea, Virga Ieſſe, tuo modo; & Spiritus Domini ſuper te requieſcet: fietque de tua prole, quam educas Domino, quod ab eodem Propheta ibidem promittitur: Et delectabitur infans ab *Iſa.11.* vbere, ſuper foramine aſpidis: Et in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet: bonæ conſcientiæ fiduciæque virtutum argumento.

Oratio.

BEnedictio tua Domine larga deſcendat; vt qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Nazarenum, vnigenitum tuum, de Spiritu ſancto conceptum, ex beata Maria virgine Regali Dauidicæ ſtirpis progenie, Deum & hominem, natum confitemur; eodem Spiritu roborati, in eius ſemper participatione creſcamus. Amen.

39. VELLVS GEDEONIS.

Arida roranti, ſicco rorantia campo,
Vellera tu noſtræ ſanctior arrha ſpei.

Iudic. 6 I ſaluum facis per manum meam Iſrael ſicut locutus es; ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in toto vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas; ſciam, quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Liberari pe-
Pſ. 85. te Domine cupimus omnes; fac igitur nobis ſignum huius in bonum. Video, feciſti, & dediſti nobis. Tu nobis es vellus Gedeonis, ô virgo Maria, protectrix ac patrona noſtra! O titulum confortatiuum, non tantùm in re principali per eumdem ſignificata; verumetiam in toto agendi modo, quo Angelus Domini Gedeonem aggreſſus eſt, eumdemque mirificè confortauit. Nónne ſic legimus? nónne quaſi ob oculos poſitum intuemur? Cùm Gedeon excuteret frumentum in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait; Dominus tecum, virorum fortiſſime. Cui reſpondit Gedeon; Si Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres noſtri, atque dixerunt; De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem, dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian.

Noli hîc, ô anima mea, cum Gedeone ad defectionem ob anguſtias rerum vel animi tendere; ſed in Domini potentia confortare. Nam, tametſi, quod tunc Iſraeli temporaliter accidebat, hoc etiam ſpiritaliter Chriſtianis interdum eueniat; præſens tamen adeſt afflictis diuinæ conſolationis remedium. Si igitur, ô homo, cum Iſraële quandoque percuteris, cogita, quòd cum eodem quoque non rarò malum facias

in

VELLVS GEDEONIS.

Arida roranti, ſicco rorantia campo,
Vellera tu noſtræ ſanctior arrha ſpei.

Op dat Godt van Sion, u in den ſtrydt ver-ſterckt,
Stelt t'bloed van Gedeon deur Maria te verwerckt.

La toiſon or mouillée, et ores tariſſante,
C'eſt-toy, Vierge ſacrée, appuy de notre attente.

in conſpectu Domini. Et vide tamen benignitatem Dei, noſtri in afflictione noſtra, miſerantis. Nónne Gedeon hiſce commotus, quaſiſque deſpondens animum, Angelo illa quæ diximus, non ſine quadam expoſtulatione locutus eſt? Et tamen eius occaſione, reſpexit ad eum Dominus, & ait; Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian. Scito quòd miſerim te. Sui ipſius verò ſuæque familiæ tenuitatem obtendenti Gedeoni, dixit Dominus; Ego ero tecum, & percuties Madian, quaſi virum vnum. Numquid hîc, ſicut in Madian, obiurgantis & litigantis nobiſcum aduerſarij hoſtilitatem agnoſcimus; ita quoque in Gedeone confringentis conterentiſque potentiam, diuinamque per omnia conſolationem adumbratam habemus? Numquid in Domino confortati, diaboli in nobis aram deſtruimus? Spiritu Domini induimur, buccina clangimus, & orationum efficaciâ cælum penetrantes, Angelorum Sanctorumque exercitum in vota noſtra euocamus?

Numquid admirandis è cælo terraque ſignis, in arduam hanc cum mundo, carne, & dæmone pugnam animamur? Væ diffidentibus, vecordibus væ, væ viris effeminatis & imbellibus, væ more canum lambentibus, væ nihil humani nihil viri præ ſe ferentibus! Nónne quidquid iteratis Gedeon vicibus, in promiſſæ expeditionis aſſertionem tentauit & explorauit, ſiue vellere ſolo madente, ſiue eodem ſolo roris immuni; nónne, inquam, id totum in noſtram indubitatam ceſſit ſecuritatem, certamque corroborationem? Nónne clariùs, certiùs, ſublimiuſque vniuerſa hæc in beata Maria, ceu nouo Gedeonis vellere comprobata cenſentur?

Fuge, fuge à me, fallax omnis mundanæ mentis præſumtio: ſed fuge remotiùs formidoloſorum deſperationique proximorum timiditas.

Exſurge pſalterium, & reſona cithara, Dauidico ac Regio pollice repercuſſa, & pange myſterium Velleris

rore cæleſti madentis, in Gedeonis vellere figuratum.
Pſ. 71. Audite. Deſcendit ſicut pluuia in vellus. Quid enim tam ſilenter & ſine ſtrepitu fit, quàm cùm imber in lanæ vellus infunditur? Numquid igitur rectè Maria velleri comparatur; quæ ita concepit Dominum, vt toto eam hauriret corpore, nec eius diſciſſuram corporis pateretur; ſed eſſet mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam? Nónne rectè inquam Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta texuntur? Vellus planè Maria eſt. Siquidem de molli ſinu eius agnus egreſſus eſt, qui & ipſe matris lanicinium, hoc eſt, carnem geſtans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Nónne quoq; rigaturus aream Dominus, cæleſti rore totum vellus priùs infudit? Redemturus enim genus humanum, vniuerſum pretium contulit in Maria. Nónne tunc
Pro. 19 illud impletum eſt, Sicut ros ſuper herbam; ſic & hilaritas Regis? Tunc enim Rex cæleſtis iſti Reginæ arriſit, quando de cælo ſicut ros in eius vterum deſcendit: & eam velut herbam bonam fructificare fecit. Faceſſite ſtulti fabulatores & inanes Poëtę, cum illo vanido veſtro imbre aureo, quo ille ſe in ſinum cuiuſdam fœdè fraudulenterque inſinuauit. Nos veris, ſanctis, cęleſtibuſq; myſteriis mentes Chriſtianas imbuimus.

O Maria, mundiſſimum cæleſtis pluuiæ vellus, ex quo paſtor ouem induit, vt agnos à lupi rabie liberaret! ſicut vellus, cùm ſit de corpore, neſcit tamen corporis paſſiones; ita tu, ô Maria, gratia plena fuiſti, in quam ſe gratiæ plenitudo infudit, ab omni carnis contagio longè ſemota fuiſti, cæleſtî rore compluta ſanctiſſimę Trinitatis opificio, mirabilem fœtum pura concepiſti, pura enixa es, & poſt partum pura vſque permanſiſti. Vera veri hominis mater effecta es; & nullum tamen carnalis vitij contactum ſenſiſti.

Numquid, ô filiæ Ieruſalem, dicere poteſt Domina
Iob 29. noſtra in totius Iſraëlis ſolatium; Ros morabitur in meſſione mea? Contra ſtudium ſcilicet Madianitarum,

rum, messem omnem bonorum operum, in ipsa adhuc herba non rarò deuastantium? Numquid sincerum hoc robur, ac fidele solatium, & solida confortatio, pro omnibus qui priùs præ angustia spiritus cum Gedeone trepidante mœrebant, iamque pænè, præ desperatione, frumenta nouissima in area vel torcularí excutiebant, ad fugam ante Madian ineundam?

Esto tu itaque, ô anima mea, & quicumque es fidelis diuini nominis propugnator, esto inquam tu Gedeon confortatus in Domino, à pusillanimitate spiritus & tempestate erectus, verus inquam Iero-Baal, aduersæque partis aras euertens, lucos obscuritatis malignæ succidens, & veræ fidei professione, vitæque virtutum encomio buccinâ clangens; & beata Deipara Virgo, fidum tibi atque infallibile vellus futura est: signum certum in bonum, gratiæ, misericordiæ, & victoriæ contra hostes obtinendæ. Natus enim ex ea Dominus noster, ad hoc venit, vt nos ad eum veniremus, quicumque laboramus & onerati sumus, & reficiet nos.

Oratio.

DEus inuictæ virtutis auctor, ac insuperabilis imperij Rex, & semper magnificus triumphator; te suppliciter exoramus ac petimus, vt de tua bonitate confisi, beatæ Mariæ suffragantibus meritis, & à cunctis aduersitatibus eruamur, & gratiæ tuæ fluentis iugiter irrigemur. Amen.

40. STELLA MATVTINA.

Sparge tenebrosis Eöa crepuscula terris,
Tartareæq́; nigros discute noctis equos.

Eccli. 50. QVASI stella matutina in medio nebulæ & quasi luna plena, in diebus suis lucet. Cùm tenebricosi mundi nocturnus horror angorem incutiat, & vires atque animum quadam soleat formidine quatere; non exiguum Domine miseris mortalibus prouidisti solatium, quando diei propinquantis indicio, stellam matutinam condidisti, quæ facem præferat luci, tenebrarum horrorem discussuræ. In hoc igitur, ô pusillanimes, bonæ tamen voluntatis athletæ confortamini, quòd stellam hanc matutinam Mariam conditor siderum atque vniuersorum Deus, mundo mœrenti concesserit.

Sed numquid hic titulus Simoni Oniæ filio, sacerdoti magno, Scripturæ sacræ verbis est attributus? Concedimus: sed vt in cunctis sui partibus mirè indigentes corroborat; ita quoque eam ob causam, ac primario sui typo, patronæ nostræ Deiparæ conuenit. 1. Mac. 12. 2. Mac. 3. Eccli. 50. Numquid Simon iste, testante diuino eloquio, domum in vita sua suffulsit? Numquid in diebus suis templum corroborauit? Nónne de eodem sic legimus? Quasi sol refulgens sic ille effulsit in templo Dei? Quidnam horum omnium non excellentiori modo Mariæ virgini assignetur? Sed stellæ matutinæ titulo insistamus.

O lucidum, splendentem, augustum Mariæ titulum! Væ ijs qui non hoc sidere illuminantur; quia citra istud necesse est in tenebris delitescere. O ter miseros, & ter infelices, qui hoc lumen veridicum, hoc sidus ardescens, stellam hanc corroborantem non

atten-

Sparge tenebroſis eöa crepuſcula terris,
Tartareæq; nigros diſcute noctis equos.

Alŏ u den naxht bedroeft, dan ſonden, anot, vſt lyden;
Maria u dan be-hoeft, alŏ darh-ſterve, in t' bevblyden.

Chaſſe, eſtoille du iour, par ta lumiere heureuſe
De ce mortel ſe-iour toute ombre tenebreuſe.

attendunt. Errare, frigescere, & destitui viribus oportet, quisquis hac ope caruerit. Sed quæris fortè, quàm indubitatum sit nobis, stellam hanc esse Mariam?
C Audi. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel. *Nu. 24* An & manifestè nosse desideras, testatum hîc Balaam se diuino instinctu de virgine Maria, Messiæ matre, locutum fuisse, sub nomine stellæ matutinæ solem proferentis? Audi, quid paulò antè prædixerit: Videbo eum, sed non modò; intuebor illum, sed non
D propè. Stellam itaque inuenimus, eamque cum tribus
E Magis, Balaam prædicti nepotibus, vidimus in Oriente; vereque matutinam; quæ Christum æternæ diei solem tenebroso huic sæculo inuexit: restat, vt eius nos pedibus aduoluamur, & Regem regum in eius sinu sedentem adoremus.

Nescis quoque, stellam, secundùm Philosophos, esse densiorem sui orbis partem, & propter hanc solidam stellarum firmitatem, dici quòd posuerit Deus stellas in firmamento cæli? Verè dicis & tu, ô Sapiens; *Eccli.* Species cæli, gloria stellarum. *43.*

Tu itaque ô Maria, nobilis illa stella ex Iacob orta; cuius radius vniuersum illustrat mundum. Tu es stella, terras perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora; fouens virtutes, excoquens vitia. Gloria tua ceu stellæ micantis, mirè cælos illustrat. Te suspicimus, te veneramur, tuam opem in nostris necessitatibus imploramus, nos nostraque tuæ tutelæ committimus. Tempus hoc omne deploramus, ô Virgo, quo te minùs agnouimus, quo te non amauimus, quo tuis radijs inflammati non arsimus, quo tuas virtutes non sumus amplexi. Vt autem deinceps magis ac magis in tui amorem accendamur, liceat nobis septem præcipuas in te, tamquam in stella, conditiones expendere & admirari.

Quis in primis stellæ soliditatem, quam diximus, in te pro meritis admiretur? quæ adeò in spiritu & corpore solidè beneque compacta fuisti, vt nulla te

vmquam vel emollire mollities, vel elidere poteſtas aduerſa valuerit.

Quis ſtellę firmitatem,& peculiare in te firmamentum non obſtupeſcat; quæ velut immota rupes, ſeu columna cæli, vſque ad filij tui mortem crucis immota & inuicta ſtetiſti, ac quaſi fixa in Deo anchora manſiſti immobilis?

Quis deinde ſpeciem, vel ſtellæ ſpecioſitatem in te ſatis ſuſpiciat, vt omnes ad vnam ſtellas cæli fulgore tranſcenderis?

Quid de ſideris huius illuminatione dicemus? Num quidquam hac ſtella ſplendidius, quam ſol ipſe veſtiuerit?

Si vim calefaciendi conſideras; quid in actiuitatis ſorte deſidères? vt quæ nos exemplis, oratione, meritis, fructuque ſuo, qui Deus & ignis conſumens eſt, miris in hunc vſque diem flammis accendit?

Celeritatem admirari eſt animus? Licet enim ſtella ex ſe ſit immobilis, quia in ſuo cælo defixa eſt, motu tamen firmamenti mouetur citiſſimè; nam ſtellæ quotidie per circuitum luſtrant omnia. Nam, ſicut lapis pretioſus in annulo, ad annuli motum mouetur; ita Maria in Deo & cęlo fixa, velociſſima tamen, ad diuino nutui obediendum, & ad miſeris ſuccurrendum. Nónne nos quoque ſic eſſe oportet, ô anima mea, & diuinum in nobis munus agnoſcere? ſumúſne ſufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, tamquam ex nobis? Inſtar ſtellarum, quoad nos, ſumus immobiles: ſed cum ijſdem, & cum diua Virgine, à Spiritu ſancto ducti & impulſi, cum Pſalmiſta dicere poſſu-
Pſ. 118 mus; Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dila-
Phil. 4. taſti cor meum. Et cum Apoſtolo; Omnia poſſum in eo, qui me confortat.

Sed, ſeptima ſtellæ noſtræ conditio, quò deuenit? quænam illa futura eſt? Primaria propoſito noſtro conueniens; matutina. Numquid illa præcipuè titulorum præſentium naturæ ſubſeruit, vt ſit corrobo-

ratiua, atque animum, siue pusillanimitate siue amore languentem, confortans?

Stella matutina, præter cetera, laudem quoque hoc in genere merentia, à temporis ipsius portione vim habet solandi & corroborandi indigentes & afflictos. Numquid Ezechiæ regis, æquè sanati atque ægrotantis exemplo & testimonio comprobatum id nouimus? Sperabam, inquit, vsque manè, tamquam diurnæ lucis adspectu consolandus; sed quasi leo, sic contriuit omnia ossa mea. De manè vsque ad vesperam finies me. Tu Maria, stella matutina, lucis æternæ facem mundo protulisti; & in tenebris atque vmbra mortis sedentes recreasti. *Isa.* 38.

Oratio.

PRæueniat nos quæsumus Domine gratia tua semper & subsequatur; vt beatæ Dei Genitricis præsidiis instanter adiuti, quo constantiùs terrena contemnimus, hoc æterna fiducialiùs appetamus. Amen.

41. AVRORA CONSVRGENS.

Crimen & error abi: veri & iubar emicat æqui,
Auroræ puro purius è thalamo.

Cant. 6 QVÆ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens? O Deus meus, vnicum solatium & bonum meum! quàm confortatiua specierum aromaticarum præsidia nobis in hac valle lacrymarum gementibus, in beatissima Filij tui genitrice Maria præsentasti! Stella nos matutina solata est, sed non minùs nunc aurora corroborat, & ad præclara quæque spem facit, atque opem pollicetur. Quemadmodum stella matutina, I tametsi noctem eliminet, & diem appropinquantem prænuntiet; ad noctem tamen, quia stella est, vtcumque videtur pertinere; ita aurora noctem dispellens & diem importans, diei potiùs quàm noctis pars esse conspicitur. Quemadmodum igitur, ô misericors Domine, & consolator animarum nostrarum, pro tuæ bonitatis abundantia, magis magisque accrescit tuæ consolationis vbertas; ita quoque debet in nobis augeri, & actio gratiarum, & tam præstantis ac præsentis boni fidelis vsura.

Quid dicis nunc, ô anima, sic à Domino tuo collustrata? quid inquis vermicule, vilis homuncio, tanto fulgore circumfusus? Tremens factus sum ego, nimiam meam infirmitatem & indignitatem considerans; sed à te Domine confirmatus, ac gratiæ tuæ luce præuentus, in spem magnam adductus sum, fore, vt nihil arduum humili tuo seruo futurum sit, & nihil asperum mansueto. Huc me beatæ Mariæ virtutes accendunt & præsidia meritorum ipsius connitentem suffulciunt. Te Maria respicimus humilibus oculis, & totius obnixu corporis,

AVRORA CONSVRGENS.

Crimen et error abi; veri et iubar emicat æqui:
Auroræ puro purius è thalamo.

Shelyck den daghevaet, al t' hooſe doet ver-kampen;
Soo doet dit maeghdixh ſaet, al vnd vianden ſchampen.

Belle aube enfantés-nous le Soleil de iuſtice,
Pour chaſſer les hibons d'infernale malice.

poris, opem ſupplices exoramus. Veluti ſtella nos matutina ſolata es, nunc vt auroram excipimus: quemadmodum afflicti, captiui, ægri, & quocumque tandem modo miſeri, ac mœrentes, conſolationem diei de nocte recogitant; ita cum auroræ prouentu ſibi certò iam illam pollicentur.

Tu ſtella matutina, tu ſalutare crepuſculum, tu aurora deſiderabilis, tu manè illud mortalibus iucundiſſimum, gratiæ, ſalutis, & vitæ vehiculum. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, corrobora laborantes. Tu nempe ſolamen afflictorum, ſpes peccatorũ, periclitantium portus. Tametſi namque naturalium horum, ſtellæ matutinæ, & auroræ exortus, ſperãtes ſolamen nonnumquam fruſtrare conſueuerit (vt in Ezechia notauimus, & ipſi quandoque experimur) vt tunc iterùm veſpera pro requie ex diurna fatigatione, ſperetur; numquam tamen hæc ſtella matutina, & aurora conſurgens Maria, quemquam ad ſe confugientem ſpe ſua vel expectato ſolamine, aut ope, fruſtrauit. O Maria, te rectè auroræ præconijs exornamus! Numquid, ſicut aurora, media eſt inter noctem & diem; ſic tu inter tenebras peccatorum humani generis, lucemque claritatis æternæ, in verum certumque mortalibus ſolatium à Deo es conſtituta? Audi regium Prophetam myſterium hoc præcinentem: Sicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat. Hæc autem ſunt verba nouiſſima, quæ dixit Dauid, filius Iſai, de radice Ieſſe, de Chriſti matre; vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob; quando ſpiritus Domini per eum locutus eſt, agnoſcimus emicantem veritatem & veneramur. Quis etiam ſatis admiretur myſterium verbi, quod idem Propheta veridicus, diem diei eructare cõmemorat? O ſuauem diei illius eructationem, qua ſequentem diem gratię cęleſtis participem, docuit & ditauit! Verbum incomprehenſibile, die certo, fauſto, ac feliciter ordinato concluſum eſt. Verbum æternum, diei vnius

Iſa. 38.

2. Reg. 23.

Pſ. 18.

Luc. 1. verbum esse incepit. Venit Angelus à Deo missus in ciuitatem Nazareth, & annuntiauit Virgini arcanum incarnationis Filij Dei. Eructauit verbum bonum, & Verbum caro factum est; Verbum Patris factum est filius matris.

O aurora Maria, quæ à lumine incepisti, creuisti
Isa. 18. cum lumine, & numquam lumine priuaris. Sicut lux meridiana clara es. Dominum concepisti, qui dixit; Lux sum mundi; & Dominus tecum priusquam conciperes; neque illum amisisti, postquam eumdem peperisti. Dominus tecum, ante conceptum; & post partum, Dominus tecum. Tu aurora consurgens; quia finis noctis, & origo diei: finis damnationis, & salutis principium. Nónne consurgens quoque aurora vocaris præ ceteris omnibus, quòd non primo ortu tuo, sicut nos omnes, in peccatum incideris? Te namque ab omni labe peccati præseruatam, nouóque modo præ cunctis alijs sanctificatam agnoscimus & censemus. In ortu tuo surrexisti, non cecidisti; sed ab initio verè aurora consurgens fuisti.

Numquid te quoque benè, ô Virgo virginum præ- F
clara, velut auroram consurgentem suspiciunt, qui te triennem, nullo nisi Deo iuuante, quindecim templi gradus alacriter conscendentem, & præcellentibus totidem virtutum rariorum exemplis eminentem, mortalésque omnes, & angelicas virtutes superantem, contemplantur?

Venite, venite, filiæ Sion, inclytæ Ierusalem, & virgines Israel præclaræ; signorum vestrorum arcana re-
Gen. 32 cludite, & lætantes admiramini. In ortu auroræ huius vincitur Angelus à Iacob, patre vestro: quando aduentus filij Dei in carnem, ab Angelo magni consilij Deo Patre, sanctorum patrum precibus impetratur. Quid vobis videtur? Numquid hæc felix aurora, beatum crepusculum quod tantam nobis de Deo victoriam reportauit? Numquid hoc salutare manè totum mundum corroborat? Mane, mene, id est, bonum:

quia

quia quid luce iucundius, lucem æternam atque incomprehensam prænuntians? Pars ista diei matutina, dormitionis est finis, operationis initium, hora sobrietatis, celebratæque digestionis.

Hora itaque est, iam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox & tenebræ, & nubila; confusa mundi & turbida; (Lux intrat, albescit polus, Christus venit) discedite. Quid ad huius auroræ præconium Psalmista decantas? Ortus est sol, & in cubilibus suis collocabuntur. Qui, quæ, quid? Omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes, qui nocte durante processerant, quærere à Deo escam sibi. Iam verò; Exibit homo, ad opus suum, & ad operationem suam, vsque ad vesperam. *Ro.* 13. *Ps.* 103

Numquid sol iustitiæ Christus: qui dixit; Lux sum mundi, operamini dum dies est? Numquid hanc solis æterni lampadem aurora Maria consurgens inuexit; Surgite soporati, stertentes in sordibus sæculi. Qui dormiunt, nocte dormiunt: qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt: nos filij lucis & diei sumus; non noctis, & tenebrarum. Ecce, surrexit aurora, quæ cælis dat gloriam, terris Deum, pacem, & vitam refundit; Gentibus fidem, vitiis finem, vitæ ordinem, ac moribus disciplinam. O Maria, consurgens primum gratiæ manè! esto nobis patrona, cùm manè illud vltimum orbi iudicando consurget. *1. Thes.* 5.

Oratio.

DEus, qui diligentibus te, & multiplicem in terris gratiam, & immensam in cælis gloriam præparasti; preces famulorum tuorum propitius respice; vt beata Maria semper virgine intercedente, & quæ agenda sunt videant, & ad agendum quæ viderint conualescant. Amen.

42. LAPIS ADIVTORII.

Tute, sacerq; lapis, manuum sine viribus vllis
Vnde fuit nostræ petra recisa spei!

1.Re.7. VOCAVIT Samuel nomen loci illius, Lapis-adiutorij: dixitque; Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. Domine Deus virtutum exaudi me, & attende ad verba serui tui clamantis ad te; quem tam admirandis tuæ gratiæ fomētis, & sancti tui Spiritus robore recreasti. Confortati sunt quidem inimici mei, qui tribulant me; sed ampliùs confortata est super me manus tua. Domine, vim patior, & anguſtiæ mihi sunt vndique, sed adiutorium tuum, ac cæleste præsidium, quod in muliere illa forti, deuictrice serpentis, & vniuersi reparatrice concedis, vim omnem hostilem euentilat. O quàm fidum & forte refugium, in hac vita luctantibus, & contra potestates aëreas decertantibus, in te, ô beata Maria, constructum est! A

Sed, dic mihi sponsa, de sponso; & dilecta de dilecto, me tamen non neglecto; quid de lapide hoc adiutorij, citra omnem offensam censere poterimus, ne inter saxum & sacrum hæreamus ambigui? Nónne B
Ps.125. lapis Christus est, dilectus tuus, & adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram? Omnino: te tamen, ô Maria, lapidem adiutorij modò nuncupamus. Domine, quid dicemus ad hæc? Ne nos precor hallucinari permiseris, te lucem sequentes; & nō nisi quod ad maiorem tuæ laudis gloriam pertinet, etiam in sanctissima tua Matre requirentes. Dic igitur tu, bone Iesu, de castissima tua Genitrice, quod lubens dicturum te scimus, quod scilicet Pater ille de Filio;
Luc.15 Omnia mea tua sunt, quia & ego ipse sum tuus, etiam si ante te sum: Ex te enim in tempore natum est sanC

ctum

Tute, ſacerque lapis; manuum ſine viribus vllis
Vnde fuit noſtræ petra reciſa ſpei!

Chriſtuò iò vnſen ſteen, die vnò gheholpen heeft:
Syn moeder vorꝛ ghemeen, dien vnò uyt liefde gheeft.

O pierre de ſecours, pour plus ferme aſſeurance
Nous fonderons touſ-iours ſur vous notre eſperance.

ùm illud, & æternum, quod ex Deo patre est ante
ula genitum. Lapis igitur adiutorij, ô carissimi,
hristus est, & lapis adiutorij Maria, communi inter
atrem & filium nominum bonorumque consortio:
que nuda tantummodò appellatione vocabuli, sed
am rei præstantiâ.

Adeste bellatores, ad arma promtissimi, victores
stium, & triumphatores; qui carnem, mundum, ac
abolum, quotidiano certamine supplantatis. Lauda-
Mariam, victricem miramini, gratique estote pro
ntis suppetijs, quas illa vobis à filio suo, Domino
ercituum, promeretur.

Numquid in Maria completum est, quod admira-
li vincendi genere tempore Samuelis adumbratum
diuimus? Philisthæis contra Israëlem surgentibus, *1.Re.7.*
tonuit Dominus desuper fragore magno, & de cęlo
ro suis depugnans, hostes fugauit. Erexit Samuel
pidem in titulum, quem ex euentu, Lapidem adiu-
rij nuncupauit, dicens; Hucusq; auxiliatus est nobis
ominus. Nónne meritò de victrice potestatum
ostilium Deipara virgine prędictum encomium de-
antetur: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus?
Numquid in illa miserandus humani generis status
nem inuenit? Numquid illa eadem damnationis
ntortæ terminus exstitit? Numquid in illa benedictio
ostra & salus incepit? Numquid in illa, & per illam,
am misericorditer quàm mirabiliter miserorum
nortalium misericors & miserator misertus est Do-
minus? O igitur præclarum inuentricis gratiæ titu-
um! ô Lapidem adiutorij singularem! Verè, quia per-
eramus alioqui auxilij inopes, hucusque auxiliatus
st nobis Dominus.

In te quoque, ô Maria, adimpletum agnoscimus,
quod de Iosue legimus; qui postquam toti populo
præclara Dei facta recensuit, & legem ob oculos po-
suit, percussit cum eis fœdus, dicente omni populo;
Domino Deo nostro seruiemus, & obediemus omni- *Iosu.24*
bus

bus prȩceptis eius;tulit lapidem prȩgrandem,posuitq́ue eum ſubter quercum,quæ erat in ſanctuario Domini : & dixit ad omnem populum ; En lapis iſte erit vobis in teſtimonium , quòd audieritis omnia verba Domini , quæ locutus eſt nobis . Res ipſa figura reſpondet.

Tu namque , ô Domina, teſtimonium toti mundo clariſſimum eſſe cognoſceris , quod os Domini nobis locutum eſt; & nos oſculo oris ſui ſit oſculatus,quando Verbum eius caro factum eſt , & habitauit in nobis;& vidimus gloriam eius.

Gen.28 O quàm ſplendet in te, quod Iacob patriarcha de ſomno euigilans , magno futurorum myſterio fecit; quando in admirandæ illius viſionis loco , lapidem erexit in titulum , oleoq́ue perfundens , nomen loci vocauit Bethel,hoc eſt,domum Dei.

Diſcurrite piæ mentes per ſingula,quo meliùs tantę dignationis encomijs pro meritis delectemini. Non deerit gratia vnctionis, occurret amœnitas aſcendentium & deſcendentium Angelorum ; portam quoque cæli , quam ille ibi videbat , offendetis , & virtutem Altiſſimi, Mariæ, ſcalæ, portæ, & lapidi ſic peruncto benigniſſimè obumbrantem.

Dan.2. Quid amplius ? Num fortè & lapidem abſciſſum de monte ſine manibus , quæritis ? Quærite & inuenietis . At, Chriſtum ipſum, lapidem illum præfiguraſſe , dicetis . Non ibo inficias ; eſt etenim ; ſed iam antè concluſimus, iure quodam participationis, eiuſmodi eſſe & filio & matri communia. Lapis ille indubiè Chriſtum figurauit, ſed & beatam Mariam,tametſi non pari modo myſterij'. Chriſti virginalem natiuitatem oſtendit lapidis abſciſſio de monte ſine manibus : ſed quare non etiam Matris integritatem deſignet ? Lapis ſine manibus abſciſſus , Chriſtus natus ex Virgine: & lapis item Maria , citra labem originalem concepta,& pariens in integritate.

Iud. 9. Numquid inſuper Maria ſerpentis deuictrix , mulierem

ierem illam, illumque adeò molarem repræsentat, quo caput Abimelech inimici nostri protriuit?

O Maria, refugium peculiare fidelium, opem tuam contra tentatoris insultus deprecantium! O diuinum auxilium de cælo concessum mortalibus, in hac terra deserta, periculi & horroris plenissima! Deus noster adiutor fortis in opportunitatibus: & tu fortis adlutrix, per eius imperium. Posuit siquidem Altissimus adiutorium nostrum in potente, cùm fecit tibi magna, qui potens est.

Habitemus, ô anima mea, in adiutorio Altissimi, beatæ Mariæ patrocinijs inhærentes: & non erit quod timeamus à facie rugientis inimici: sed tuti erimus, quasi vallati auxilio pugnatorum.

Oratio.

MAiestatem tuam Domine supplices deprecamur, vt qui per infirma mundi fortissima quæque confudisti; fragilitatis humanæ præsidia corroborare vsquequaque digneris; vt beatæ Mariæ precibus & exemplis adiuti, contra aduersantia cuncta constantes, & inueniamur in virtutibus stabiles. Amen.

IN

IN VIII. TITVLOS RAPIENTES ARGVMENTVM.

VÆ *delectant, alliciunt; sed tandem vi suæ voluptatis, rapiunt quodammodò ad se corda amantium & desiderantium. Mens, inquit Iob, in diuersa rapitur. Verùm istud, sed non nisi affectu priùs illecto, boni cuiuspiam desiderio. Sic in cibo & potu, altisque, ad quæ hominis animus tandem rapitur, postquam iam vinculis affectus ac desiderij irretitus ac ligatus tenetur. Sic sponsa, & nos in illa, sponso suo Christo aiebat; Trahe me; suauitate amoris alliciendo: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum: ecce raptus suauitatis efficaciâ. Rationem huius efficacis tractus & raptus priùs exponit; Oleum effusum nomen tuum: idcò adolescentulæ dilexerunt te. Raptus fuit Paulus vsque ad paradisum & tertium cælum: an in corpore, an extra corpus, nesciebat ipse, Deus autem sciebat. Nos itaque amore Christi rapiamur, & abripiamur: quò spectant octo tituli sequentes beatæ Mariæ virgini attributi. Septimus hic, & vltimus septenarius in octonarium excrescit, sicut in Præfatione retulimus, quia beatum vitæ sanctæ finem repræsentat, qui in quinquagenario numero figuratur.*

Iob 20.

Cant. 1.

2. Cor. 12.

43. SANCTVARIVM DEI.

Sacrum adytum Domino pectus virtutibus orna,
Collocet vt sedem cordis in æde tui.

Exo. 25

FAcient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Quousque peruenimus, ô anima mea, in spiritualis nostræ prolis, vitę inquam sanctę regimine atque educatione? Natam, nutritam, ornatam, tutatam, allectam, & in bono corroboratam accepimus; iam

Sacrum adytum Domino pectus virtutibus orna,
Collocet vt sedem cordis in æde tui.

Houdt-vast dese deughden, ey laet u tot Godt trecken,
Dat ghy, alsó heylich pandt, naer t'heylighe mooght strecken.

Que de vertus ton cueur soit vn vray sainctuaire;
Afin que le Seigneur, son temple y vueille faire.

iam reſtat, vt ſe rapi, abripíque permittat in dilecti tui amorem, & tandem gloriæ eius diuinæ particeps fiat. Gratiæ tibi immortales miſericors Domine, pro tot tantiſque beneficiis, quibus indignum tuum famulum dignatus es viſitare & ditare. Enutriſti me, & exaltaſti, cui tantam gratiam communicaſti. Docuiſti me à iuuentute mea, & à maligni conatibus protexiſti. Attraxiſti me mira dulcedine, & in bono propoſito confirmaſti. Reſtat iam, vt me totum abripiat & abſorbeat amor tuus, vt mihi nihil mei reſeruem, ſed tuo ſeruitio totus impendar; neque vmquam à te queam auelli; quia mihi adhærere tibi, Deo ſalutari meo, bonum & optimum eſt.

Hunc in finem, te rurſum, ô Maria, in præſenti titulo contemplabor. Scio, Moyſi iuſſit Dominus, tabernaculum facere, vt iam audiuimus, cuius adminiculo, in medio noſtri habitaret, ne ſemper eſſet ad montem pro conſilio recurrendum: ſed tu magis tabernaculum tale fuiſti, quàm illud quod & Tabernaculum fœderis vocabatur. Nam, ſicut locus debet eſſe proportionatus locato (atque ideò Dominus ab omni populo Iſrael pretioſiſſima quæque congregari iubebat, pro tabernaculo conſtruendo; & Dauid ac Salomon theſaurum inæſtimabilem rerum pretioſiſſimarum pro templo ædificando comparabāt) ita tu, ô ſanctiſſima Dei genitrix, optima quæque ac pretioſiſſima ad tabernaculi in te viui conſtructionem, ad Dei honorem & ornatum contuliſti. Numquid ita quoque, ô anima, nobis ad B. Mariæ exemplum eſt faciendum? Numquid hunc in vſum, animam, corpus, ſubſtantiam, tempus, actionem, cogitationes, verba, vota, voluntatem, deſideria, & totum quod ſumus, offerre debemus; & ex omnibus, optimum quodque eius vſibus dedicare? Nónne ſic fecit populus Iſrael tanto affectu, vt voce præconis edici debuerit, ne plura offerrent, eò quòd abundabant donaria, & oblationes ſpontaneæ? Numquid Martha & *Exo. 36*

Magdalena tali affectu & modo, quo dico, & corporaliter & spiritualiter excipiebant Dominum in domum, & tabernaculum cordis sui; Maria Magdalena ad pedes sui capitis assidente, & Martha satagente circa frequens ministerium? Nónne tu, beatissima Virgo, viuum Dei sanctuarium facta es, Christum cordis & corporis hospitio excipiens?

Præparate vos quoque fideles vniuersi, vt frequenter Iesum hospitio cordis excipiatis, & ad hoc sanctuarium vestrum exornate. In hoc enim nati, in hoc sanctificati estis, in hoc dedicati; vt portetis Deum
1 Cor. 3. in mentibus & corporibus vestris. Non enim estis vestri, sed inhabitantis Spiritus sancti in vobis: quia membra vestra templum eius sunt. Ciuitatem & prouinciam quam nacti estis, ornate: tabernaculum ac sanctuarium, quod ipsimet estis, excolite, aptum Deo conseruate, & se ipso semper augustius ornatiusque efficite. Istud autem, vt semper est adnitendum; ita tum maximè, cùm ad sacrosanctam Synaxim accedetis, Dominum ac Deum etiam corporaliter & sacramentaliter accepturi.

Vidésne, ô anima mea, dignationem tuam! Deus, cui cælũ tabernaculum est, quò tibi foret vicinior, in te sibi elegit tabernaculum & sanctuarium. Intra igitur quandocumque lubuerit, in cor tuum, si bona es, Deum illic inuenies. O verbum abbreuiatum! ô cælum contractum! ô maiestatem immensam, imbecillitati nostrę conformatam! Custodi igitur, ô Christiane, cor tuum sollicitè, quia magnum thesaurum & summum bonum ibi conseruas: pretiosissimum pignus pretiosissimam requirit custodiam. In hoc sanctuario excolendo debemus nos iugiter exercere, donec in supremum Dei tabernaculum ascendamus: & quantumvis hoc molestum ac laboriosum appareat, suaue tamen, iucundum, & honorificum est. Nónne Dauidis exemplo & testimonio istud com-
Ps. 72. probatum habemus? Existimabam, inquit, vt cognoscerem

scerem hoc (obscuratus enim noster intellectus hoc non capit) Et labor est ante me (fragilitas humana difficile iudicat, & censet graue esse) Donec intrem in Sanctuarium Dei: (ibi namque est absoluta vniuersorum fruitio.) Et intelligam in nouissimis eorum: (atque ita omnium illic erit perfecta cognitio.) Tunc siquidem intellecturi sumus, quare Deus peccatori pepercerit, & quare iustum affligi permiserit: vt scilicet, tunsionibus, pressuris expoliti lapides viui, tantò glorioſiùs tandem in viuo cæli tabernaculo suis locis coaptarentur, quantò hîc pluribus fuissent exerciti.

Tunc gaudebimus; & tecum ô beata Maria in cælos assumta, ex hoc nostro tabernaculo in cæleste illud & æternum transmigrabimus. Tunc cantare poterimus canticum Moysi & Mariæ sororis eius, cùm mare transierant, nos quando mundum; Introduces eos, & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ. Ad hæc nobis, ô sanctissima Domina, opitulari dignare. *Exod.* 15.

Oratio.

GRatias tibi referimus Domine, gratiæ tuæ clementia vegetati, te sinceris affectibus exorantes, vt mente & corpore pariter expediti, beata Maria intercedente, diuinæ tuæ maiestati Sanctuarium effici mereamur. Amen.

44. ARCA TESTAMENTI.

Sethina fert ænum, micat aurea fœderis arca:
Sic pudor æternat Virginis, ardet amor.

Exo. 2. ARCAM de lignis Setim compingite, &c. A ponesque in arca testificationem quam dabo tibi. Reminiscor Domine, mirabilium operatricis arcæ tuæ, quæ fœderis testimonium inter te & populum tuum pacti claudebat; & totum me rapi sentio in eius admirationem. Materia, forma, ornatus, vsus, virtus, eiusque architectus æquè suum spirant mysterium, in Vnigeniti tui matre Maria, vt singulariter impletum, ita summè nobis venerandum. B

Vt autem me hæc omnia ad maiorem tui virtutumque amorem inflammant, & quasi in te totum abripiunt; ita spem magnam faciunt, in cælis cuncta perfectiùs suauiusque contemplandi. Sequar interim, quò me tituli præsentis odor attraxerit, meque in eius amœnitatem sponte rapi sinam.

Numquid, ô Domine, hac arca totum pignus sanctitatis veteris Testamenti continebatur; cuius gratiâ tabernaculum, sanctuarium, & propitiatorium confecta erant; & ad quam omnium oculi erant conuersi? Et meritò, quia nihil eâ dignius habebant, nullumque efficacius diuinæ tuæ præsentiæ argumentum.

Sed, vultis mecum, ô filij patris nostri Abrahæ, veri fideles Deoque obedientes, exquirere, quid hac in arca testamenti concludebatur? Sic habet Scriptu-
1. Re. 8 ra; In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ C lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel; cùm egrederetur de terra Ægypti. Videmúsne solius Legis tabu-

Sethina fert æuum, micat aurea foederis arca :
Sic pudor æternat Virginis, ardet amor.

Als Aerke deó ver-bandt, wilt met Maria wesen,
Wyt, suyver, ende gant, in deughden hoogh-ghepresen.

De l'arche l'or brillant, ſon bois touſ-iours durable,
Sont votre amour brulant, et virginite ſtable.



tabularumque lapidearum fieri mentionem, vnde & arca testamenti seu fœderis appellabatur? Verùm, in testificationem memoriamque mirabilium, quę Deus aliquando in populo suo fuerat operatus; in arca quo-
D que poni iussa fuerant Manna & virga Aaron. Apo-
E stolum audite id explicantem. In arca, vrna aurea, habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat; & tabulæ testamenti. *Hebr. 9.* Et nónne sic Dominus Moysi mandarat, etiam ante arcam confectam, cùm Manna de cælo descenderat? Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes. *Exod. 16.* Et refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij; vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel. *Nu. 17*

Sed, venite mirabilium admiratrices, mentes piæ ac deuotæ Mariæ virgini, atque præclara cuncta in arca, auctore Deo contemplanda, Deiparæ patronæ nostræ coaptemus; vt in eiusdem amore, venerationeque crescamus. Nónne verè Maria instar arcæ fœderis esse censenda est, in qua præcelsiùs illa stupenda reperiuntur? Causa efficiens arcæ illius Moyses per Beseleel: huius verò nostræ Marianæ Deus ipse est opifex. Homo siquidem natus est in ea; & ipse fundauit Altissimus. *Psal. 86.* Materialis verò causa, lignum Setim; quod lignum læuitatem, pulchritudinem, fortitudinem, & imputribilitatem habebat: per quæ quatuor dotes corporis B. Mariæ, non tantùm iam glorioſi, sed etiam adhuc in terra mortalis, signabantur. Causa formalis in arca testamenti erat, quæ ex ipsius descriptione colligitur; in debita proportione partium ad se inuicem; & ad ea, quæ complecti debebat; cumque debito suo ornatu, intus & foris; corona per circuitum, quatuor circulis & vectibus duobus, in annulis assiduè permanentibus: quæ omnia beatæ Mariæ pulchritudo, forma, debitaque omnium interiorum & exteriorum dispositio, & ornatus, longè præcellebant: præsertim si illum intuemur, cui recipiendo viua hæc arca constructa erat.

Finalis autem causa, vt illa tria superiùs memorata concluderet; Maria verò rem ipsam illarum vmbrarum continebat; Christum videlicet, in quo tres illæ substantiæ inerant. Diuinitas enim per manna, anima Christi per tabulas Legis, & caro illius virginea per virgam figurata, videte, an non rectiùs hæc omnia arcam nostram condecorent, quàm pignora illa veteris Testamenti arcâ recondita. F

Numquid insuper his tribus, bonitas, sapientia, & potestas Christi designantur? Nónne etiam, si ita malumus, per manna caro Christi, per tabulas anima, & per virgam diuina ac regalis maiestas accipi poterit? Arca itaque intrinsecus portabat testamenti tabulas; Maria verò, ipsius testamenti gestabat heredem. Illâ intra semetipsam Legem, hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat; hæc verbum. Arca intus foriſque auri nitore radiabat, sancta Maria intus foriſque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cælesti. Nónne igitur tria præclara illa, diuinæ bonitatis, potestatis, ac sapientiæ monimenta, quæ arca tenebat, excellentiùs in diua Virgine fuere recondita?

Numquid eapropter meritò Dominam nostram vt arcam testamenti, arcam quoque thesaurorum appellemus? Numquid in Matre misericordiæ thesaurum ingentem agnoscimus, per auream vrnam manna re-
Nu. 20 fertam adumbratum? Audi Scripturam: Aperi eis Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ; gratiæ scilicet & misericordiæ inexhaustæ; quod & vrnæ nomen & forma in hunc sensum adaugent.

Thesaurum autem sapientiæ, in tabulis Legis signatum, in Patrona nostra requiritis? Audite Sapientem
Sap.7. de sapientia loquentem; Infinitus est thesaurus hominibus. Quid mirum, si thesaurum immensum sa-
Colo.2. pientiæ habuit, cùm in ea Christus requieuerit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi? At videte iam tertiò, quàm magnum the-

saurum

saurum potestatis & fortitudinis in Maria reconditum, virga Aaronis ostendat. Benè de illa dictum accipimus; In Ierusalem potestas mea. In terrestri quidem rectè, sed in spirituali ac cælesti Ierusalem multò magis. Item; Per me reges regnant: & legum conditores iusta decernunt. *Eccli.* 24. *Pro.* 8.

Sed quid dicemus ad hæc, si vsum efficaciamque arcæ spectemus, Deiparæ virgini ritè applicata? Numquid vt ad arcam in Sancto sanctorum quiescentem; ita ad Mariam refugium? Numquid vt in arcæ gestatione præsidium præsensque auxilium; ita in Mariæ per omnem terram imploratione & cultu? *1. Reg.* 14.

Applica igitur arcam, ô Christiane, Mariam adhibe, Deum consulturus, eiusque opem deprecaturus. Solatio in aduersis futura est; & adiutrix fortis Maria. Benedictionem meliorem quàm Obed-Edom, per hanc Arcam accipiens, si cum honore receperis, eamque colueris vt oportet. Sed, esto tu quoque arca testamenti, Deum portans in corpore tuo atque anima; vt de te, in ipsius tabernaculo tandem recepto, dici possit: Apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca Dei in templo. *2. Re.* 6. *Apoc.* 16.

Oratio.

SAnctifica quæsumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, corporis atque animæ nostræ compagem; vt ab omnibus inquinamentis expediti, Christiana tibi libertate seruiamus. Amen.

45. PROPITIATORIVM ALTISSIMI.

Propitium tibi fac materna per vbera Natum;
Vulnera per Nati propitiare Patrem.

Exod. 25. FACIES & propitiatorium de auro mundissimo. *Ps. 123* Numquid verè, ô anima mea, magnificauit Dominus facere nobiscum; factique sumus lætantes? Ecce enim, quid accidit nobis? quid fecit Dominus de puero qui natus est nobis, quem eius auxilio matrisque Mariæ præsidiis in hanc vsque ætatem feliciter, Deo laus, educauimus? Quid inquam de eo fecit Altissimus? Rapuit eum ad se, ne mundi malis abreptus, æternùm periret. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Sap. 4. O factum benè! omnia benè fecit in cælo & in terra. Quemadmodum enim, ô Domine, corporaliter id multis accidit, citò morte sublatis, quos alioqui in malum abripiendos præuidebas, (tibique ob id gratiæ sunt referendę, propter securitatem cælique certitudinem, in iis qui in statu innocentiæ vel gratiæ hinc antè euocantur) ita multò magis beatiusque, quando spiritualiter admirabili tuæ charitatis vehiculo, qua-
4. Re. 2. si curru quodam igneo, ad te animas nostras rapis.

O raptum felicem, amœnum, magnificum! Beatus vir quem ita assumsisti, Domine, & cęlestium tuorum amore inescatum, secreti tui consilij consultique secreti fecisti participem! O beatam animam, sic diuino nutu seductam, dextera Excelsi abstractam, & sponsi cælestis amplexibus extra se abreptam! Clamet interim licet, & vociferetur; Domine, vim patior: abstraxisti me de ventre matris meæ; in te proiectus sum *Ps. 64.* ex vtero. Bonum est ei, Domine, non exaudias eam, vt dimittas à te; quia tibi adhærere bonum est.

Domine,

45. PROPITIATORIVM ALTISSIMI.

Propitium tibi fac materna per ubera natum;
Vulnera per nati propitiare patrem.

Comt ter ghenaden-throon, o menschen allegader:
De moeder werkt den soon, den soon ver-werkt den vader.

Veus-tu, que l'Eternel te pardonne ton vice?
Par le sein maternel rends-toy son fils propice.

Domine, sic trahe me, rape me, stringe me; & non permittas me separari à te. Nónne siquidem melius mihi est rapi à te, extra me; quàm manere in me extra te & præter te? Scio, Domine, scio; quia ad malum pronus est spiritus meus; & quia in carne mea non habitat bonum. In te itaque lubens iacto cogitatum meum, animam meam, corpus meum, & quidquid habeo & valeo. Tu me enutries, custodies, & in viam salutis deduces me, & ego tecum vnus efficiar. *Rom.7.*

Vide, vide ô anima mea, admirare, lætare, & Deum lauda pro virtute rapientium titulorum istorum extatica. Sanctæ Mariæ sublimitas nos sanctuarij atque arcæ testamenti stupenda veneratione hucusque pertraxit, vt & eius amore nos rapi sensérimus, & ad aliquod eius consortium vehementiùs inflammari: nunc autem, sub typo propitiatorij Altissimi non minùs incendit, ad accedendum, cælestibus appropinquandum, & ad retrò longiùs obliuiscendũ terrena.

Accedite igitur, peccatores & iusti, & quotquot qualicumque propitiatione indigetis. Peccatores ad veniam; quia apud Dominum, intercedente præsertim misericordiæ Matre, misericordia & propitiatio est; & copiosa apud eum redemptio. Iusti verò, ad custodiam, quia quem propitiatorium Altissimi obumbrarit; nulla ei nocebit iniquitas.

Sed lubebit fortasse, atque animo sic in Deum rapto iucundum futurum est, propitiatorij huius materiam, formam, vsumque, per partes expendere. Audiamus itaque ad elucidationem mysterij, quid de illo Scriptura commemoret.

Nónne sic Dominus mandauit Moysi; Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos & dimidium tenebit longitudo, &c. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant, expan- *Exod. 25.*

dentes alas, & operientes oraculum. Reſpiciantque ſe mutuò, verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca. Inde præcipiam & loquar ad te, ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.

Magna reuerà maieſtatis diuinæ benignitas, tam diſtinctè hæc cuncta mandantis, deſcribentis per ſingula, mira promittentis, vereque ita facientis, & in horum omnium medio præſentiam ſuam aſſerentis. Tabula ſiquidem illa aurea, ſupra arcam teſtamenti ſuſpenſa (quam duo Cherubim aurei duabus alis tegebant, in quam ſe mutuò reſpiciebant) propitiatorium & oraculum vocabatur. Per hoc præſentiam ſuam, mandatum ſuum, ſuamque propitiationem & gratiam Deus promittebat.

Sed numquid hæc omnia, in Deipara Domina, ſanctaque virgine Maria completa ſuſpicimus? Numquid per hanc, Dei præſentiam, gratiam, fauorem, & copioſam propitiationem omnes accepimus? Numquid meliùs abundantiuſque quàm tunc, per hanc ſe Deus propitium ac placabilem exhibet? Numquid Oraculi nomen in illã peregregiè quadrat; per quam quiſquis Deum orat, exauditur pro eius reuerentia?

Nónne rectè cum ſancto fideliq; tuo ſeruo dicimus Domina? Ille ſolus, ô Virgo beata, tuas laudes ſileat, qui te fideliter inuocatam, ſenſerit vmquam in ſuis neceſſitatibus ſibi defuiſſe. Et quid mirum, ſi inuocata adeſt, quæ etiam non vocata præſtò eſt? Si de ſublimi illo ſanctoque loco Dominus reſponſa dabat; quid non reſponſi, ſolatij, conſilij, & auxilij, per cæleſtis ſecreti ac conſilij conſciam expectemus? Si iuxta Hebræorum ſententiam, die propitiationis, deſcendebat ibi gloria Domini; certè longè nobilius, beatiuſq; in die ſalutis & acceptabili tempore in hoc humani generis propitiatorium viuum ſuperuenit Spiritus ſanctus, & diuina maieſtas humanam cõplexa naturam.

Si

Si Cherubim aurei, propitiatorium illud aureum exerint, & in illud respexerint; certè longè præstantius, quòd verus viuusque Archangelus à Deo ad te, ô Maria, sit missus, quodque Angeli studuerint tibi placere & famulari. O quàm igitur gratum mundo afflicto propitiatorium fuisti, atque es modò, beatissima Virgo!

Huc oculos flectite miseri, inopes, afflicti, captiui; venite, veniam deprecamini, gratiam postulate; & quisquis hoc fecerit, admirandam à Deo propitiationem accipiet.

Dic & tu, ô peccatrix anima, pectus cum Publicano percutiens; & suppliciter, patrocinante hac Domina, dicito; Deus, propitius esto mihi peccatori; ac *Luc.* 18 per hoc salutis nostræ propitiatorium veniam præsta. Vade, vade inquam; ostende Matri misericordiæ miseriam tuam, vulnera tua; & ipsa pro te ostendet filio pectus & vbera: Filius ostendet Patri latus & vulnera. Pater non negabit Filio postulanti; filius non negabit matri interpellanti; mater non negabit peccatori ploranti. Huic igitur te propitiatorio subiice; & habitabis in adiutorio Altissimi, & in protectione ac propitiatione Dei cæli commoraberis.

Oratio.

DEus, innocentiæ restitutor & amator, propitiare famulis tuis; vt sanctissimæ virginis Mariæ muniti præsidiis, ad redemtionis æternæ proficiamus augmentum. Amen.

46. SCALA IACOB.

Virginis exemplis Diuûm graſſemur ad aulam:
Omnibus hæc illa eſt lactea ad aſtra via.

Gen. 28 VIDIT Iacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Ecce, ecce; putáſne vides, ô anima, quid facimus, quídve in præſentiarum contingat nobis? Matth. 20. Ecce, aſcendimus Ieroſolymam, ibíque conſummabuntur omnia, quæ dicta & promiſſa ſunt nobis per Prophetam, per filium Dei & hominis, redemtorem noſtrum.

Dic igitur, ô dilecta, ex millibus electo; ſeducta Pſ. 121 feliciter, feliciùs rapta. Dic inquam; Lætata ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: Et quæ dicta ſunt tibi, cariſſima? quid audiſti? In domum Domini ibimus. Vnde hoc noſti? quodnam tibi ſignum in bonum? quod ſpei conceptæ argumentum? ſtantes erant pedes noſtri in atriis tuis, ô Ieruſalem! Portam patentem, ſcalam erectam, Deum innixum, Angelos occurrentes & inuitantes, introducenteſque intueor. Sed vide ne ſomnians loquaris, ô anima, ac præ nimio gaudio geſtiens, neſcias quid dicas. Libenter cum Iacob ſomniabo, vt cum eodem hanc ſcalam videam, atque euigilans in rei veritate reperiam atque apprehendam, quod ſomnians vidi.

O Maria, mater & virgo! tu nobis ſcala Iacob vera, per illam in ſomnis viſam, figurata. Nónne per te Chriſtus de cælo deſcendit, carnemque in qua nos redimeret ex te ſumſit? Numquid & nos per te voluit ad ſe in cælum aſcendere? Per te ſiquidem habemus, quidquid ipſe nobis largitus eſt; vt hoc tamquam medio, ad cæleſtem gloriam pertingamus?

Benè

Virginis exemplis Diuûm graſſemur ad aulam:
Omnibus hæc illa eſt lactea ad aſtra via.

Wilt ghy ten hemel gaen? leert Mariam naer-ſtappen.
Siet hier de leere ſtaen van deuchden vliſſhien trappen.

Veus-tu monter aus cieus? ſuis le pas de Marie;
Et ſuiurez bien-heureus, les traces de la vie.

Benè dixisti, sancte Dei; Maria fenestra cæli: quia ipsam Deus verum salutis lumen dedit; & facta Mariæ humilitas scala cælestis, per quam Deus scendit ad terras: quæ licet esset corpore in terra quemadmodum scala infimâ sui parte stabat) tamen cumen mentis eius tangebat cælum mentis dilectione, & feruore, & contemplatione.

Numquid hæc scala quoque Angelos pro nobis nsmittit ad Deum, & ad nos inde venire facit? Sci- autem desideratis, ô virgines, filiæ Sion, quo pacto eus huic nostræ cælesti scalæ, Mariæ, innixus fuit? irtus Altissimi obumbrauit ei, quando Dei filius in us vtero fuit incorporatus. Christi namque descen- am & ascensum, Mariæ verò humilitatem & assum- onem, nostramque in Dei filios adoptionem, sor- sque Sanctorum in lumine magnam hereditatem, uis enarrabit?

O felicem lapsum, post lapsum, sic sublimatum! ruinam mirificè restauratam! ô pignus amissum, nuentum feliciter! ô reatum, beatificatum in gloria! peccatorem redemtum, & angelicis spiritibus simi- em factum! ô felix per Mariam angelorum homi- numque consortium! ô per Mariam, admirandam erræ cælique mixturam! Dei & hominis vnionem! elix æuum, quod hanc scalam positam vidit, quam diabolus tantopere nobis inuidit. O Maria scala Dei, cala cæli, angelorum & hominum; scala iustorum & peccatorum!

Ecce carissimi, quàm nos ista scala Iacob ad se ra- pit, sui admiratione, mysteriorum præstantiâ, & iu- cundissimi ascensus facilitate! Videtis, vt semper vi- ciniùs viciniusque cælo appropinquamus? Delectet nos igitur, rapiat, teneatque titulorum istorum ra- pientium virtus; & nos non dimittamus eam.

Sed, gradus istius scalæ sunt nobis diligentiùs attendendi, vt eos consectantes ac Patronæ nostræ vestigiis insistentes, in cælum tandem virtute traduce

pertin-

pertingamus. Nónne quindecim beatæ Mariæ virtutes primariæ, eminentioresque gratiæ, quasi quindecim graduum scalam efficiunt; vt obiter in Aurora consurgente meminimus?

Sed quænam illæ virtutes præcellentes? Nónne Humilitas, Agnitio sui, Dei cognitio, Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Patientia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia, Castitas, Mansuetudo, Liberalitas, Pietas? Quid amplius? Virtutum omnis generis immensus thesaurus. Numquid preces quoque eius & merita, manum nobis ascendentibus præbent; immò & alas addunt; vt iam non homines, sed angelos scalam hanc ascendentes videri possimus, præ ascensus facilitate, & spiritus in sublime rapti alacritate? Nónne sic etiam in terris incipitur, quod in cælis futurum promissum est; Erunt sicut Angeli Dei? Væ nobis, si tanta nos felicitate & dignitate indignos fecerimus. Væ, si stratâ ad cælos viâ, erectaque scalâ vel vti piguerit. *Matth.* 22.

Eapropter assurgite somnolenti, capessendæ salutis immemores, discincto torpentes otio; & accedite. Si quis fortè ne quidem pedem vnum primo scalæ gradui apposuerit; citò festinet; quia Esau frater stricto persequitur gladio fugientem. Audi, quid comminans dicat; Venient dies luctus patris mei; & occidam Iacob fratrem meum. Sic diabolus tibi minatur interitum, cuius tu tamquam Christianus accepisti benedictionem. Quid remedij? Consulit Rebecca, Mater Ecclesia, beata Maria: Ecce Esau frater tuus (ab eodem patre Deo, in eiusdē tecum gloriæ æternæ consortium conditus) minatur, vt occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge in Mesopotamiam, Hebraicè Paran, hoc est, redemtionem, scalæ beatæ Mariæ subsidio in cælos ascendens. *Gen.* 27

Si quis verò iam aliquousque scalam ascenderat, & inde delapsus est; assurgat alacriter: pro vero considerans, sibique certò persuadens, vnicum esse mali remedium,

nedium, ſemper incipere, ſemperque reſumere vigorem propoſiti; ac poſteriorem teporis errorem, viida prioris feruoris recordatione corrigere.

Sin autem in medio ſcalæ ſe quiſquam fatigari perceperit, ſurſum is corda & oculos in cæli ciues attollat. Corona ſiquidem ibi præparata, Sanctorum ſodalitas, Dei genitrix, & ipſa ſanctiſſima Trinitas mente concepta, mirum quàm languentem ſpiritum animabunt.

At, miſerum & dolendum euentum! Si quis fortaſſis è ſummo gradu deciderit; ne ſic quidem deſpondeat animum, ſed pœnitudine tanti lapſus compunctus, per imum humilitatis gradum incipiens, eluat, quod per inanis gloriæ faſtum commiſerat. At verò, qui ſcalam hanc virtutum, ad Deiparæ virginis imitationem feliciter conſcendunt, ne alios humi iacentes adrepenteſque deſpiciant; nec in altitudine ſuæ excellentiæ glorientur: ſed videant, ne cadant: ſciantque, maiori ſibi attentione opus, quàm initio cùm ab imo inciperent: quia tum facilior, tum grauior iam foret ruina, propter altitudinis gradum. Qui itaque Deum tenent, teneant; & ſcalæ beatæ Mariæ conſtanter inſiſtant, donec perueniant; futuri de æternitate ſecuri, Chriſtumque cælos aſcendentem ſecuturi.

Oratio.

OMnipotens & miſericors Deus, deſideriorum bonorum amator & auctor; infunde pectoribus noſtris ardentem patriæ cæleſtis affectum; vt qui aſcenſiones in cordibus noſtris in hac valle lacrymarum diſponimus, beatæ Mariæ interueniente præſidio, tandem in locum optatum peruenire mereamur. Amen.

4. POR-

47. PORTA CÆLI.

Clauſerat ærato Mors cardine limina vitæ:
Tu domitâ (vitæ ianua) Morte pates.

Gen. 28 CVM euigilaſſet Iacob de ſomno, ait; Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam: pauenſque; Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! Non eſt hîc aliud, niſi domus Dei, & Porta cæli. Ecce, appropinquauimus portæ ciuitatis cæleſtis Ieruſalem; benedictus Deus.

Pſ. 102 Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: quia replet in bonis deſiderium tuum.

Flectamus pariter genua cordis noſtri, & præ lætitia, portam optatam cæli pio affectu ſalutemus. Salue radix, ſalue porta; Ex qua mundo lux eſt orta. Aue Maria, maris ſtella, Dei mater alma, atque ſemper virgo, felix cæli porta.

O felices nos, quòd poſt ſcalam Iacob inuentam, in cæli portam incidimus! Sic namque Iacob, poſtquam ſcalam viderat, de Porta cæli prophetauit; Non eſt hîc aliud, niſi domus Dei, & Porta cæli.

Quandoquidem igitur hucuſque vitæ melioris deductum propoſitum, in cæleſtis Ieruſalem aditum dirigi debet, vera ipſius via tenenda eſt, & porta quærenda. Iam viam per ſcalam, & portam tenemus; ſit Deus benedictus in ſæcula. Hanc portam cæleſtem, ô Eua, nobis in paradiſo occluſeras; ſed tu, ô Maria, eamdem aperuiſti.

Venite itaque filij Adam & Euæ, redemti; & ex qualitate miſeriæ, in quam incideratis, felicitatis magnitudinem quam eſtis adepti perpendite. Nónne, ſi rectè animaduertitis, triplici modo porta paradiſi terreſtris

PORTA CÆLI.

Clauſerat ærato mors cardine limina vitæ:
Tu domitâ (vitæ ianua) morte, pates.

Poorte van Hemel-Ryck; ſiet, wat u deurhoey maken:
Helpt my, dat ick uyt t'ſlyck, ten Hemel mach ghevaken.

La mort auoit fermé les portes de la vie;
Tu les as defermé, mal-gré elle, et l'enuie.


A
H

restris occlusa fuit; Angelicâ custodiâ, flammâ appositâ, & rhomphæâ bis acutâ? Numquid hoc triplici pessulo cæli ianua nobis clausa designabatur? Per Angelicam enim custodiam, inimicitia signabatur, quæ per peccatum inter homines & Deum atque angelos eius facta iam erat. Per flammam verò obligatio ad pœnam æternam; & per rhomphæam bis acutam, seuera Dei iustitia notabatur, quæ corpus & animam dissindebat.

Tu verò, felix es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima; quæ tripartitum hunc obicem, mira Dei dispensatione conuulsisti. Dum etenim inuentrix gratiæ, pacem inter hominem & Deum atque Angelos eius feciſti, primam illam paradisi clausuram excubantis Angeli remouisti. Vnde Angeli in tuo partu lætantes totique mundo pacem & gaudium annuntiantes cecinerunt; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.

Nónne secundam quoque clausuram abstuliſti, quando stupendo tuæ humilitatis præconio id effeciſti, vt illud in te compleretur, quod iam olim à Sapiente prædictum erat; Mulier gratiosa inueniet gloriam? Tu siquidem non tantùm gratiosa, verumetiam gratiâ plena, loco gehennæ gloriam inueniſti; & ita secundam quoque paradisi clausuram, æternâ redemtione inuentâ, euertiſti. *Pro. 11*

Tertium quoque effregiſti paradisi repagulum, quando, sicut altera Esther, seueritatem Assueri Regis, in clementiam commutaſti; vtque Abigail altera, Dauidem infensum placaſti. Dicere itaque verè potes, ô Virgo sacrata; Porta facta sum cæli; ianua facta sum Filio Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem, ingressus est per ostia clausa. *Esther 5. 1. Reg. 25.*

Placétne, ô virgines, castæ mentes, Deum quærentes, placétne audire Prophetam de claustro pudicitiæ virginalis regaliter vaticinando triumphantem? Et conuertit me ad viam portæ Sanctuarij exterioris, *Eze. 44*

quæ respiciebat ad Orientem. Optimè; singula sanctitatem, pudicitiam, ortum diuinum, & inuentæ salutis originem, mirificè repræsentant. Quidnam amplius, ô Videns, præuidisti? Et erat clausa. Nihil hîc mali. noli quidquam siniſtri metuere, noli mœrere, ô anima! Sic enim clausam esse oportebat, vt alio quodam modo peruia fieret. Solùm audi loquentem Prophetæ de hac Dominum. Et dixit Dominus ad me; Porta hæc clausa erit; & non aperietur: & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam: eritque clausa Principi.

Bona igitur porta, Maria, quæ clausa erat, & nõ aperiebatur: per quam Christus transiuit, sed non aperuit. Sic natus est, vt conceptus. Per hanc diuinitus in hunc mundum ingressus est. Meritò igitur, quam nec ipse pro suo ingressu & egressu aperiri voluit, nulli quoque viro, tametsi Principi, patere voluit. Itaque tametsi tu Ioseph iustus es, & cuique mulier vir suus Princeps est, ius in eam præ omnibus Regibus & Principibus habens; claustrum tamen virginitatis Mariæ non attigisti; sed eiusdem exemplo, ipse quoque potiùs castitatem vouisti, & seruasti: benè, optimè.

Nónne tamen interim, diuino modo, gratiæ, misericordię, & redemtionis facta est beatissima Dei genitrix porta cæli peruia, omnibus patens & parata, bonæ voluntatis? Dic nobis Maria, ô porta, ô via! dic animę nostræ de fructu vẽtris tui iucundum auditu eulogium.
Ioã. 10 Per me si quis introierit, saluabitur. Quis ergo hîc loquitur? Christus. Non & Maria? quídni? Quisquis per hoc ostium intrat, per Mariam intrat, per quam Christum accepimus & habemus. Maria, tu porta & portans; per te Christus ad nos; & nos per te ad ipsum intramus.

Ps. 117. Verè hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam. Et peccatores igitur, vbi manebunt? Et ipsi quoque per eam intrabunt ad gratiam & veniam; si vitæ præteritæ

teritæ pœnitet, & nouam præcipiant animis, vt & ipsi iusti fiant.

Hæc peccatorum scala, aduocata, susceptrix, & porta; peccatorum inquam pœnitentium, & Æthiopum in corde contrito pellem mutantium. O felicitatem! ô fauſtum euentum!

D Ancilla ostiaria, prima Eua mater nostra, purgans
E triticum obdormiuit; ideoq; infelix Isboseth interfectus est: dum illa oscitanter ageret, ingressum serpenti permisit, cuius astutia ipse quoque Adam, peccati mortisque aculeo confossus est. 2. Re. 4

Hæc autem ancilla ostiaria, pia, vigilans, meliùs quàm alia, Petrum intromisit in atrium Principis, peccatores in Petro saluti concilians: Ecce, inquit, ancilla Domini. Ioã. 18. Luc. 1.

F Numquid etiam, ô Maria, cunctis thesaurum Dei
G aperuisti, & in cæli palatium intromittis? Infirmis
H siquidem aperis thesaurum potentiæ; ignorantibus verò, diuinæ sapientiæ; & malis misericordiæ infinitę, vt saluentur vniuersi, qui tuam opem implorant. Hanc igitur & scalam & portam cæli teneamus carissimi, eiusque nos gratiæ semper commendemus.

Oratio.

ÆDificationi tuæ quæsumus omnipotẽs Deus, incrementa largire cælestia; vt qui, ceu viui lapides muris supernæ ciuitatis Ieruſalem coaptari ſatagimus, in immaculata Filij tui genitrice Maria, cæli portam inuenire valeamus. Amen.

48. GLORIA IERVSALEM.

Gloria tu Solymæ; Cæli tibi curia victis
Hostibus applaudens, io triumphe, canit.

QVANDOQVIDEM, ô beatissima Dei genitrix, virgo Maria, in titulorum tuorum progressu proficimus; & cum tuæ laudis incremento, in virtutum quoque atque meritorum augmento promouemus; meritò tibi, quod Iudith primò à victoria cæsi hostis Holofernis reuersæ fuit decantatum, sublimiori sensu & modo deferimus; sicut illud historia sacra commemorat; Benedixerunt eam omnes, vna voce dicentes; Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum: eò quòd castitatem amaueris. Ideò & manus Domini confortauit te. Et ideò eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus; Fiat, fiat.

A

B

Iudith 15.

Nónne magna & iucunda est Christianis, antiquorum mirabilium Domini Dei reminiscentia? Sed quantò excellentior eorumdem in rei veritate adimpletio! In prioribus illis admiratio, & adumbrata futurorum expectatio: sed in istis renouati sæculi mysteriis, gratię significatę ac benedictionis promissæ liberalis effusio, & fruitio.

Nónne copiosam illam heröinæ Iudith delatam laudem, atque honorificentiam publicam, beata Maria, victrix & triumphatrix, breui sed fœcundo conclusit elogio? cùm dixit ac cecinit; Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est; & sanctum nomen eius. In hoc verum dixisti & prædixisti, ô sanctissima Virgo, & columen Prophetarum! quia res ipsa testatur in cęlo & in terra.

Luc. 1.

Non

Gloria tu Solymæ; Cæli tibi curia, victis
Hostibus applaudens, iò triumphe, canit.

Seer Vbel, naer Judithō sterx, Maria heeter meught,
Dan t'hoogh Jerusalem de glorie en de vreught.

Ce courageus lion de Iuda manifeste;
L'honneur de la Sion, et terriene, et celeste.


B
C
A
D

Non enim solùm gloria Ierusalem es, Ecclesiæ in terris adhuc militantis, verùm etiam cælestis Ierusalem gloria esse dignosceris.

Nónne beatitudinis æternæ gloria in Dei visione, diuinæque ipsius gloriæ participatione consistit? Omnino. Sed sicut magna gloria est Regiæ & curiæ Regalis, dum Rex Reginam habet; (alioqui, iuxta iudicium subditorum, gloriæ plenitudini aliquid deesse videtur; atque eapropter, orat vrgetque vniuersus populus, vt vxorem Rex cælebs accipiat, ad Regalis maiestatis consummationem) ita quis magnam dubitet gloriam esse cælesti Ierusalem, habere ibi Dei matrem, Reginam cælorum, columen & decus Ecclesiæ vniuersæ?

O Maria, gaudium, lætitia, gloria, & honorificentia nostra! in te congaudemus, exultamus, & gloriamur omnes tuæ excellentiæ & laudis amatores & admiratores. Nam, tantum tua gloria à ceterorum beatorum omnium atque adeò angelorum gloria differt; quantum solis splendor, à lumine aliorum luminarium cæli. Et quemadmodum cetera luminaria, à sole lumen accipiunt atque illustrantur; ita tota cælestis curia, à te glorioſa Virgine, solis iustitiæ matre, lætificatur, atque mirificè decoratur.

Tu itaque verè gloria Ierusalem Ecclesię militantis, quia singulari eam splendore collustras; & in gloriæ
C tuæ fulgore splendescit? Tu cælestis quoque Ierusalem gloria, in qua Sancti omnes, atque Angelici spiritus non immeritò gloriantur.

Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, & in honorata humilitate Dominæ nostræ, virginis Mariæ, matris eius. Quid siquidem huc faciant sumtuosa illa veterum monumenta, sepulchra, columnæ, & eiusmodi alia insignia opera; quæ eò spectabant, eumque in finem exstruebantur, vt gloria eorum in quorum honorem fiebant & dicabantur, supra ceteros mortales attolleretur? De nostra nam- *Gal. 6.*

que triumphatrice Maria quantò dignius illud dicamus, quod de alio aliquo dictum & magna cum laude decantatum legimus ? Quantam ſtatuam faciet populus Romanus, Eccleſiæ Romanæ ciues & incolæ! quantam columnam, ô Maria, quæ res tuas tuaſque laudes loquatur!

Verùm, conferte conſilia & iudicia veſtra in commune, omnes docibiles Dei, Sanctorum ſcientia colluſtrati, & quotquot docuerit vnctio. Numquid maiorem eſſe cenſebitis in Eccleſia & cælo Mariæ virginis gloriam ; quàm vmquam mortales mortalibus iſtis atque caducis trophæis, mauſoleis, pyramidibus, & obeliſcis, columnis, coloſſis & amphitheatris, exprimere quiuerunt?

Etiamſi Euphranor pictor fictorque nobiliſſimus, qui primus dignitates ac Heroum inſignia dicitur expreſſiſſe, huic operi manum adhiberet; numquam vel in minima eius parte ad requiſitum gloriæ decus & ornamentum accederet. Nonne tamen hoc in genere, antiquiſſimæ Ægyptiorum ſtatuæ, aliquid huius cæleſtis ac diuinæ nobilitatis referre creduntur ; quæ adeò graciles effictæ ſunt, non artificum ineptiâ, ſed induſtriâ ; vt diuinitatem minimè corpoream, vel vt ita dicam, corporatam eſſe oſtenderent ? Si ſtatuæ graciliſſimæ gentium, eapropter quòd tales eſſent, diuini quidpiam referre ſunt viſæ; eoq; maiori gloria & honore dignæ iudicabantur ; quantò magis tuam gloriam celebremus, ô beata Maria, quæ tota quaſi in Deum abſorpta videri potuiſti, quando nihil terreni circumferre, ſenſu vel animo complecti, ſed tota cæleſtis ac ſpiritalis apparuiſti?

Super iam allatis pro ſacratiſſimæ Virginis gloria declaranda, non parum facit ad hanc rem titulus Pſalmi decimiſexti, qui quidem Latinè eſt, Oratio Dauid, quod Græci dicunt, Oratio ipſi Dauid ; ſed alio adhuc modo Græcè expreſſus, ſtylographe nuncupatur ; triumphalem quodammodò atque heroicam

cam columnæ inscriptionem, ac quasi aureum insigne Dauidis referens; ad Christi victoriam exprimendam, atque Ecclesiæ ipsi coniunctæ dignitatem; quæ Matrem Dei, totiusque Ecclesiæ ornamentum rectè significat. Gloria Ierusalem Maria meritò hoc titulo atque insigni aureo Prophetæ Regij decoratur, atque eidem finis quoque Psalmi eiusdem attribui potest; vbi dicitur; Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Ps. 16.*

Sed tu quoque, ô anima mea, non solùm operam dare debes atque satagere, vt huius gloriæ Ierusalem particeps fias; satierisque cùm apparuerit gloria Domini & superbenedictæ matris eius; verumetiam vt tu gloriam Ierusalem adaugeas: nam Sanctorum in cælis frequentia, gloriæ communis augmentum est paritura. Verùm, noli obliuisci, vnde incipias, vt hanc ad gloriam aliquando pertingas; certa semper & memor, quòd gloriam præcedit humilitas. *Pro. 15*

Oratio.

DEus, humilium celsitudo, & tuorum gloria famulorum; da cordibus nostris inuiolabilem tuæ charitatis affectum; vt beatissimæ virginis Mariæ meritis & exemplis adiuti, gratiæ tuæ reddamur in terris participes, atque æternæ gloriæ in cælis consortes. Amen.

49. SOLIVM GLORIÆ DEI.

Gloria te Domini ſolium ſibi legit, & in te Maieſtatis habet ac pietatis opes.

Pſ. 111. GLORIA & diuitiæ in domo tua Domine, beatus vir qui habitabit in ea; & qui bonis domus tuæ replebitur. Non timebit ſibi à frigoribus niuis, nec pane indigebit in æternum; ſed replebitur & abundabit, & in ſæcula ſæculorum laudabit te.

Excutere de puluere, dilecta dilecti, & gratulabunda decanta laudem Deo, ingentem aceruum felicitatis agnoſcens. Ecce enim, per honorificos Deiparæ virginis titulos ſpatiantes, tandem ad Solium gloriæ Dei meditando peruenimus.

O anima mea, aperi oculos tuos, & vide iucundi-
Baruch 4. tatem, quæ veniet & venit tibi à Deo tuo, ſi hîc ſolium gloriæ eius, ſacratiſſimam ſcilicet eius Matrem A ſincero mentis affectu fueris proſecuta; ſiſque præſertim ita te geſſeris, vt ipſa quoque ſolium Dei, per conſcientiæ puritatem effecta, tandem ſolio ipſius in cælis ſiſti merearis, & coronam gloriæ de manu eius accipere.

Verùm, ante omnia, Scripturæ locum ob oculos ſtatuamus, ex quo tituli præſentis origo deſumta eſt.
Ier. 14. Sic Prophetam orantem audimus; Ne des nos in opprobrium; propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam Solij gloriæ tuæ. Recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum. Vidéſne orationis huius efficaciam, & dilecti populi Dei, & nominis ipſius ſacroſancti, Soliiſque in primis gloriæ eius magnificentiam & maieſtatem rememorantis? Magna ſine dubio virtus orantis, vbi intercedit maieſtas dominantis.

Sed

49. SOLIVM GLORIÆ DEI.

Gloria te Domini ſolium ſibi legit, et in te
Maieſtatis habet ac pietatis opes.

O maeght! Voy u den throon der glorien Godts nomen,
Want hy heeft in u schoon, het meeste Werck vol-komen.

Deuant ce tribunal, il faut que tout ſ'encline:
Ceſt le ſiege Royal, de la gloire Diuine.

Sed numquid sunt varia Solij gloriæ Dei genera? Cælum eiusmodi solium esse, quis neget? Nónne dicit ipse Dominus;; Cælum sedes mea? Quamobrem? *Isa.66.* Quia in eo præcipua esse perhibetur gloriæ ipsius manifestatio: estque totius vniuersi illustrior portio.

At, numquid excellentius solium gloriæ Dei, beata Maria, de qua, quod de cælo dici potuit, maiori iure proferimus; Deus sedet super sedem sanctam suam? *Ps. 46.* Quando, vel quomodo id accidit, rogas? Non solùm quando per abundantem suam gratiam Dominus cum illa, & in illa fuit; atque in mente eius, quouis cælo nitidiore, Deus resedit; neque solùm, quando in purissimis eius visceribus Verbum caro factum requieuit; verumetiam, quando iam nobis paruulus natus, & filius nobis datus, in eius sinu resedit; & duo
C ipsius brachiola altrinsecus thronum veri Salomonis *3. Reg. 10.*
D eburneæ virginitatis amplexa sunt.

O spectaculum, ô solem & vmbraculum! ô Salomone maiorem puerum, in omni gloria sua, & in hoc solio gloriæ maiestatis ipsius! O solium gratiæ, ô sinum misericordiæ! ô pignus æternæ gloriæ! ô reorum pœnitentium propitiatorium infallibile!

Nónne miramini filiæ Ierusalem, Regem vestrum Salomonem, in hoc throno & solio glorię admirandæ sedentem? Non recordamini, quòd huius occasione iam ante tot sæcula Patres vestri clamarint, & mundus vniuersus cum eis, expectans redemtionem Israel?

Audite testantem eorumque adhuc verba sonantem Scripturam, Psalmista præcinente in hunc modum; Parata sedes tua Deus ex tunc, à sæculo tu es. *Ps. 92.* Iam noli tardare, disrumpe cælos & descende. Si sedes tibi cælum est; in terris quoque tibi sedes parata est; castissimæ Virginis vterus, in qno colloceris, & Regni tui coronam accipias, qua te coronabit mater *Can. 3.* tua; Diuinitatem humanitate conuestiens.

Nónne, postquam prauus ille angelus, contra

omnem rationem, contra omne ius, iudicium, & iusti-
Isa. 14. tiam, dixerat; Super astra exaltabo solium meum; deturbatusque, non solùm tertiam partem angelicarum stellarum secum detraxit, verumetiam genus humanum statim impulit in ruinam; pro eiusdem reparatione opus fuit, solium nouum erigere, benè præparatum; ex quo seruato iudicij ordine ac iustitia, misericordia tamen miseris mortalibus procederet?

Numquid id Propheta Regius futurum prænoscens, lætus de superbi præsumentis victoria, deque reparatione prostrati hominis gestiens, in hunc mo-
Ps. 88. dum exultat; Misericordias Domini in æternum cantabo? Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ, dispersisti inimicos tuos. Firmetur manus tua; & exaltetur dextera tua. Iustitia & iudicium, præparatio sedis tuæ. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Nónne dignum & iustum est, vt superbia per humilitatem, rebellio per obedientiam, & per æquitatem restauretur iniquitas?

Eia, ô Maria! ô humilis, ô pia! ô iusta iusto desponsata! Dic citò, quod totus à te expectat mundus; dic,
Luc. 1. inquam; Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Fiat modò & nobis, ô Domine, secundùm verbum tuum. Respice ancillæ tuæ humilitatem, & fac causæ nostræ per gratiam æquitatem. Fac iudicium & iustitiam: & da supplicibus miseris veniam.

Ps. 44. Hæc sedes tua, Deus in sæculum sæculi, quia misericordia tua manet in æternum. Hoc solium gratiæ & gloriæ tuæ; misericordiam volo & non sacrificium; saluare per misericordiam opus manuum tuarum, perditum per inuidiam & serpentis nequitiam; & primam tuam intentionem per lapsum euersam, per gratiam restaurare. Gloria enim hæc est omnibus seruis tuis, vt videant superbum humiliatum, & humilem exalta-

exaltatum, atque primarium opus tuum postliminio nobiliùs reparatum. Nónne gloriam prȩcedit humilitas? Hæc siquidem aptissima tutissimaque sedis tuæ præparatio, firma eiusdem humi defixio. *Pro. 15*

O quàm honorificè, ô Maria, resedit in te gloria Dei, corporaliter quidem in vtero & in gremio; sed in toto animæ & corporis habitu semper spiritualiter: iam verò in cælis gloriosè!

Vt autem tu, ô anima, sis solium gloriæ Dei, esto iam eius gratiæ residentia. Nam, prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra: hoc est in corde nostro, atque etiam in corpore nostro nondum glorioso. *Ps. 84.*

Oratio.

DEus, qui humani generis vtramque substantiam, congruum diuinæ tuæ maiestati habitaculum condidisti; præsta supplicibus tuis, vt beatæ Mariæ interueniente suffragio, placitis tibi moribus seruiamus; & tandem solio gloriæ tuæ læti sistamur. Amen.

50. REGINA CÆLI.

Te regni sociam cæli Regnator adoptat;
Vt terras oculo dexteriore bees.

Ps. 44. ADSTITIT Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. Quàm
Ps. 30. magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam vt in omnibus, ita singulari quadam dilectionis prærogatiua in sacrosancta Virgine matre tua Maria, mirabiliter abscondisti, & miseri-
Ps. 144 corditer ostendisti! Exaltabo igitur te Deus meus Rex, & benedicam nomini sancto tuo in sæculum, & in sęculum sæculi. Magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis tuæ non est finis. Sit itaque sanctum nomen tuum benedictum in sæcula: & benedicta sit in æternum glorioſissima Domina, patrona nostra, virgo Maria.

Ecce enim, quàm amœno modo, nos per eiusdem honorificos titulos, à primæua vitæ nouæ, ceu spiritalis prolis, origine, in hoc vsque cælestis educationis culmen euexisti, vt ad supremam Reginæ cæli sublimitatem venerimus. Regina cæli, lætare, & nos perge iuuare; vt per te videntes Iesum, tecum semper collæ-
Iere. 7. temur. Eant illi pseudo-Iudæi, qui tum in Ierusalem
& 44. adhuc constituti, tum in Ægyptum profugi, in Prophetę Deique despectum, hoc titulo abutentes, Lunæ sacrificabant; eamque, nequidquam reclamante Propheta, (prô scelus!) Reginam cæli nuncupabant. Nos verò, iure nostro, iure diuino, titulum hunc, ex ipsorum manibus & ore sumentes, immò malo iure vsurpantibus iustè extorquentes, tibi, ô sanctissima Virgo, applicamus, vel potiùs debitum reddimus; cui primaria ratione deberi, totus mundus est testis.

Venite gentiles, venite pagani, & vos venite Christianæ

Te Regni ſociam Cæli Regnator adoptat ;
Vt terras oculo dexteriore bees .

O moeder ende maeght, deô hemelô Coninghinne!
Helpt-my, ſoo t'Godt behaeght, dat ick hem altydô minne.

Pourries-vous receuoir, ou plus riche couronne,
Ou de plus de pouuoir, que celle qu'on vous donne?

tianæ veræque fidei extorres hæretici; venite, quotquot aliquid iuris communis vobis hac in parte vendicatis, vel deberi prætenditis. Dicimus, & edicimus, nullo vel iure vel ratione refragante, beatam Mariam, Deiparam virginem, omnimodis Reginam cæli appellandam. Nónne in primis, quia Christus Rex est cæli, Rex scilicet regum; cuius Regnum non est finc; cuiusque regni non erit finis; etiam mater eius Reginam cæli dici atque esse necesse est? Numquid auditis rogantes tres Reges; Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Quis, nisi ex Regina Rex nascitur? Qualis Rex, talis Regina: Rex cæli filius, mater ergo Regina cæli. Ergo & Regina & Domina, & Deipara, verè & propriè censeris, ô beata Maria! Deinde, nónne quæ ab æterno prædestinata fuerat, vt Dei domicilium, diuinumque sempiternæ naturæ templum foret; hæc vniuersorum Regina iure salutatur? Mittitur Gabriel angelus, & egreditur de Rege ad Reginam; de Imperatore ad Imperatricem; de ciuibus cæli ad Dominam palatij. Ingreditur ad Virginem Regi præelectam: & eò fortè alacriùs, vt cùm angeli priùs Regem haberent, habituri nunc essent & Reginam: Vt ad supplendos numeros angelici ordinis, etiam peccatores possent ingredi: Et mater misericordiæ, & Regina cælorum, porta fieret cæli. Numquid in eiusdem encomium, meritò de illa sic legimus; Regina mundi hodie de terris, & de præsenti sæculo nequam eripitur. Eapropter, omnes homines, qui sunt, & qui fuerunt, sunt serui istius Dominæ; ideoque ipsi dicere possunt, Serui tui sumus; quæcumque iusseris, faciemus. O Domina, ô Maria, ô Regina! Meritò dicis; Gyrum cæli circuiui sola; scilicet tamquam Domina: quia virum circumdedisti, in quo cælum, terra, mare, & arida, & vniuersa continentur.

Matth. 2.

Luc. 1.

Eccli. 24.

Sed, vbi latetis, vbi hæretis & moramini, virgines adductæ Regi post eam? non anhelatis? non suspiratis? non desideratis audire singulares à Regio

Pro-

Propheta, Reginæ dicatas prærogatiuas, quando in
Ps. 44. ter alia cecinit; Adstitit Regina à dextris tuis? Septe
eiusmodi, si vultis, enarrabimus. Prima sit, excelle
Reginæ pulchritudo. Omnis gloria eius filiæ Reg
ab intus. Secunda, vestium pretiositas. In vestitu dea
rato. In corpore & anima, incorrupta, sancta, & o
nata virtutibus. Tertia, Sponsi eius nobilitas. Concu
piscet Rex decorem tuum. Quoniam ipse est Dom
nus Deus tuus. Quarta sit, odoris suauitas. Myrrha, &
gutta, & casia à vestimentis tuis. In quibus tribus, tri
ista verè excellentia designantur, castitas, humilitas
& pietas. Myrrha siquidem corruptionem arcet, gutt
depellit tumorem, & casia in humidis nascitur. Quin
ta prærogatiua Reginæ nostræ, domicellarum puella
rumque famulatus, quæ terni sunt generis. Filiæ Re
gum, filiæ Tyri, & Virgines. Nónne tres status mulie
rum, tibi, ô Maria seruierunt, & seruiunt modò? Vi-
duæ, filiæ Regum; quæ corpus suum per castitatem
vidualem benè regunt. Coniugatæ, filiæ Tyri; Tyrus
enim, angustia interpretatur; & tribulationem carnis
ostendit, quam habent eiusmodi. Et virgines, ex
voto castitatis perpetuæ, post te, ô Maria, emisso. Filiæ
Regum prædictæ, ô Regina, te delectant, quando se
in castitate viduali conseruant. Filiæ verò Tyri, bonæ
coniugatæ, munera tibi offerunt, quando in suo
coniugio ordinatè viuentes, operibus quoque misé-
ricordiæ vacant. Virgines autem post te, ô Regina,
adducuntur; quando in virginitate, & munditia car-
nis & spiritus, te imitantur. Sed, quæ sexta conditio
ac prærogatiua tua, ô Regina cæli, tibi à Psalmista
descripta? Nónne quòd singulariter à prolis fœcun-
ditate commendaris? Pro patribus tuis nati sunt tibi
filij. Quis patres fuisse ignoret Patriarchas & Pro-
phetas, primique illius Sæculi Sanctos? vel etiam in-
fideles Iudæos, à quibus ipsa Regina originem traxit?
Quinam verò filij eius, quæris? Apostoli, Virgines,
Christiani deuoti, fideles omnes. Volumus tres po-
steriores,

steriores, tribus illis prioribus hominum generibus sigillatim opponere? Fac ipse, nam obuium est. Constitues eos Principes super omnem terram. Verè ita se habet, si singulos, ex tribus prædictis, in sua sorte consideres. Numquid Apostoli mundum & terrena contemserunt? Nónne virgines terram corporis sui regunt? Nónne fideles Christiani, terrenis benè vtuntur, eaque omnia rectè administrant, tamquam Principes super illa constituti? Nónne delectamenta, quæ de terrenis percipiunt, ad Dei summi Regis gloriam referunt? Nónne tres istæ hominum series rectè filij Reginæ pro patribus nati censentur?

Regina igitur cæli, Maria, meritò nuncuparis. Nónne vel idipsum ex eo quoque probatum habemus; quòd, sicut Regina aliquãdo vice Regis Regnum gubernat; ita tu, quando filius tuus Dominus & Rex noster, per mortem se absentauit, Ecclesiam Dei, quæ Regnum cælorum est, in triduo illo rexisti, quia fidem illibatam seruasti? Nónne quoque post eiusdem ascensum, Ecclesiam gubernasse dicenda es, quando totius mundi Regina & Magistra mansisti? Nónne meritò tibi, à Rege cælorum dictum censemus; Etiamsi dimidiam partem Regni petieris, impetrabis? Iustitiam meritò sibi seruare voluit Deus; sed misericordiam, alteram Regni partem, tibi permisit: vt quidquid salua iustitia concedi possit, id totum in potestate tua, vt Matris misericordiæ, ac Reginæ cæli, esset constitutum? Nónne eapropter, quandocumque Rex, rigorem iustitiæ moderans, aliquid statuit de gratia persoluendum; illud potes, ô beatissima Domina, de gratia Filij tui per indulgentiam impetrare? *Esther 5. & 7.*

Benè itaque, ô sanctissima Virgo, peculiari ista de causa, totque iam accumulatis argumentis, quotidie ab Ecclesia, sub Reginæ titulo, salutaris; dum exultantibus præ lætitia animis, dicimus; Salue Regina, mater misericordię, vita, dulcedo, & spes nostra, salue. Item: Regina cęli, lætare, alleluia; Quia quem meruisti portare,

portare, alleluia: Resurrexit sicut dixit, alleluia. Or pro nobis Deum, alleluia.

3. Re. 1. & 2. Huic ergo Reginæ, vt excellentiori Bethsabeæ causam nostram, & nos ipsos, ô anima mea, commendemus; vt quæ nobis sub eiusdem heröinæ & Reginæ præsidio ac typo, in primis conceptus nostri spiritalis exordijs atque auspicijs, apud summum Regem patrocinio fuit singulari; nunc etiam in totius educationis consummatione, felicem faustumque cunctorum procuret finem; atque per eam beato exitu concludamus, quidquid eiusdem præsidio sumus exorsi, & hucusque produximus. Et vos, ô dilecti, quotquot sapitis, idem inite consilium, vestigijs eiusdem insistentes; certi, nullo vmquam tempore Regi cælorum fore ingratum, quidquid eius Matri Reginæ cæli deuotè fuerit commendatum. Sancta itaque Maria, Regina cæli, ora pro nobis. Vale inquam valdè decora, & pro nobis Christum exora.

Oratio.

DEus, qui miro ordine vitæ humanæ momenta dispensas, & Ecclesiam tuam nouo semper fœtu multiplicas; da, vt vitæ nouæ, ceu prolis spiritalis exortum atque educationem hucusque productam, beatæ Mariæ præsidiis & exemplis adiuti, quemadmodum feliciter cœpimus, ad maiorem tui nominis gloriam feliciùs absoluamus. Amen.

SERIES

SERIES TITVLORVM cum ſuis Diſtichis.

1. SANCTA MARIA.

Virgo tuum pronâ quæ concipis aure parentem;
Imprægnet nati me precor aura tui.

2. S. DEI GENITRIX.

Te mihi Diua parens obſtetricante, bonorum
Simq́; potens operum, propoſitiq́ue Parens.

3. S. VIRGO VIRGINVM.

Heroina polis ſalue vnica, & vnica terris,
Ducere palmaris ſigna pudicitiæ.

4. MATER VIVENTIVM.

Eua, parens mortis, vitam tranſſcribe MARIÆ:
Tu neque mors illi, vitaq́ue facta tibi eſt.

5. MATER PVLCHRÆ DILECTIONIS.

Æternumq́ue in fonte bonum, riuoſq́ue per ipſum,
Fac purè puri Mater amoris amem.

6. MATER SANCTÆ SPEI.

Fluctuat hic mundus? crux anchora, portus IESVS;
Mater io ſanctæ ſis Cynoſura Spei.

7. MATER HONORIFICATA.

Aſtra caput cingant, vallent tibi lilia ventrem;
At, decus es ſertis MATER HONORA *tuis.*

8. LIGNVM VITÆ.

O felix arbor, vitæ immortalis alumna!
Chriſtum in me fœtu paſce benigna tuo.

9. VENA VITÆ.

Plaga, ſitis, morbi, procul hinc exeſte; ſcaturit
Plena ſaporatis vena ſalutis aquis.

10. NAVIS INSTITORIS.

Abſque te erat, panem ex alio quæ conuehis orbe,
Impia damnarat ſæcula longa fames.

II. FAVVS DISTILLANS.

Fellis amara lues terræ circumluit orbem?
Virgineo edulcant indita mella fauo.

12. FONS SIGNATVS.

Non temeranda ſacrum claudunt ſignacula fontem:
Turbabit vitreas nemo profanus aquas.

13. PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM.

Sæcla perennantes puteo quis ſuffícit vndas?
Ductus inexhauſto tullius oceano.

14. TORRENS MELLIS ET BVTYRI.

Hybleo quæ melle fluit, lactiſque medullâ,
Quid niſi delicias Emmanuelis alit.

15. DOMVS SAPIENTIÆ.

Quæ domus hæc? Sophiæ. Caſto tere limen amore,
Inter cæleſtes annumerande ſophos.

16. SPECVLVM SINE MACVLA.

Illimi hoc ſpeculo maculoſos inſpice vultus,
Exemploque animum candidiore laua.

17. THRONVS SALOMONIS.

Virgo thronus nati eſt; dedit huic Sapientia formam;
Materiem nitidum Virginitatis ebur.

18. MVLIER AMICTA SOLE.

Clarior, an maior, rutilo quæ in Sole coruſcat,
In terris poſitus quem ſuper aſtra vides?

19. PVLCHRA VT LVNA.

Luna ſub obſcuro diſſindit lumine noctem;
Nocte ſed hæc mediâ dat ſine nocte diem.

20. ELECTA VT SOL.

Sol oculus mundi: tuus eſt & ſolis ocellus,
Sola cui lecta es filia, ſponſa, parens.

21. HONORIFICENTIA POPVLI NOSTRI.

Gloria Chriſti adum; Princeps digniſſima turbâ,
Fac tua te digna vt Principe turba ſiet.

22. VIRGA MOYSIS.

Virgo Moſaicæ ſuperat miracula virgæ:
Virga ſalum potuit pandere, Virgo polum.

23. CI-

23. CIVITAS REFVGII.

Præsidium, tutela, salus, pietatis asylum,
Materno vsque patent Virginis in gremio.

24. VRBS FORTITVDINIS.

Gratia quam triplici circumfluit aurea riuo,
Rideat hostiles vrbs benè tuta minas.

25. CLYPEVS OMNIBVS IN TE SPERANTIBVS.

Diua, nec ignitis penetrabilis vmbo sagittis;
Hostica in auctoris tela retunde caput.

26. TVRRIS EBVRNEA.

Quanta foret castæ in MARIA *substructio mentis,*
Æthereo turris vertice eburna docet.

27. TVRRIS DAVIDICA.

Teque, MARIA, *notant clypeatæ symbola turris,*
Armamenta sacræ publica militiæ.

28. CASTRORVM ACIES ORDINATA.

Castrorum directa acies, te vindice, detur
Fundere victrici castra inimica manu.

29. PARADISVS VOLVPTATIS.

Ille tulit mortem vitæ mala, tu aurea vitæ
Mala refers, potior quis paradisus erit?

30. DESIDERIVM COLLIVM ÆTERNORVM.

Æterni te suspirant sua gaudia colles:
Nos ad te æternis collibus ire pares.

31. LILIVM INTER SPINAS.

Lilia pungentes inter fragrantia spinas
Fac nos in mediis florida Virgo malis.

32. RVBVS ARDENS INCOMBVSTVS.

Qualis inoffensum lambit sacra flamma rubetum;
Talis in integrâ virgine mater ouat.

33. HORTVS CONCLVSVS.

Clausus es? ô benè! nam claudens qui pascitur inter
Lilia, prô quantas Hortule claudis opes!

34. TABERNACVLVM DEI CVM HOMINIBVS.

Quàm modica immensus sibi conopea tetendit,
Cùm nos delicias vellet habere suas.

35. THALAMVS SPONSI.

Dius Hymen, quo naturæ Deus oscula nostræ
Libauit, casto Virginis in thalamo.

36. TABERNACVLVM FOEDERIS.

Papilione sub hoc Deus atque homo fœdera iungunt:
Ara sed arcani conscia Virgo fuit.

37. ALTARE THYMIAMATIS.

Mater odorati thymiamatis ara, mephitim
Criminis heu nostri corrige odore tuo.

38. VIRGA IESSE.

Virga, parens floris, quem spiritus ille coronat;
Nos tibi, te nobis, inseruisse velis.

39. VELLVS GEDEONIS.

Aridæ roranti, sicco rorantia campo,
Vellera tu nostræ sanctior arrha spei.

40. STELLA MATVTINA.

Sparge tenebrosis Eoa crepuscula terris,
Tartareaque nigros discute noctis equos.

41. AVRORA CONSVRGENS.

Crimen & error abi: veri & iubar emicat æqui,
Auroræ puro purius è thalamo.

42. LAPIS ADIVTORII.

Tute, sacerque lapis, manuum sine viribus vllis
Vnde fuit nostræ petra recisa spei!

43. SANCTVARIVM DEI.

Sacrum adytum Domino pectus virtutibus orna,
Collocet vt sedem cordis in æde tui.

44. ARCA TESTAMENTI.

Sethina fert auum, micat aurea fœderis arca:
Sic pudor æternat Virginis, ardet amor.

45. PROPITIATORIVM ALTISSIMI.

Propitium tibi fac materna per vbera Natum;
Vulnera per Nati propitiare Patrem.

46. SCA-

46. SCALA IACOB.

Virginis exemplis Diuûm graſſemur ad aulam:
Omnibus hæc illa eſt lactea ad aſtra via.

47. PORTA CÆLI.

Clauſerat ærato Mors cardine limina vitæ:
Tu domitâ (vitæ ianua) Morte pates.

48. GLORIA IERVSALEM.

Gloria tu Solymæ, Cæli tibi curia victis
Hoſtibus applaudens, iö triumphe, canit.

49. SOLIVM GLORIÆ DEI.

Gloria te Domini ſolium ſibi legit, & in te
Maieſtatis habet ac pietatis opes.

50. REGINA CÆLI.

Te regni ſociam cæli Regnator adoptat;
Vt terras oculo dexteriore bees.

APPROBATIO.

IN his duobus libellis, quibus titulus est, PARADISVS SPONSI ET SPONSÆ: in quo MESSIS MYRRHÆ ET AROMATVM, & PANCARPIVM MARIANVM, auctore P. Ioanne Dauid Societatis IESV Sacerdote, nihil deprehendi, nisi quod pietati & charitati fouendæ & inflammandæ conducat. Ita testor

Martinus Baccius Tiletanus S. Theologiæ Licentiatus, & Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Iprensis ad librorum visitationem commissus.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, Diplomate ſuo ſanxerunt; nequis libellos, quibus titulus eſt, PARADISVS SPONSI ET SPONSÆ: in quo MESSIS MYRRHÆ ET AROMATVM, & PANCARPIVM MARIANVM, auctore *P. Ioanne Dauid, Societatis* IESV *Sacerdote*, præter Balthaſaris & Ioannis Moretorum fratrum voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaleſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Ianuarij, M. DC. XI.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buſchere.

MESSIS
MYRRHÆ
ET
AROMATUM

M. DC. XVIII